W48

EXERCITIA SPIRITUALIA

S. IGNATII DE LOYOLA.

MEDITATIONIBUS ILLUSTRATA

AD USUM

PP. AC FF. SOCIETATIS JESU

AUCTORE

P. F. XAVERIO WENINGER,
E SOCIETATE JESU.

ASSISTENTIA
GALLIÆ SOC. JESU

B.7.

ALMA COLLEGE
060.32
LIBRARY
W 486
Alma, Calif.

CINCINNATI
TYPIS HERMANNI LEHMANN.
ANNO 1849.

7045

BIBLIOTECA
SOC. JESÚS

JOANNI ROOTHAAN

PRÆPOSITO GENERALI

SOCIETATIS JESU

HUNC LIBRUM IN PIGNUS SUMMAE AC FILIALIS ERGA EUM

REVERENTIÆ ET AMORIS

DEMISSISSIME DEDICAT

AUCTOR.

PRÆFATIO.

Quod usu quodamodo consecratum est, ut libris recenter editis prologi instar quædam præmittantur, id in promulgatione hujus libri non tantum opportunum, sed omnino necessarium duxi. Clare enim scopus ejus præ oculis figendus est, ut optato cum fructu adhibeatur.

Consilium nempe in edendo hocce volumine non potuit illud esse, ut ita explanatus S. Patris liber in ipso Exercitiorum usu, considerationi propriæ textus ipsius substitueretur. Hoc enim si fieret, sine dubio illud quoque eventu comprobaretur, quod Adm. Rev. Pater Noster in sua encyclica epistola "*De spiritualium Exercitiorum studio et usu*" dolet; nempe "ut, qui ita aliorum meditationes assumat, ut non *ipsa* verba libelli per *semetipsum* expendat, sed in alterius sermone conquiescat, lectione potius, quam meditatione in sacro secessu occupetur, ut quæ absque multa mentis et cordis applicatione percurrit, sine multa quidem defatigatione, sed etiam sine multo fructu percipiat." —

Verum A. R. Pater Noster ideo non reprobat studium eorum, qui meditationibus librum S. Patris explanare conabantur; nec usum et lectionem horum voluminum inutilem judicat, sed diserte addit: "poterunt *plerique* illi Exercitiorum spiritualium libri utilitate sua non carere, si quis illis *extra* Exercitiorum tempora utatur; si eos *identidem* pro lectione spirituali assumat; si eos adhibeat dum ad populum dicendum est, ut inde apta ad auditorum animos illuminandos et excitandos argumenta depromat." Eo magis itaque explanationes hujusmodi utilitatem adferent, siquidem Clero vel Religiosis danda sint Exercitia, ut toties evenit, et ubi subsidio tali multum juvamur.

Interim non diffitetur A. R. Pater Noster sed vehementer dolet, quod auctores *plerique* in hujusmodi libris Exercitiorum mentem S. Patris vix obscure assecuti sint, et quod nec *verba ejus* servaverint,

sed sua sensa sensis Ignatii substituerint; sicque Exercitiorum vim enervaverint potius, quam in animos legentium derivaverint".

Perpendenti itaque mihi, quam gravia hæc sint pro Nostris monita, visa est non defutura consilio utilitas, siquidem liber S. Patris juxta textum ab Adm. Rev. Patre Nostro ex Autographo expressum, eo modo meditationibus explanaretur, ut ferme *tantum* verba S. Patris, aut vero textus S. Scripturæ ab Ipso inter Mysteria Vitæ Christi Domini Nostri allegati, expendantur, et ad Vocationis nostræ rationem applicentur.

Ita enim ex *una* parte removetur periculum, ne nostra sensa sensis S. Patris substituantur, sed potius id efficitur, ut medulla quasi meditationum ipsis *verbis* libelli S. Patris adhæreat. Ex *altera* parte autem hac methodo is, qui meditationem talem pro lectione spirituali sive tempore Exercitiorum, sive extra illa pro præparatione ad meditationem adhibet, non impeditur, sed potius excitatur et juvatur, ut *propria* consideratione verbis S. Patris insistendo, in meditatione vim eorum in se experiatur, et fructum capiat.

Si quis autem in meditationis usu nondum satis versatus est, vel extraordinaria ariditate laborat, hic ex lectione libri, qui tantum verba textus libri Exercitiorum expendit et nostræ vitæ rationi applicat, poterit forsitan hinc inde ex parte defectum supplere, qui in ipsa meditatione contigerat.

Imprimis autem Patribus tertiæ probationis, qui *ex integro* Exercitia faciunt per mensem, ingratus non accidet labor noster. Etsi enim plures dentur Exercitiorum libri, qui Exercitia ex parte pertractent, *exiguo* tamen sunt numero, qui totam seriem Exercitiorum complectantur.

Spectat autem subsidium, quod ex usu harum meditationum capere possunt, potissimum *secundam*, *tertiam* et *quartam* Hebdomadam.

Prima enim Hebdomas, et Pars potior *secundæ*, et *tota* Exercitiorum spiritualis ædificii admiranda ratio et compago, recentissime copiosis adnotationibus Adm. Rev. Patris Nostri ubertim illustrata fuit. Verum meditationes de Mysteriis *Vitæ* Christi Hebdomadæ II. et magis adhuc III. et maximæ IV. propter strictissimam synopsin textus, pluribus difficultatem adhuc haud modicam creare solent.

Accedit, quod de Apparitionibus in Hebdomada IV. considerandis, et de toto hujus Hebdomadæ IVtæ scopo, satis frequenter non usquequaque rectus habeatur conceptus; quasi nempe Hebdomas hæc, mi-

nus praxim spectet, quam potius cordis affectum ; et tamen tota est in excitando ac nutriendo *amore operoso ;* id quod non advertisse vel neglexisse, in fine Exercitiorum, qui opus totum coronare et complere deberet, utique valde dolendum esset.

Cæterum, etsi usus libri, et meditationum in eo contentarum comparatio, imprimis spectet Patres Societatis, plurima tamen sunt, quæ omnibus nostræ vocationis hominibus sunt communia, et ideo ad usum quoque omnium accommodari facile poterit.

Hoc itaque consilium operis, et hæc ejus comparatio, ut videlicet aliquid Deo adjuvante conferat ad acuendum studium Nostrorum in meditando libro Exercitiorum S. Patris juxta *ipsa* ejus verba ; quem scopum si assecutus fuero, defectus, qui operi insunt, lectoris proprio studio abunde compensabuntur.

Et hæc summa votorum nostrorum in exhibendo hoc argumento fraternæ nostræ erga omnes confratres Reverentiæ et Charitatis. "*Frater enim qui a fratre juvatur, quasi civitas firma*" ait S. Scriptura (Prov. 18, 19). Hoc autem mutuum charitatis officium, quantum vires infirmæ ferunt, utique ibi rectissime adhibetur, ubi totum robur Nostræ Societatis quasi in suo fundamento firmatur ; nempe in Exercitiorum sacrorum praxi, in qua ideam Societatis S. Patri divinitus objectam fuisse, ex Vita S. Fundatoris constat.

Hoc autem anno consilium hocce ideo imprimis exequi placuit, quia annus vertitur *sæcularis* approbati a S. Sede libri Exercitiorum S. Patris nostri ; approbati nempe a Paulo III. Summo Pontifice anno 1548 die *ultima Julii*, nunc festo S. Ignatii inclyto !

Utinam explanatio hoc nostro labore assumpta talis sit, quæ ad assiduum atque legitimum usum libri ipsius S. Ignatii quam plurimum conferat, sicque promissio divini Spiritus in Nobis omnibus ubere cum fructu adimpleatur : "*qui honorat* PATREM *suum — in die* ORATIONIS *suæ exaudietur* (Eccl. 3, 6.)." Quis enim major S. Patri Nostro honor exhiberi poterit, quam si verba ejus fideliter pro argumento nostræ cum Deo conversationis assumantur. Nullum porro dubium, quod, qui ita Patrem honoraverit, etiam illam promissionem divinam in se experturus sit : "*qui honorat Patrem — refrigerabit Matrem* (Eccl. 3, 4.)" nempe refrigerabit et consolabitur Vocationis suæ fidelitate dilectam suam et æstu persecutionum, imprimis hoc tempore, vehementer nimis jactatam Societatem.

CINCINNATI, O., die 27. Sept. 1848.

"Meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia, quæ scripta sunt in eo : tunc diriges viam tuam, et intelliges eam."

Josue 1, 8.

INTROITUS AD EXERCITIA.

MEDITATIO PRÆPARATORIA.

"Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor ejus."
Oseas 2, 14.

Advenerunt anima mea dies salutis. En tempus acceptabile et ab æterno jam ad augmentum salutis tuæ divinitus destinatum.—Ingredere itaque mente et quidem festivo cum gaudio, Manresianum illud antrum, ubi S. Pater spiritus sui initia posuerat, et ubi menti suæ magnum illud Divinæ Providentiæ opus communicatum fuerat, videlicet Institutum Societatis, cujus tu membrum es, infirmum quidem et per multas negligentias in profectu spirituali infirmatum ac debilitatum; sed eja, jam tempus adest, ubi omnia in pristinum vigorem revocari, immo ad completam sanctimoniam perduci possunt. Ne itaque cuncteris, sed magno animo, purissima intentione, et desiderio cordis intenso valde, utere hac pretiosissima occasione, a qua quidquid in tempore et æternitate futurus es, imprimis pendet.

Ita Domine ac Creator meus! ad sacræ solitudinis hujus ingressum jamjam constitutus ad Te ego vilissima creatura tua levo oculos meos. Permitte, o Deus meus, quæso, ut negotii quod auspicaturus sum gravitatem pro dignitate et momento serio expendam; sed et emitte Spiritum S. tuum, atque radium lucidum gratiæ tuæ e corde Filii tui in cor meum immitte, sed gratiæ quæso valde efficacis; durus enim sum nimis, et cæcus totus; non movebor neque intelligam nisi manu forti me apprehendas Domine, et oculos meos ipse aperias.— Hoc autem eo impensius a Te flagito quoniam ab animo et modo, quo tempus sacrum hoc auspicor, fructus ejus fere omnis pendet.

Ego interim ut quantum ex me est nihil prætermittam, argumenta quædam atque motiva expendam, quæ cor meum præparare valeant, ad peragenda omni cum spiritus fervore, hæc gratia tua plena exercitia.

ORATIO PRÆPARATORIA.—Elice actum fidei de Præsentia Dei, et offer omnes cogitationes, desideria et proposita hujus meditationis ad majorem Dei gloriam.

PRÆLUDIUM I.—Contemplare S. Patrem Ignatium in antro Manresiano meditantem, et exercitia obire incipientem.

PRÆLUDIUM II.—Erit petere fructum præsentis meditationis; ut videlicet obtineam illam animi dispositionem, qua cum S. Ignatius exercitia incœperat atque perfecerat ad majorem Dei gloriam, et animæ salutem.

PUNCTA.

1. *Ecce nunc dies salutis—dies innumerabilium gratiarum.*

Habet utique, *gratia*, sine qua nihil, cum qua vero omnia possum, tempus suum. Hoc nisi utar, abit illa, nec fors revertetur amplius in æternum! — Tale tempus nunc adest; utar itaque illo.— Pauci tantum sunt dies; at gratia pleni. Quale lucrum si illis usus fuero bene et plene. Quale vero damnum si male?!

2. *Tempus hoc ex singularissima* DEI *erga me Providentia et Bonitate datum est mihi præ integris populis et gentibus.*

Vere quam pauci sunt in terra homines, quos Deus tali gratia dignatur. Ego nunc cum DEO meo conversabor; et interim regna integra sæcularibus negotiis, bellis et aliis motibus perturbantur; ego vero in pace solus cum DEO meo agam,—o quam beatus!—Forsitan super universam faciem terræ modo nec centum animæ hoc bono divinissimo fruuntur; et si quidem menstrua exercitia perago, exceptis confratribus meis, fors nulla anima super terram hoc efficacissimo medio salutis nunc gaudet; et ego non omni cum diligentia et fervore utar illo? Absit a me Domine ingratitudo talis!—

3. *Exercitia quæ peracturus sum, societatis nativum quasi elementum et alimentum sunt.*

Quidquid in Societate sum et in illa aliquando esse spero, hoc exercitiorum opera et virtute sum et ero. Societas enim ex Divinæ Providentiæ ordinatione eo elemento vivit et sustentatur in quo nata est, videlicet in et ex sacris exercitiis; — ergo neque ego aliunde Spiritum et

vitam Societatis hauriam nisi inde. Et quid quæso ampluis ardentiusque quæro, quam status perfectionem, a qua omnis mea securitas et beatitudo pendet, quæ futura est, et nunc jam obtinet. Quam enim bonum et jucundum est habitare fratres in unum, in amore et fervore vocationis et cum spe firma salutis.

4. *Agitur imprimis in his Exercitiis de anima.*

Ita plane, agitur de anima mea *unica*, quæ si periit, omnia pro tota æternitate pro me pereunt, et miser ero in tormentis sempiternis; contra, quam si salvavero, *beatus* ero in cœli gaudiis pariter in sempiternum. Audi anima mea et meditare: *multi* sunt vocati, *pauci* vero electi. *Arcta* est via quæ ducit ad vitam (a). Audi monitum angeli: "*salva animam — salva animam*" (b). Forsitan recte ab *hisce* exercitiis quæ modo peracturus sum, salus animæ meæ pendet, et beata æternitas!

5. *Tandem forsitan exercitia hæc, quæ modo auspicaturus sum— sunt ultima quæ peragam.*

Hæc si scirem quomodo illa peragerem? O quot viri etiam ex confratribus quos bene novi, optima in ætate et sanitate exercitia peregere, quasi sæpe reditura et tamen — erant pro illis *ultima!* Quid si pro me hæc ultima essent Exercitia?

AFFECTUS. — Faciam itaque Domine faciam, quod facturus sum, omni possibili cum perfectione, qualis exigitur in opere tam gravi, tam salubri, tam necessario. Verba tua Domine Jesus: "*porro unum est necessarium*," (c) quasi modo ex ore tuo benedicto, ad me directa audio et ad negotium præsens applico:

Hoc unum necessarium: *ut exercitia hæc perfecte peragam.*

Hoc enim medio si probe usus fuero,—salva sunt omnia.

Faciam itaque exercitia hæc, quasi in ipso Antro Manresiano essem, et quasi ipse S. P. meus Ignatius, mihi daret meditationum puncta, mentemque meam hac sacra ascesi excoleret; et ideo ejus libellum assumam. Ipsum dico ejus libellum. Ipse dux præcedat; ipse mihi loquatur, ipsumque audiam eo modo et sensu, quo Spiritus S. dignabitur mihi verba oris ejus explanare, ut sint mihi spiritus et vita.

Peragam exercitia hæc *integre* atque *perfecte*, servatis additionibus *omnibus* quam *accuratissime*; ne in *minimis* deficiens perdam maxima. Sit mihi ordo diurnus sacer, meditationes singulæ usquequaque validæ, sensuum custodia summa, ut non videam nisi veritates æternas, non audiam nisi Deum ad cor meum loquentem, (d) non loquar, quantum ex me pendebit, nisi cum Ipso.

COLLOQUIA.—Ne autem propter nimiam meam imbecillitatem his propositis meis desim, sis mihi tu Pater hisce præsertim diebus Pater misericordiarum et Deus totius consolationis.—Sis mihi tu Fili largitor gratiæ multiformis.—Sis mihi o Sancte Spiritus illuminatio, virtus et fortitudo. Tuam vocem, qui spiras ubi vis audiam et quocunque vocaberis sequar. Ita per Te Domine Jesu precor et per sanguinem tuum peto; fac ut largius his in exercitiis hausto Societatis spiritu genuinus socius tuus efficiar; imprime cordi meo characterem consortii tui, virtute S. Nominis tui, ut proficiam perseveremque fidelis usque ad mortem.

O beatissima, et amabilissima mater mea S. Maria, regina Societatis! sub tuum præsidium confugio; monstra te esse matrem, præsertim his diebus. S. Joseph, tuo patrocinio me commendo. S. Archangele Michael, comprime tua potentia diabolicas potestates, ne DEI opus audeant interturbare.

Tu, S. Pater Ignati, tu ipse edoce filium tuum et monstra te esse Patrem. S. Francisce Xaveri, omnesque Societatis Patroni, vestra intercessione memores mei sitis, ut vobis similis efficiar. Tu vero S. Angele custos semper mihi adsis, ut quod divino cum auxilio te hortatore ac duce cœperam, feliciter quoque consummem. Amen.

---

a) *Matth.* 7, 14.—*b*) *Gen.* 19, 17.—*c*) *Lucc.* 10, 42.—*d*) *Ps.* 84, 9.—*e*) *Joann.* 3, 8.

I. HEBDOMADA.

PRINCIPIUM ET FUNDAMENTUM.

Oratio Præparatoria, ut supra. —

Præludium I. — Erit videre visu mentis Adamum in Paradiso, quem post creationem Dominus et Creatur Deus edocet de sua et totius generis humani fine et destinatione.

Præludium II. — Erit petere a Deo instanter, ut intelligam finem propter quem creatus sum; sed ita ut gratiam quoque efficacissimam mihi perquam copiose largiatur, ad formanda proposita talia, quæ Principium et Fundamentum constituant renovationis Spiritus mei per hæc exercitia efficiendæ. —

O Domine qui Te ipsum Principium nominasti (a)— et qui Fundamentum es, præterquam nemo potest ponere aliud (b), — nunc omnipotenti gratiæ tuæ auxilio, remove quæso obstacula, quæ mihi impedimento esse possint, quominus a Principio et Fundamento hoc de quo meditaturus sum, vere incipiam illudque quam profundissime in animum meum demittam. — "*Notum fac mihi Domine finem meum ... ut sciam quid desit mihi*" (*Ps.* 38, 5 *et* 6).

PUNCTA.

Quatuor a se dinstincta puncta continet Principium hoc et fundamentum, singillatim meditanda, velut quatuor latera hujus lapidis fundamentalis totius ædificii perfectionis nostræ. *Duas* nempe *Veritates* fundamentales; et *duo* inde deducenda et cum eisdem per omnia connexa *Corollaria*. Nempe veritas prima, profundissima meditatione a me nunc expendenda ita sonat:

I.

"*Homo creatus est, ut laudet Deum Dominum nostrum, ei reverentiam exhibeat, eique serviat, et per hæc salvet animam suam.*"

Hæc verba dum ad me ipsum refero, quemadmodum debeo, ita et non aliter sonant: Creatus sum, ego— *homo*— ad hunc finem ut Deum meum et Creatorem laudem, — reverear — ei serviam — et tandem salvus fiam. Singula verba, expendam serio admodum:

"*Creatus sum*". A Creationis ergo memoria principium exercitiorum atque fundamentum exurgit. Simili modo ac S. Scriptura ipsa exorditur: "*In principio creavit Deus coelum et terram.*" — Sit etiam mihi Domine renovatio mea præsens quasi *nova creatio.*

"*Creatus sum,*" eductus sum itaque omnipotentia Dei ex *nihilo.* — Erat tempus quando *non fui ;* et quidem quot millia annorum utique effluxere, in quibus populi innumeri jam extitere; at ego non fui. Verumtamen *modo sum — existo — vivo ut vivam in sempiternum*, non enim veniet in æternum tempus, in quo non ero.

Itaque *ego* qui hæc lego et meditor:

Ex nihilo, creatus sum *homo.*

Ens sum *ad similitudinem Dei factum —*

Ens sum — *rationale* — Ens sum *immortale.*

O quot milliones entium in rerum universitate conspicio, quæ hac prærogativa non gaudent. — Claudam itaque oculos meos et hæc expendam identidem, magna cum recollectione mentis.

Et in quem *finem* creatus sum homo. Memento, Memento et erectis cordis tui auribus, audi finem tuum anima mea: Creatus sum homo in hunc et nullum alium finem, videlicet: Ut Deum meum laudem, reverear, serviam ipsi, et sic me salvem. En finis nobilissimus et simul beatissimus existentiæ meæ; et quidem per se facilis obtentu.

Quid enim æquius, quid rationabilius, quid facilius quam ut Deum meum *laudem.* Numquid enim non ipse est Ens perfectissimum, Ens Æternum, Omnipræsens, Omnipotens, Omniscium, Sanctissimum, Principium et finis universorum; Creator, Conservator, Salvator meus; — quæ perfectiones omnes et singulæ per se jam animum ad laudem Dei inflammant. Quid enim laudem nisi bonum summum, et simul Bonum meum, a quo omnia habeo: corpus et animam, cum viribus omnibus, omnia quæ video et quibus utor: intellectum meum, memoriam, et voluntatem. Quid itaque quæso æquius jucundiusque quam ut quæcunque oculis video, auribus audio, sensibus percipio *ad laudem Ejus* videam, audiam, sentiam qui hos sensus mihi dedit. Quid æquius quam ut quæcunque intelligam mente, memoria recolo, voluntate amplector,

ad laudem Ejus intelligam, reminiscar, velim, qui mihi dedit intellectum memoriam et voluntatem. Ut *Eum* amen ex toto corde, qui cor mihi dedit Ipse. — Vere nisi ingratissimus mihimetipsi videri volo, *laudem Deum* necesse est (b). Alterum est ut *reverear* Eum ; quo quid iterum æquius, quid facilius ? Omnes enim perfectiones infinitæ quæ ad Dei laudem me invitant et quasi pertrahunt, reverentiam erga Ipsum cordi infundunt. Cognoscens enim simul imperfectum meum quomodo non *reverear* Ens Perfectissimum cujus Gloriam et Majestatem enarrant cœli et universi mundi ornatus et magnitudo (c).

Verum non sufficiunt laus et reverentia sola, sed necesse est *serviam* Deo meo, faciendo per omnia ejus mihi cognitam voluntatem (d).

Sed et hoc, quam æquum et rationabile est, ut faciam videlicet voluntatem ejus, cujus voluntas mihi meum esse dedit. Utique, quam æquum et rationabile est ut faciam voluntatem Sanctissimi, Sapientissimi, Omniscii, Benignissimi Dei mei, Domini et Patris. Quomodo enim nisi per summam dementiam et improbitatem, ingratitudinemque ausim ego creatura imperfecta, meam propriam voluntatem præferre voluntati Creatoris et DEI mei ? — Estque hæc animi mei dispositio signum evidens num DEUM meum revera *amem* quoque super omnia.

Quare si finis meus, si salus mea mihi cordi est, clamem ex toto corde necesse est : "*Domine quid me vis facere.*" — "*Loquere Domine audit servus tuus* (e)."

Habet quidem hoc officium suas difficultates, quoniam ut notum est in lucta positi sumus cum inimicis potestatibus, quæ nos in servitio Dei turbant atque ab illo abstrahere conantur. At liber sum quoque, et ideo nihil nec mundus totus nec totus infernus potest me impedire, si modo serio *volo* —; et quomodo non vellem, cum ab hoc expleto officio meo in terris pendeat : *num salvus fiam in æternum.* Servire Deo *prius* est; salvare animam *posterius.* Servire Deo eo modo quo is vult — hoc est omnis homo, hoc unicum necessarium meum officium super terram; hæc meta omnium, quæ cogitare, desiderare, agere debeam in vita; immo etiam in morte : "*Sive enim vivimus, sive morimur Domini sumus*" (f); sed et semper *erimus.* Ita enim audio DEUM et Dominum meum loquentem "*Ego enim ero merces tua magna nimis*" (g).

O qualis et quanta destinatio mea; quam pulchra, beata et felix conditio ! Creatus sum ut aliquando in æternum salvus fiam; sub una tantum hac conditione : ut pro tantillo temporis momento, quo vita mea præsens durat, DEUM meum laudem, reverear eique serviam, cui servire, regnare est. — Et ego non gaudeam toto cordis jubilo — et identidem renovata recordatione fundamentalem hanc veritatem in fundum animi demittam : Creatus sum a DEO pro DEO, ut per Ipsum et in Ipso salvus sim atque beatus nunc et in æternum !

II.

"Et Reliqua super faciem terræ (sita), creata sunt propter hominem, et ut eum juvent in prosecutione finis, ob quem creatus est".

Quam varia, quam multifaria atque innumerabilia plane sunt, quæ in orbe præter me, ex nihilo creata conspicio: Ecce Astra cœli, ecce sol resplendens et luna, nubes, aer, volucres cœli, terra, et mare cum innumerabilibus plantis et animantibus; ad quid hæc omnia Domine? Omnia, hæc — anima mea — propter te creata sunt. Est enim homo finis mundi aspectabilis quemodmodum fides docet, et historia Creationis confirmat. — At *homo* ego sum. — Paravit itaque mihi DEUS Creator hoc domicilium mundi, quem ad meam conservationem conservat quoque. — Numquid non ipse mundi conspectus hujus veritatis me admonet? Circumspiciens nempe in orbis meditullio quasi me positum deprehendo. — At in quem proprie et ultimo finem creata sunt hæc omnia propter me? — In hunc finem, ut me in prosecutione finis propter quem ipse creatus sum *juvent*. — Iuvent — non *impediant* — Iuvent ergo *non indifferentia sint*. — *Juvent* efficaciter, ut DEUM laudem, non ut hoc impediant. — *Juvent* ut DEUM meum reverear, non ut hoc impediant. — *Juvent* ut DEO meo serviam non ut hoc impediant. *Juvent* ad hoc omnia nempe:

1. *Contemplatione*, ascendendo nempe ex consideratione creaturarum ad cognitionem Creatoris mei, ad cognitionem illius increatæ Sapientiæ, Potentiæ, Bonitatis, Pulchritudinis — cujus nutu facta sunt.

2. *Usu*, recte utendo illis ad DEI servitium, laudem, et reverentiam.

3. *Abstinentia*, quando videlicet, et ubi ad DEI servitium immediate non conferunt, sed obsunt, maxime in præsenti statu corrupto naturæ nostræ. Et hoc ultimum maxime et frequentissime necessarium. Nisi enim in usu creaturarum mihi imperem propriæque voluntati et inclinationi naturæ multa negem, certo certius et in illarum usu modum excedam, neque ex illarum consideratione ad Creatorem ascendere potero, sed iis ipsis hærebo affixus et infixus. — *"Si dederis animæ tuæ concupiscentias ejus, faciet te in gaudium inimicis tuis (h)."*

En quæ mea existentia, quis *finis* meus; — quæ existentia et quis *finis* omnium aliarum rerum extra me. — Quæram jam ex me: Num ego hunc finem meum et rerum omnium reliquarum unquam probe perpenderam? Hoc si esset, alius essem, sanctus essem. O DOMINE DEUS ne permittas hanc veritatem in hac hora meditationis oculis meis quodamodo præterlabi, quin penitus cor meum penetret, et maneat in illo semper efficax, ut semper magis perfectiusque in voluntatem meam agat. —

Agitur enim de fine meo, agitur de principio et fundamento perfectionis et salutis meæ. Ne cesses Domine gratiæ tuæ inspirationibus efficaciter mihi acclamare : Creatus es ad meam gloriam et ut salvus fias ; omniaque juvent te ut hoc ipsum fiat.

III.

"*Unde sequitur, homini tantum utendum illis esse, quantum ipsum juvent ad finem suum, et tantum debere eum expedire* (*retrahere*) *se ab illis, quantum ipsum ad eum* (*finem*) *impediunt.*"

En Corollarium primum veritatis præcedentis, et a cujus exercitio pendet omne momentum practicum eorum, quæ hucusque meditatus sum de fine propter quem creatus sum et reliqua propter me.

Ex duplici nempe hac veritate fundamentali, duplex pariter pro vita mea enascitur officium fundamentale, nempe *utendum* esse rebus vel vero ab eis *abstinendum.* Utendum nempe esse rebus extra me positis, *eatenus* (ita plane *eatenus* ; respiciendus nempe semper est *finis*) *quatenus* ad *prosecutionem* ejusdem me *juvant* ; vel contra ab eis abstinendum esse quatenus *obsunt.*

O Bone DEUS quanta itaque non cum circumspectione in hac vita tot rebus negotiisque turbata me incedere oporteret ; et quanto non deberet esse mea attentio: possunt enim omnia mihi ad finem a quo tota pendet æternitas possunt vel *prodesse* vel etiam *obesse* ; possunt *juvare* possunt etiam *impedire.* Væ si hoc ultimum locum haberet !

Et unde hoc pendet ? Non quidem ex ipsis rebus. Quæ enim tu Domine creasti ex se omnia bona sunt (i) ; et etiam quæ permittis non possunt per se saluti meæ obesse. Unde ergo hoc ? Ex mala *electione* ; et quod inde sequitur ex libero et malo illorum *usu* (k).

"*Quapropter* (*quod ut assequamur*) *necesse est facere nos indifferentes erga res creatas omnes, quoad concessum est libertati nostri liberi arbitrii, et non prohibitum, adeo ut non velimus ex parte nostra magis sanitatem quam infirmitatem, divitias quam paupertatem, honorem quam ignominiam, vitam longam quam brevem, et consequenter in cæteris omnibus, unice desiderantes et eligentes ea, quæ magis nobis conducant ad finem, ob quem creati sumus.*"

Habes hic anima mea novum corollarium practicum ad consequendum finem tuum ultimum, necessario in praxi deducendum, et hoc per omnia et in omnibus. Necesse est, ita plane *necesse* est. Absolutæ enim auctoritatis sunt rationes quæ ut idipsum fiat urgent et exigunt. Necesse est, ut faciam me indifferentem erga res creatas omnes quoad usum vel non usum juxta rationem finis mei. Hanc indifferentiam animi exigit a me debita DEI laus, reverentia et servitus. Exigit eam proprium meum

commodum. Quidquid enim ab hac indifferentia sancta detraho *differentiam* constituet et declinationem ab ipso fine propter quem creatus sum, et sic impedimentum evadet salutis. Videsis quomodo etiam hic extrema se at plane diversa ratione tangant. Extrema videlicet *incuria* salutis, quæ indifferens est relate ad finem ipsum *ad Deum ;* contra *summa salutis cura* quæ ad *indifferentiam* perfecti æquilibrii se componit relate ad res *creatas* — tamquam *media* ad finem, prout videlicet et quoad concessum est libertati nostri liberi arbitrii et non prohibitum. En libra secundum quam eligam per liberum arbitrium ; libra secundum quam ponderabit DEUS aliquando pondus actionum mearum in Judicio. Non enim exlex natus sum. Sed DEUS, qui liberum arbitrium dedit ad electionem, dedit etiam mihi normam legis pro electione, per rationem et fidem. Utere illa anima mea si salva esse cupis. Ita Domine—fiat!—Fretus libertate qua me donasti vincam me ipsum cum tua gratia. Fugiant jam omnes inimicæ potestates a facie hujus mei consilii et inviolabilis decreti; fugiant cum omnibus tentationibus adversis, quæ mihi totidem impedimenta essent, quominus cum S. Paulo toto corde exclamem : "*Domine quid me vis facere*" (l).

Sunt autem objecta hæc captivantia liberum arbitrium, non in obsequium laudis, reverentiæ et servitutis Domini, verum potius in obsequium laudis, reverentiæ et servitutis mundi et creaturarum, hæc quatuor :

Amor sanitatis atque sensualitatis universim; *amor* divitiarum; *amor* honoris; *amor* vitæ longævæ. Hic lapis quadrangularis et fundamentalis fabricæ diabolicæ ad ducendam vitam quæ deviat a fine ultimo.

Amor hic, sicut ad sectanda objecta suæ inclinationis inordinate impellit, sic ab oppositis inordinate absterret; videlicet a tolerantia ægritudinis, doloris, paupertatis, contemptus et jacturæ hujus vitæ temporalis; et potius animo ingerit horrorem ægritudinis, horrorem paupertatis, horrorem contemptus et mortis ; nullo habito respectu ad DEUM. —

Sed quam hæc sint irrationabilia, perversa, et in perniciem trahentia jam probe intellexi. "*Necesse enim est ex omnibus et in omnibus ea demum quæ ad finem ducunt et eligere et desiderare.*" Licet concupiscentia aliorsum trahat, meum est non secundum concuspiscentiam sed secundum fidem et rationem quæ fini conveniunt res dijudicare, eligere, desiderare. Fini dico propter quem *creatus* sum. Nota hic quod primum et ultimum verbum Fundamenti *creationem* tibi in memoriam revocet; quoniam revera omnia quæ continet et exigit hoc fundamentum a te, in essentiali relatione creaturæ rationalis et liberæ ad suum Creatorem fundantur, cui *subsit* et ad quem *mediis* omnibus tendat. —

Nota porro parenthesin additam, nempe : indifferentes simus quoad *concessum* est libertati liberi nostri arbitrii et non *prohibitum*.

Nam quam primum aliquid in particulari bonum aut malum, cum Dei voluntate conforme aut difforme apparet, non ero indifferens sed illud eligam oportet, hoc rejiciam. Quare si Deus me vult sanum, divitem, honoratum, longævum, hoc ipsum etiam ego eligam, præferendo non meam naturalem inclinationem, sed pure Dei voluntatem, et consequenter hæc suis oppositis ; quæ licet aliis media efficaciora soleant esse ad finem consequendum, tamen *mihi* non essent, quia non essent *pro me* divinitus præordinata media efficaciora salutis. — Fatendum tamen quod cum via crucis propter mysterium Redemptionis sit pro omnibus via salutis, nec mihi licet sano, diviti, honorato, longævo, defuturum quibus patientia mea in adversis exerceatur. —

Intellexisti hæc omnia anima mea ! — et an modo hoc fundamentum ita meditata es ut tibi fiat firmamentum et medium principale omnium mediorum quæ electura es ad prosecutionem finis tui ? En quæ et quanta pendeant ex fructu hujus mediationis ? ! Quam felix si genuinus et solidus est ; quam miser tu vero si infirmus aut nullus. Adhuc tibi semel iterumque acclama : Finis tuus solus est Deus — tu totus quantus illius sis. *Renuntias ;* ita in Baptismo interrogata fuisti, ut ingressus tibi pateret in Ecclesiam externam Christi. *Renuntias ;* ita etiam modo a te exigitur, ut per novum Baptismum Spiritus S. introeas Ecclesiam electorum ; eorum nempe qui salvi fiunt, via secura, via regia Sanctorum.

Et ita Domine sit et fiat ; abrenuntio verbo et corde, corde et opere inordinatæ consuetudini vitæ meæ hucusque peractæ. Creatus sum in hunc finem *homo* ut salvus fiam. — Quid autem juvaret creatum fuisse si pereo ! Quare adjuva me Deus et Creator meus. Potuerunt cum tuo auxilio tot jam Sancti illud quod a me exigis ; potuerunt hi et hæ, quare non ego possem, dummodo tua gratia Domine utar, et me componam ad necessariam illam quam meditatus sum *indifferentiam* erga res omnes ex nihilo creatas. Agitur de mea æternitate, ita ut si quædam propter Te missa in tempore faciam, in te Ipso Domine inveniam totum quo cor beari potest et hoc pro omni æternitate. — Fiat itaque voluntas tua Domine, mihi in hac hora tam clare manifestata. Volo jam Tibi soli vivere per omnia et in omnibus ad majorem tui Nominis gloriam, non quærendo me sed Te. Erat hæc resolutio efficax, in tot aliis fructus præsentis meditationis ; erat præsertim in tot Patribus primitivæ Societatis, modo tam præcellenti et stupendo. O si etiam fructus esset præsentis horæ in me. — Ita Domine ; sim totus tuus ab hoc momento, ut Te glorificem ad finem usque, et salvus fiam. Amen. Amen.

---

a) *Ioan.* 8, 25.—*b*) 1. *Cor.* 3, 11.—*c*) *Ps.* 33, 2 ; *Philipp.* 1, 4 ; *Ps.* 47, 2.—*d*) *Eccl.* 12, 13 ; *Matth.* 6, 10.—*e*) *Act.* 9, 6 ; 1. *Reg.* 3, 9.—*f*) 1. *Rom.* 14, 8.—*g*) 1. *Gen.* 15, 1. *h*) *Eccl.* 18, 31.—*i*) 1. *Gen.* 1, 31.—*k*) *Eccl.* 15, 17.—*l*) *Act.* 9, 6.

EXERCITIUM I.

Cognito fine hominis convertimur ordine necessario ad considerationem *impedimenti* contra hunc ipsum finem, et quod non est aliud quam, *peccatum*. Hoc itaque S. Pater et quidem in effectibus suis in exemplis aliorum considerandum primum proponit, quo sic certius horrore nos impleat, et animum ad meditanda sequentia cum fructu disponat.

ORATIO PRÆPARATORIA — est petere gratiam a DEO Domino nostro, ut omnes meæ intentiones, actiones et operationes in præsenti meditatione pure ordinentur in servitium et laudem suæ Divinæ Majestatis.

PRÆLUDIUM I. *Erit visu imaginationis videre animam meam esse in hoc corpore corruptibili* (*tamquam*) *in carcere sive ergastulo quodam inclusam, et totum compositum in hac valle, tamquam exulans* (*ejectum in exilium*) *inter bruta animalia. Dico totum compositum animæ et corporis* (*sc. me totum*).

Quam turpis res est cadaver mortui; et quid corpus meum aliud est quam cadaver quod incolo, velut carcerem. Hoc quot compedes habet, tot vinculis stringor; et sic tamquam cadaver vivum ambulo inter bruta exul, in hac miseriarum valle. Hoc præludium per se ad alterum animum meum parat. Nempe

PRÆLUDIUM II – *erit, ut pudorem, et confusionem mei ipsius petam, cum videam quam multi damnati fuerint ob unicum peccatum mortale, et quam sæpe ego meruerim damnari in æternum ob tam multa mea peccata.*

Quidni miserabilis homuncio qualis sum ego, num non confusione atque pudore suffundar statim quamprimum me ipsum considero? et tamen non valeo nisi a te Domine id poscam et vehementer flagitem. Nihil enim ex me tamquam ex me ad salutem possum; neque confundi et erubescere de tot commissis a me peccatis, deque toties promerito inferno; cum tamen alios et quidem quam plurimos videam dudum jam ad infera detrusos, qui minus peccarunt quam ego, et nonnullos plane propter unicum peccatum. — Et quid dicam nonnullos? numquid non omnes lapsos angelos propter unicum peccatum video coelo deturbatos in ignem æternum? et ego non confundar totus! Sit mihi Domine per tuam gratiam confusio salutaris, atque ingens horror peccati præsentis meditationis fructus; ita supplex oro per Jesum Christum Dominum nostrum. Amen.

PUNCTUM I.

"*Punctum primum erit trahere* (*applicare*) *memoriam super primum peccatum quod fuit Angelorum, et deinde super idem intellectum discurrendo; deinde voluntatem, volendo totum illud memorari et intelligere, ut magis erubescam et confundar, trahendo* (*ducendo*) *in comparationem unius peccati Angelorum, tam multa peccata mea: et* (*considerando*) *cum illi ob unum peccatum iverint in infernum, quam sæpe ego hoc idem meruerim ob tam multa.*" —

Malitiam peccati itaque contemplabor, et quidem quomodo hæc conspicua nimis quantum reddatur in peccato *primo* commisso, a *quo*? — ab Angelis! — ab Angelis propter unum hoc peccatum nunc æternum damnatis?! Numquid hæc non jam per se sufficerent, ad ingerendum statim mihi ingentem horrorem peccati.? Quod ut eo certius efficaciusque fiat adhibito *statim* discursu intellectus atque voluntatis motu, hæc omnia serio, attentissimeque recolam, ut totus quantus contremiscam, instigando me ad volvenda et intelligenda ea, per quæ erubescam et confundar totus. — *Dico instigando me.* — Hæc enim est principis tenebrarum cujus lapsum meditor suprema cura, ut dum ad meditandum nos accingimus, mentem ad alia distrahat, ita ut objectum meditationis post lectionem iterum quasi mente elabatur. Verum non ita fiet modo sed *instigabo* me et discursu *intellectus* et *voluntatis motu vehementi* considerabo modo hoc peccatum angelorum et totum mihi applicabo ad perhorrescendum peccatum et confundendum et humiliandum me coram Divina Majestate.

Investiga itaque atque considera anima mea, *quinam* fuerint illi qui hoc primum peccatum commiserunt; *quale* id erat, et *quid* inde consequens erat.

Vide empyreos coelos ante oculos tuos quasi reseratos et apertos, angelorumque contemplare infinitam multitudinem, quorum vel unus pulchritudine et splendore pulchritudinem et splendorem totius mundi aspectabilis longe superat. Omnes ecce in gratia omnipotentia Creatoris conditi fuere. Contemplare quanta intellectus claritas in singulis refulgeat, utpote nullo corporeo carcere impediti. — Quæ puritas et vis voluntatis in singulis resideat, utpote nullo motu concupiscientiæ affecta. Et quod omnia superat, en omnes per gratiæ unionem Deo uniti sunt, at nondum in eadem confirmati. — Probandi adhuc erant, et per rectum liberi arbitrii usum Creatori suo et Domino reverentiam obsequium et laudem præstare tenebantur.

Prout nempe in Fundamento de homine et ejus finem meditatus fueram, ita similiter angelus quoque in sua creatione ac probatione secum

ratiocinari debuit: Creatus sum angelus in hunc finem ut DEUM et Dominum meum laudem, reverear, ei serviam et me per gratiam ejus salvem.

Et quid? eritne possibile ut vel unus ex his angelicis spiritibus dubitet quid faciendum sit; eritne possibile ut vel unus ex spiritibus talibus contra DEUM in ipsis cœlis insolescat? Et tamen o libertas! o peccatum! Et quidem non unus, sed pars tertia, et quidem non ultimo angelo sed primo duce ruunt, unde? — quorsum? "*Nolentes se adjuvare ope suæ libertatis, ad exhibendam reverentiam et obedientiam suo Creatori ac Domino, devenientes in superbiam, conversi fuerunt ex gratia in malitiam et de coelo ad infernum præcipitati.*" Sic ergo in ipso momento probationis, peccando sola cogitatione, eodem *momento* omnes hi innumerabiles angeli per hoc unicum peccatum cogitationis conversi sunt ex angelis pulcherrimis, in diabolos deterrimos, — et in eodem momento fuerunt præcipitati de cœlo in infernum et hoc in ignem æternum!! — O angeli lapsi ubi nunc versamini?! "*Et amplius non est inventus locus illorum in coelis* (*a*);" at invenitur nunc locus illorum in igne inferni et manebit eis hic locus in æternum — in æternum! et hoc propter unum peccatum cogitatione commissum. Et ita consequenter necesse est discurrere magis in particulari per intellectum; et consequenter movendo magis affectus per voluntatem. — Et hoc quam facile erit modo quæ meditatus sum attendam, mihique applicem:

Peccavit *angelus*, creatura adeo sublimis; peccavit spiritus cœlestis et non perpercisti illi, o DEUS! peccabam ego vermis terræ, et mihi pepercisti!

Quid dico peccavit angelus? peccarunt angeli pene innumerabiles et *nulli* ne uni quidem pepercisti. — O DEUS misericordia mea! o bonitas infinita! Peccarunt angeli, sola cogitatione et non pepercisti — peccabam ego cogitatione, verbo, opere, et omissione, et pepercisti mihi!

Peccarunt angeli *semel* et de cœlo præcipitati sunt; peccabam ego toties et adhuc salvari possum!

Peccarunt angeli et in momento peccati, *judicasti* illos; et mihi menses et annos ad poenitendum concessisti!

Peccarunt angeli et non *redemisti* illos; ruebant et nullum retinuisti; peccabam ego, et manum misericordiæ tuæ infinitæ extendisti, coelum dereliquisti, in terram venisti, crucem et mortem pro me homo factus, sustinuisti, — et ego in corde meo proprio crucifigebam te iterum iterumque peccatis meis. O angeli lapsi! quam longe pejor sum vobis fors pejor te ipso Lucifer lapse! Quapropter ad orci fauces in spiritu me conferam et ibi flebo in flammas vestras o angeli damnati lachrymas pœnitentiæ et doloris. Non dignus ut coelum aspiciam, qui toties peccabam!

PUNCTUM II.

"*Secundum* (*punctum erit*) *idem facere — id est trahere* (*applicare*) *tres potentias super peccatum Adæ et Evæ, trahendo* (*ducendo*) *in memoriam, quomodo ob illud peccatum tam diuturnam fecerint pœnitentiam, et quanta corruptio genus humanum invaserit, tam multis hominibus ad Infernum euntibus.*" —

Secundum peccatum κατεξοχην tale, æque capitale ac terrificum et exitiale est peccatum a protoparentibus generis humani in terris primum commissum. Et ideo etiam super hoc diligentia magna exercendæ sunt tres animæ potentiæ: memoria, intellectus atque voluntas. Non enim minus peccatum hoc me attinet, quam illud angelorum; imo magis adhuc. Est enim peccatum totius naturæ cujus ego pars sum, homo nempe natus de muliere ex semine Adam et vivens brevi tempore, repletus multa miseria a die exitus e ventre matris usque ad diem sepulturæ meæ (a). Ita lamentatur mecum cum Propheta totum genus humanum. Sequelæ hæ sunt lamentabiles peccati primi a protoparentibus in paradiso commissi, quod illi nongentis annis pœnitentes flebant, at non expiabant; imo ruebant exinde innumerabiles ex filiis Adæ, post angelos desertores in profundum inferni. Instigabo ergo magis adhuc intellectum meum ad discurrendum super hoc peccatum, et voluntatem ad perhorrescendum illud et quodvis peccatum, et ad humiliandum et confundendum me coram Divina Majestate, contra quam rebellis natus sum propter vitium hujus ipsius peccati.

Ducam itaque mihi meditabundus in memoriam: "*quomodo postquam Adam creatus esset in campo Damasceno, et positus in Paradiso terrestri, et Eva formata esset, de ejus costa, cum prohibiti essent ne de fructu arboris scientiæ comederent – et ipsi comedentes et ita peccantes, dein vestiti tunicis pelliceis, et e Paradiso expulsi, vixerint sine justitia originali, quam perdiderant – totam vitam suam in multis laboribus* (*ærumnis*) *et multa pœnitentia; et consequenter discurrere per intellectum magis particulariter utendo voluntate, ut dictum est.*"

Memoranda nempe expendendaque mihi accuratius est ex una parte conditio beatissima protoparentum *ante* peccatum; et contra lamentabilis postquam illud commiserunt; et hoc ipsum applicare ad totum genus humanum, et in specie ad me ipsum, ut fructum exinde capiam quem volo et capere debeo.

Vide itaque anima mea visu mentis Adamum innocentem in paradiso; angelum quasi humana facie indutum, cum conjuge sua angelica pariter innocentia insignita, a Deo creatos atque in justitia originali

positos ut ab eisdem descenderet genus humanum; genus quoddam ut ita dicam corporeorum angelorum, beatissima metamorphosi aliquando ad cœlestes sedes transferendorum. "*Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram* (*b*)," ita audio DEUM et Creatorem in creatione hominis loquentem. O sors beatissima et gratia plena. Ad imaginem DEI ipsius creatur homo, regimen mundi committitur ei, et os ad os loquebatur DEUS cum ipso. Et hæc visibilia erant adhuc minima, nam commutanda tandem erat beatitudo terrestris cum cœlesti in æternum. — Verum audi anima mea præceptum – audi conditionem: "*Ex omni ligno paradisi comede. — De ligno autem scientiæ boni et mali ne comedas; in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris* (*c*)." En quanta Divinæ Beneficentiæ largitas. Tanta dedit, permisitque omnibus frui; de una tantum arbore ait ne comedas. Et ipsi, o abyssum ingratitudinis, superbiæ atque malitiæ! et ipsi comedentes, et sic committentes peccatum tam grande, Paradiso expulsi sunt. Et quam juste! — DEUS erat qui præcepit; DEUS et Creator qui paradisum dedit, qui cœlum promisit, qui tantillum prohibuit quo obedientiam exerceret hominis, illique occasionem præberet exhibendi documentum aliquod sui amoris atque gratitudinis et subjectionis erga Ipsum DEUM et summum Benefactorem suum. Et ipsi nihilominus, o lamentabilis et horrenda vox: et ipsi *nihilominus* — licet audierint: *morte morieris* — nihilominus comederunt *ambo* — et peccarunt ambo cum tanta malitia!

"*Nequaquam moriemini*" ita diabolicus serpens illos affatur — "*sed eritis sicut dii* (d)."– Et ipsi credunt fiduntque magis diabolo quam DEO; et ipsi, prout olim serpens seductor cum suis angelis, nolentes se adjuvare ope suæ libertatis ad exhibendam reverentiam et obedientiam suo Creatori ac Domino, devenientes in *superbiam*, transgrediuntur præceptum, et comedebant. Et ecce aperti sunt oculi eorum, et viderunt se esse *nudos*, nudatos videlicet gratia illa, qua induti concupiscentiam pravam prius non norunt. Putabant se deos futuros, et ecce videbant se quasi in bestias conversos. O quam terrifica vox Paradisum personabat: "*Adam ubi es*" (*e*). Ubi es–qualis es!! et ubi et quales nunc erunt posteri tui? Conversi utique fuerunt et ipsi in malitiam, heu qualem! ut omnis natura humana a scopo destinationis suæ detrusa corruptaque non amplius digna sit paradiso multoque minus cœlo. Et sic vestibus pelliceis induti, in signum depravatæ et quasi animalis redditæ illorum naturæ, ejiciuntur ex paradiso in hac miseriarum valle, in qua nongentis annis, nempe per totum vitæ suæ tempus pœnitentiam egerunt de peccato, at non expiarunt, – nec sequelas horrendas hujus peccati pro posteris impedivere, nec impedire potuere.

Et nunc audi anima mea, vide, audi et contemplare mente ejulatum omnium filiorum Adæ inde a sex fere mille annis super terram infinitis

miseriis afflictorum et lamentantinm, in pœnam hujus ipsius peccati. Sic enim Judex Dominus ad Evam loquitur: "*Multiplicabo ærumnas tuas et conceptus tuos. In dolore paries filios et sub viri potestate eris.*" Adæ vero dixit: "*Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas et tribulos germinabit tibi — et in sudore vultus tui vesceris pane, donec revertaris in terram de qua sumptus es; quia pulvis es — et in pulverem reverteris* (*f*)." A peccato itaque hoc exorditur omne malum, quo super terram affligitur genus humanum qnoad animam et corpus; et quidem in tempore et pro omni æternitate; et hoc quidem absque exceptione et remedio pro omnibus hominibus propter unicum hoc peccatum, nisi Deus ipse redempturus mundum advenisset. Memento homo quam grande malum peccatum sit!

Contemplabor id serio et magis particulariter, omnia ad me ipsum referendo qui cum peccato hoc Adæ inquinatus natus sum. Afflixit utique peccatum hoc animam meam miseriis maximis. Spoliabat nempe illam supranaturalibus donis omnibus filiationis divinæ, et vulnerabat simul vulneribus maximis in viribus suis naturalibus obcœcando intellectum, infirmando voluntatem, cor implendo passionibus abominandis (f).

Ita sane ex hoc peccato enata est tarditas illa intellectus, quo fit ut cum difficultate tanta discamus, veritatem sæpissime non comprehendamus, sed in erroribus hæreamus. En integri populi quanta non inscitia et ruditate ingenii laborant, qui nisi hoc peccatum Adæ contigisset fuissent intellectu et scientia exquisitissima prædíti.

Ex hoc peccato originali exorta est illa infirmitas voluntatis nostræ ad bonum, qua fit ut etiam scientes, intelligentesque meliora deteriora sequamur; aut saltem non ita usquequaque vivimus, quemadmodum intelligimus (g). Habeo sane experimentum hujus tristis nimis conditionis in me ipso et utinam non in his ipsis exercitiis. Nisi enim adeo infirmata esset voluntas mea, quid non debuissem velle et perficere, perpensis veritatibus tanti momenti, quas hucusque meditatus sum?!

Ex hoc peccato originali suam orginem trahit concupiscentia prava. O bone Deus, quam abominanda instigante illa concupiscunt homines super terram! Et ego sentiendo fors quotidie in me ipso concupiscentiæ hujus pravæ vim, quæ me toties colaphizat, peccatum non perhorrescerem unde enata est concupiscentia hæc, quæ tantis malis nos afflixit. Quid si insuper considero miserias omnes corporales, sequelasque externas quibus hoc unicum peccatum afflixit me totumque genus humanum (h).

En anima mea ante te faciem universæ terræ cum omnibus suis miseriis. Audi jam mente tua lamenta omnium miserorum filiorum Adæ

inde a sex ferme mille annis. Quot heu qui summa paupertate, siti, fame et nuditate cruciati humectarunt atque humectant lachrymis glebam hujus terræ. Quot heu qui pressi fœdissimis morbis et hoc sæpe acerbissimis ejulatu replerunt et replent orbem. Aperi nosocomia omnia, considera atque enumera infirmitates quasvis corporales: quot febres, quot pestilentiæ, quot languores corpora hominum invadant, crucient, enervent, enecent. Ad hæc considera infinitam turbam malorum ex hominum prava concupiscentia ortorum; quantis malis, cædibusque implerunt orbem: invidia, ira, habendi cupido, intemperantia, impudicitia. Quot seditiones bellaque exinde orbem vastarunt, cum cæde nonnumquam integrorum populorum. Contemplare visu mentis inde exorta flumina lachrymarum et sanguinis, quæ si simul confluerent orbem universum inundarent. Audi intra te collectos gemitus omnium agonizantium; percipe fœtorem omnium sepulchrorum in quibus cadavera mortuorum putrescunt; vide quomodo vermibus scateant et consummantur; considera ossa mortuorum omnium, eaque in unum conjice et ad acervos hos ac montem calvarium subsiste. En hæc omnia peccati *unici* effectus miserrimi. Miserias tandem præsertim eas, quas ipse jam in anima et corpore sustinui in mentem revocando, et lectulum mortis meæ considerando, ad putredinem sepulchri mei, sentiam utique quam grande malum peccatum sit. At nondum hic finis malorum in quæ pertraxit nos peccatum hoc sed vix initium.

Clausit nempe peccatum hoc nobis paradisum, clausit *cælum* — et apperuit *infernum*, et hoc in *æternum*!!

O quam vera et quam tristia et terribilia et deploranda hæc simul sunt! et ego non totus perhorrescam, et adhuc peccare audebo?! et non confundar potius et erubescam totus coram Divina Majestate, ego qui cum hoc peccato Adæ inquinatus in mundum veni, et qui licet per Jesu Christi mortem ab eo liberatus, baptismo ablutus, cœlo restitutus nihilominus denuo et quidem sponte et toties me in omne genus peccatorum præcipitabam. Absit o Sanctitas infinita! absit ut amplius peccare audeam, absit a me Domine tam grande malum!

PUNCTUM III.

"*Tertium* (*punctum erit*) *eodem modo idem facere circa tertium peccatum* (*i. e.*) *particulare cujusvis, qui ob unum peccatum mortale ivit ad infernum*; — *et multi alii sine numero* (*damnati sunt*) *ob pauciora peccata quam* (*quæ*) *ego feci.*"

Exercebo itaque memoriam recordatione personalium meorum peccatorum, quæ non alius sed ego ipsemet commisi, et in me ipsum omnem justæ indignationis detestationem convertam. Non enim *unicum* commisi sed innumerabilia, non minora, sed graviora quoque quam alii peccata, et quidem non ante sed post Baptismum, cum Deo quidem reconciliatus per Jesu Christi sanguinem ; at denuo prævaricator existens. Adhuc utique viva memoria hærent animo quæ meditatus sum de angelorum et protoparentum lapsu et inde enata miseria. Et quot magis terret, video etiam ex hominibus sanguine Salvatoris licet redemptis, homines jam nunc in inferno ardentes propter peccatum, quod illi *semel* tantum commiserunt, ego vero toties perpatravi ; video dico multos damnatos ob scelera numero et malitia leviora, quam quæ ego perpatravi, ecce jam ardent in inferno — in æternum ! et ego adhucdum vivo ! — At quomodo effugiam manus Vindicis Dei nisi sine mora resipiscam ; jam enim securis ad radicem posita est ; — nescio diem necque horam ; et cunctari vellem, nesciens num non hodie adhuc in me complementum habeat dictum Salvatoris : "*Stulte hac nocte repetent animam a te* (*k*)," — et quomodo subsistam nisi agam dignos fructus pœnitentiæ ? – "*Lata enim via est, quæ ducit ad interitum – angusta quæ ducit ad vitam* (*l*). *Multi vocati — pauci electi* (*m*)."

Hæc o Domine Deus credo, et quomodo conscientiam peccatis fœdatam amplius sustinerem ? Non ita ; sed mecum intrabo in judicium, et me ipsum coram Te confundam, "*trahendo in memoriam malitiam peccati ab homine commissi contra Creatorem ac Dominum suum, et serio expendendo intellectu, quomodo in peccando contra Bonitatem infinitam, homo talis merito in æternum fuerit condemnatus*".

En insolescit Ens e nihilo creatum contra suum Creatorem. — Ens quod a se nihil habet contra Ens a quo Esse suum et omnia habet. Insurgit homo contra Bonitatem infinitam, quod consequenter reddit pariter peccati malitiam relate ad Deum infinitam, ideoque pœna pariter duratione infinita dignam ; et id quidem eo magis quia peccator ita a Deo et Domino suo avertitur, ut si æternum viveret quantum ex ipso est in æternum non resipisceret. Quid itaque mirum pœnis æternis talem reum fieri, si ita comparatus in æternitatem migrat ? ! Utique justus es Domine, et terribile est incidere in manus tuas vindices post commissum vel unicum peccatum (n). Et ego toties ac tam graviter peccabam coram te, et nondum condemnasti me o Bonitas infinita ! – et ego non prorumperem in affectus gratitudinis et laudis quibus tuam in me Clementiam extollam meam autem vilitatem, malitiam et perversitatem exhorream, et amaris lachrymis pœnitentiæ fleam ad pedes tuos mi Jesu Crucifixe, cujus vel solus conspectus, hoc omne quod modo de malitia peccati a me commissi meditatus sum, tam clare atque efficaciter ob oculos ponit.

COLLOQUIUM. — *"Fiet imaginando Christum Dominum nostrum præsentem et in cruce positum, colloquium cum ipso instituendo quomodo Creator cum esset — eo devenerit — ut hominem se fecerit, et ab æterna vita (venerit) ad mortem temporalem, et ita ad moriendum pro peccatis meis. Itidem (colloquium mecum ipso instituere) inspiciendo me ipsum (percontando ex me) quid egerim ego pro Christo, quid agam pro Christo, quid agere debeam pro Christo. Atque ita videndo illum talem, et ita fixum in cruce, discurrere per ea quæ se obtulerint."*

Faciam itaque hoc colloquium dolorosum tecum, o bone, atque dulcissime ac misericordissime Jesu! Quomodo enim te in peccati mei pœnam, cruci tantis cum plagis affixum contemplari possem, et non totus abire in affectus doloris, gratitudinis atque amoris: quum amor infinitus tuus, erga me cum adhuc peccator essem, sola fuerit ratio propter quam homo fieri et tali morte me ab interitu vindicare voluisti. Sic itaque Pastor bone me quæsivisti, nec deseruisti, qui hoc toties promeritus fueram. O amor meus crucifixe! quid dicam de te. Possum, possum adhuc salvari, modo ipse volo, at *serio* volo. Et nunc arguam me ipsum, percontans quomodo hactenus nihil dignum memoratu egerim pro te Christe, qui tamen tanta pro me fecisti, omne meritum vitæ tuæ a primo momento usque ad ultimum pro me offerendo Patri. Et ego quot annos jam vixi? O quot homines tot annis non vixerunt et Sancti evaserunt, et ego adhuc misellus peccator in limine perfectionis hæreo. At quid agam tandem? Omne quod vis Domine, loquere audit servus tuus. Primum utique omnium erit, ut peccatum et quamvis umbram peccati deinceps fugiam, omni possibili conatu. Alterum est ut in his ipsis exercitiis gratiæ tuæ obicem non ponam, sed ut me vocare possis Domine ad eum gradum virtutis ad quem volueris, et si me mori tecum oporteret, qui prius et quidem in tantis tormentis pro me mortem opetiisti. Ita in te crucifixum meum Salvatorem intuens proloquar adhuc tacitus, quæ affectus gemitusque cordis mei mihi suggeret — cum proposito emendationis seriæ atque reformationis totius vitæ meæ, ut fiam ALIUS. Fiat mihi secundum verbum hoc Domine Jesu. Amen.

---

a) *Ioh.* 14, 1. — *b*) *Gen.* 1, 26. — *c*) *Gen.* 2, 16—17. — *d*) *Gen.* 3, 5. — *e*) *Gen.* 3, 9. — *f*) *Gen.* 3. 16—19. — *g*) *Eccl.* 7, 30. — *h*) *Rom.* 7, 7—8. — *i*) *Prov.* 14, 34. — *k*) *Lucc.* 12, 20. — *l*) *Matth.* 22, 14. — *m*) *Matth.* 22, 14. — *n*) *Heb.* 10, 31.

EXERCITIUM II.

EST MEDITATIO DE PECCATIS.

"*Continet in se post orationem præparatoriam et duo præambula, quinque puncta et unum colloquium.*"

Oratio Præparatoria est eadem ut supra; et quum per hanc penitus omnia in Dei laudem et gloriam consecramus per eam etiam in meditatione quavis ad fundamenti vim reducimur, ex cujus nempe fundamenti virtute hoc officium glorificationis Dei per omnia tam clare intelleximus; ut sic principii meditatio, statim in limine reliquarum mentem subeat, ut hæc ipsa fini supremo convenienter et cum fructu instituantur.

Præludium I — erit eadem compositio ut in primo exercitio.

Considerabo itaque iterum me in cadavere corporis mei, velut in ergastulo inclusum, et inter bruta animalia a cœlesti patria exul.

Præludium II — erit petere id quod volo. Erit hoc loco petere magnum et intensum dolorem et lachrymas de peccatis meis.

O Domine Jesu per dolorem illum, quo corde intrinsece tactus atque transfixus ipse dolebas peccata mea; da cordi meo doloris intensi gratiam quæso; oculis autem abundantem fletum ob lachrymas illas Te oro, quas pro me in cruce cum clamore valido fudisti.

PUNCTUM I.

"*Punctum primum est processus (quidam) peccatorum, scilicet, trahere in memoriam omnia peccata vitæ (meæ) inspiciendo (vitam) per annos singulos vel per singula tempora. — Ad quod juvant tria: primum inspicere locum et domum ubi habitavi; secundum conversationem, quam habui cum aliis; tertium officium in quo vixi.*"

Non de uno verum de criminibus totius vitæ meæ instituendus est processus, in quo ipse sum reus et ipse actor simul; quoniam conscientia mea et non alia in testem contra me ipsum hic exurgit; ut, modo sincere agere velim, actor in propria licet causa esse possim, idque melius quam quivis alter.

Agam itaque Domine judicium hoc mecum hac hora, et quidem agam illud in conspectu tuo, quam sincerissime inspiciendo vitam meam diligenti examine per annos singulos et singula tempora nullo excepto.— Descendam itaque mente ad illud plane tempus, quo, o me miserum! quo primum peccatum grave, peccatum mortale commiseram, et Te offendebam, et a Te avulsus prima vice fueram, o Deus et Creator meus!

et finis meus ultimus. Pereat sic jam clamo, pereat illa dies et perpetuæ oblivioni tradatur et noctis perpetuæ tenebræ horam et momentum obvolvant, quando prima peccati macula innocentiam meam baptismalem foedabat.

Erat tempus, o felix terque beatum tempus, in quo angelica plane innocentia ac puritate, anima mea lucebat gratissima in conspectu Divinæ Tuæ Majestatis.

Filius Dei eram, hæres regni cœlorum, amicus Sanctorum totiusque Curiæ cœlestis concivis. Memento anima mea, qualis aliquando in conspectu Dei fueras, stola gratiæ baptismalis insignita.

At non ita semper — non ita semper! Abstulit hæc omnia primum peccatum quod infelix commiseram, et quod eodem in momento dæmonibus me simillimum reddidit. Consentiebam heu miser in peccatum illud post quod deinceps adhuc tot alia perpetrabam per tot annos et tempora —et horis fors singulis—aut etiam per singulas horas sæpius!! Tu enim Domine qui nosti omnia, Tu solus scis quot ego per hoc vitæ meæ tempus atque temporis momenta peccata commiseram; cogitatione – verbo – desiderio — opere.

Quam in immensum sic ante oculos mentis meæ crescit peccatorum meorum cumulus, et pondus simul, computando hac ratione eorum numerum ac magnitudinem. Cogitando de unico *verbo otiose* a me prolato non multum utique comoveor, ut reatum cognoscam atque exhorream debitum contractum. At si perpendo quot *verba otiosa* in vita mea protulerim, et quid Judex divinus minetur: "omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines reddent rationem de eo *in die judicii* (a)," quomodo non angar conscientiæ remorsu et timore judicii. Et simili ratione, et quidem a potiori crescit sane horror hic in me nimis quantum, dum de aliis et innumerabilibus et longe gravioribus peccatis computum instituo. At judicabo licet invitus et exhorrens me ipsum; ut sciam et plangam delicta mea, et per sinceram pœnitentiam illa expiare valeam.

Tria ad hæc juvabunt. Recogitabo videlicet *loca* in quibus degebam, *conversationem*, et *officia* a me *gesta*.

Jam quod *loca* attinet, recordare et vide anima mea, quomodo ex singulis locis ubi inde ab infantia vixi, quomodo ex singulis urbibus, pagis, domibus, plateis, cubiculis, et ex ipsis ecclesiis peccata progrediantur sine numero quasi e disjecto formicarum cumulo prodeuntia, ex quo tamen non animalcula sed monstra peccatorum progrediuntur, agmine collecto clamantia: opera tua sumus. — Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam!

Quod *conversationem* attinet, recogitabo studiose: *quibuscum* et *qua ratione* conversatus sim? Non peccabam solus, sed cum tot aliis, qui-

bus ad peccata cooperatus fueram verbo, consilio, opere. Tu solus Domine scis conversationem meam, et quomodo per peccata aliena reus sim in conspectu tuo. En quomodo ex colloquiis, et conversatione cum tot hominibus quibuscum egi, novi exercitus peccatorum contra me progrediuntur et contra me in aciem collocantur postulantia a Te JUSTISSIME DOMINE in me vindictam de singulis et omnibus delictis meis propriis et alienis.

Tertium sunt *officia omnia* in quibus vixi. Recogitabo, quæ munera gessi et quomodo? Quid mihi per singulas horas et minuta juxta officia status mei agendum erat, an et quomodo illa peragebam. En quomodo tot negligenter aut male a me gesta contra me nunc in cœlum clamant! Et ad hæc omnia "*delicta quis intelliget*" (b) longe majorem adhuc partem peccatorum meorum ignoro, aut amplius non reminiscor; verum conscripta sunt omnia in librum Judicii Tui Domine.

O Domine misericors et miserator, parce peccatis meis! secundum infinitam misericordiam tuam; etenim multiplicata sunt nimis super capillos capitis mei, et arenæ instar quæ jacet innumerabilis ad littora maris. Peccabam toties et tam graviter, et hoc post tot accepta beneficia, a Te, o Bonitas æterna! Peccabam memor inferni, quem fide illustratus credebam hisce peccatis meis paratum. Quomodo o Sanctitas infinita, quomodo audeam attollere ad Te oculos, præsertim cum vel sola fœditas intrinseca peccati jam a peccando absterrere me debuisset, ita ut paratus esse debuissem perferre potius cruciatus omnes et mortem, quam semel fœdare animam meam vel unico peccato; et heu conspurcabam illam tot et tantis!!

PUNCTUM II.

"*Secundum, ponderare peccata, inspiciendo (considerando) fœditatem et malitiam, quam quodvis peccatum mortale commissum habet in se, etiamsi non esset prohibitum.*"

Ut hanc fœditatem probe perspiciam, illam in singulis peccatis ita in se ipsam considerabo, ut peccatum quodvis seorsim in peccatore et quidem in omnibus suis cogitationibus, verbis atque operibus dominans atque conspicuum mihi repræsentem. Quam fœda et turpis utique in se considerata apparet superbia, si hominem mihi repræsento qui totus quantus esset superbia; ita ut in oculis, in quovis nutu, in quovis verbo, in quovis signo, aut motu corporis, sola superbia, fastus, arrogantia, sui ipsius existimatio atque aliorum contemptus reluceat. Numquid non hac ratione intrinsecam fœditatem hujus sceleris contemplando, abominabilis nimis quantum apparet superbia; et jam propter hanc intrinsecam ipsam fœditatem debuissem illam abhorrere. Et ita pariter si mihi fingo

hominem, qui totus quantus esset avaritia; quam abominabilis appareret mihi homo talis. Vel si cogito de homine qui totus quantus esset luxuria, per omnem excessum omnium possibilium fœdissimorum lasciviæ criminum. Et sic de homine qui totus esset invidia, totus gula, totus ira, totus pigritia, denique hominem quem nec cœlum allicit, nec infernus movet, sed qui ut pecus indifferens et quasi ratione destitutus vivit super terram. Sane fœda atque fœdissima sunt hæc omnia in se et per se detestanda, fugiendaque.

Et quid si fœditatem hanc peccatorum intrinsecam et quasi naturalem considero e regione pulchritudinis virtutum quæ hisce vitiis opponuntur. Vel plane si illam opponam puritati infinitæ, divinæ Sanctimoniæ? Nonne hæc ipsa fœditas et malitia peccati intrinseca in infinitum crescet, et tamquam monstrum horrendum apparere mihi debet? Et ego sentina atque colluvies peccatorum, commaculabam atque conspurcabam animam meam, spiritum adeo purum, animam ad Dei imaginem creatam sordibus talibus ac tantis!! et ita audebam coram Divina Majestate persistere, atque contra illam plane me erigere.

PUNCTUM III.

"*Tertium* (*erit*) *inspicere* (*considerare*) *quis sim ego, minuendo me ipsum per exempla:* PRIMO *quantus sim ego in comparatione omnium hominum;* SECUNDO, *quid sint homines in comparatione omnium Angelorum et Sanctorum Paradisi*; TERTIO, *inspicere* (*considerare*) *quid sint omnia creata in comparatione Dei: jam ego solus quid esse possim?* QUARTO, *inspicere* (*considerare*) *omnem meam corruptionem et fœditatem corpoream;* QUINTO, *inspicere* (*considerare*) *me quasi ulcus quoddam et apostema unde pullularunt tot peccata et tot nequitiæ, ac venenum turpissimum.*"

Comparationem itaque instituam; quoniam proportionaliter cum vilitate offendentis atque cum majestate offensi crescit enormitas criminis. Jam quis *offendens*, et quis *offensus?!* Offendens sum ego — ego qui hæc modo lego et meditor. — Offensus vero est Deus, qui cœlum et tertam implet; et quis sum tandem ille ego, qui Deum talem ac tantum offendere audeo, numquid fors alter quasi Deus? O quanta peccati temeritas atque insania! Considerabo itaque quam tantillus, et miser, et nihil sum in comparatione cum Deo contra quem erigere me audeo. Considerabo hæc ut clarius mentem meam feriant magis magisque, insistendo comparationi huic. Ecce si terra supra quam positus hæc considero, et quam Omnipotens e nihilo unico voluntatis nutu produxerat, si dico terra hæc in hoc ipso momento vel ad ictum oculi sub pedibus meis fugeret,

ubi tunc ego consisterem ? ! — Caderem et ruerem in indefinitum. Nisi itaque habeam hoc scabellum terræ, quam Deus pedibus meis supposuit, nec stare possem ! itaque et ego creatura tam imbecillis, quæ nec consistere posset nisi tu Deus et Creator meus supponas fulcrum quoddam, ego audeam me erigere contra te Factorem meum qui terram et universa fecisti et imples universa !

Sed neque necesse est ut statim ad Deum ipsum me comparem, ut intelligam vilitatem meam ; nam quid sum ego homuncio si vel ad creaturas reflecto et amplitudinem Universi considero ? Ecce, si vel aliqua milliaria a me receditur, jam nullus oculus me videt præ exiguitate corpusculi ! Et si vel ad ipsos homines me comparo ; quid tandem sum ego in hac multitudine tot gentium et populorum, qui terram incolunt et incolebant. Minima pars ex his me novit ; sum quasi non essem, et ero brevi quasi non fuissem. Et si videar me inter homines Nomen aliquod comparasse, quid quæso sum dum cœlum mente revolvo et angelorum exercitus cogito ? Numquid enim non unus angelus sufficeret ad extirpandam integram gentem et totum genus humanum, si ad hoc potestas ipsi fiat a Deo creatore hominum et angelorum. En sub Ezechia rege, quomodo una nocte unus angelus percusserat 185000 hominum et jacebant orto sole cadavera illorum circa civitatem Jerusalem in silentio mortis (o). Et hi omnes angeli, virtutesque militiæ cœlestis cum omnibus Sanctis parati sunt omni momento, contra me ad primum Dei nutum vindictam sumere si quando infelix contra ipsum Deum per peccatum me erigere auderem ? ! En in tota illa multitudine cœlestium spirituum non tanta audacia invenitur, ut, vel umbram peccati admittere auderent transgrediendo vel minimum et tantillum Dei mandatum ; norunt enim quis et qualis et quantus et quam infinite potens, et infinite terribilis in sua Justitia Ille sit ante cujus conspectum : *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus* in æternum proclamant. Plena enim est omnis terra Gloria ejus (p), pleni sunt cœli et terra Majstate Ejus, qui est Immensus, Omnipotens, Omniscius, Sanctissimus, Judex universorum;

Vere quam terribile est incidere in manus Dei viventis ! — et ego tamen tam vilis et miser et imbecillis terræ vermiculus, ausus fui, idque toties offendere Immensum Deum, Omnipotentem atque Sanctissimum Vindicem criminis, ego qui e nihilo ortus in mundo consisto velut punctum et brevi comparebo coram te Judice, Deus ! Væ quomodo consistam ? ! !

Humiliabo itaque me ante Te ; dignum et justum est Domine et inspiciam magis adhuc magisque corruptionem mei totius. En quanta *fœditas* in me ipso latet, dum omnes miserias naturales corpusculi mei considero, per sequelas peccati originalis fœdati et humiliati. Numquid non sum quasi sterquilinium vivum ? Repunt fors in me adhuc vivo, vermes ! Et si ad unum ligarer locum et non esset qui eum purget, qualis quæso

brevi futurus essem. Et hæc initia miseriæ quæ me cingit et implet. Inspiciam itaque attentius me ipsum in intimo meo Esse, corruptinem dico quæ in me ipso latet aut latuit aliquando ; videlicet : corruptionem fœditatemque in cogitationibus ; corruptionem fœditatemque in affectibus ; corruptionem fœditatemque in memoria ; corruptionem fœditatemque in intellectu et voluntate ; corruptionem fœditatemque quibus operationes gratiæ ipsius divinæ sæpe per tot passionum impetus fœdantur ; — o quanta in anima mea ipsa per peccata inducta fœditas !

Qualis nausea me non invadit, si vel unum vermem super truncum arboris repere conspicio ? — et eo major si integrum nidum vermium talium video, aut truncum totum istiusmodi vermibus quasi involutum ?! Et plane si vermem talem supra faciem meam repere adverto quomodo non de repente cum nausea et horrore illum excutere soleo : et ecce nunc anima mea, ecce te totam peccatorum fœdissimis vermibus obductam ! Vel vero si in ulceris comparatione permanere voluero, en animam meam fœdissimis et purulentis peccatorum ulceribus tumescentem ; — o quam abominandum fœtorem spiritualem anima talis coram Deo et angelis ejus efflat identidem, et quomodo non mereretur, ut quantocyus ad tartarum deturbaretur ? Ita confusione plenus coram te Domine meipsum considero tamquam apostema venenatum, ex quo pullularunt tot peccata et tot nequitiæ ac venenum turpissimum : in cogitationibus enim meis per totam vitam habitis o quanta sanies et venenum ! in verbis quanta sanies et venenum ! in operibus quanta sanies et venenum ! in tot perversis desideriis o quanta sanies et venenum, quod inde a tot annis fluebat vix non indesinenter ex hoc peccatorum meorum apostemate ! !

PUNCTUM IV.

"Quartum (erit) considerare quis sit Deus, contra quem peccavi, secundum ejus attributa ; comparando ea cum contrariis quæ sunt in me : ejus sapientiam cum mea ignorantia ; ejus omnipotentiam cum mea debilitate ; ejus justitiam cum mea iniquitate ; et ejus bonitatem cum mea iniquitate ; et ejus bonitatem cum mea malitia."

Non quidem adhuc te Domine facie ad faciem nosco et video, ut sciam qnalis sis Creator et Pater mi ; at scio tamen jam satis quis et qualis sis ex eis, quæ video et intelligo mente, et fide teneo quod in omni genere sis *infinite* Perfectissimus et Absolutum Bonum. Jam vero cum omnibus hisce infinitis tuæ Bonitatis perfectionibus pugnat infinita quodamodo mea malitia et peccatum quodvis a me commissum. Quapropter accuratius expendam, quæ ad te Deum reflectendo jam supra menti

sponte occurrebant: videlicet quantum Tui offensio peccatum sit, quanta temeritas peccatoris sed et quanta malitia!

Opponam vero ex his infinitis tuis perfectionibus potissimum eas meis vitiis et peccatis, quæ in hoc puncto notantur videlicet: Tu Domine et Creator Omnipotentia Tua mundum hunc totum solo verbo voluntatis e nihilo in Esse produxisti atque conservas, et in æternum verbo Omnipotentiæ tuæ tenes sine fulcro in spatio vastissimo. Ita anima mea, en globi cœlestes immensi et terra ipsa quomodo sine fulcro subsistunt et incredibili velocitate aguntur. Vere "*cœli enarrant gloriam Dei et opera manuum ejus annunciat firmamentum* (q)" et ego Te Omnipotentem Creatorem offendere audebam?! Tu Deus omnipotens sola voluntate omnia potes; ego sola voluntate plane nihil possum extra me; nec terræ pulverem solo jussu vel ad momentum excitare aut elevare tantisper. Tu Omniscius ac Sapientissimus omnia scis, et ordinatissimo cursu quævis in mundo ad finem suum disponis et dirigis. Ego ex me neque scio quis sim, nec quid de me fiet, neque modum quomodo fit quidquid fit. Aut numquid vel hoc scio, quomodo gramen crescat vel ventus spiret, aut lux illuminet aut cor hoc ipsum meum meo in pectore moveatur; quod quamprimum subsistet, ego ipse mortuus conciderem. O quanta Deus mi, quanta Tua est Potentia et quam debilis contra extrema mea est infirmitas. Quanta Tua Sapientia et quanta ex adverso mea ignorantia. Quid dicam de Te, quoniam Justus es Domine; quid dicam et quomodo non confundar et peccati mei abnormitatem perhorrescam. Justitiam hanc tuam, quæ est Sanctitas absoluta, in qua nec umbra mali est, conferendo cum mea iniquitate, quæ tanta est, ut cum ea vix umbra virtutis in me habitet, virtutis dico perfectæ et non fucatæ! Vel numquid vel una cogitatio, vel unum verbum et opus in me a Te Sanctissime reperietur, de quo non timeam Judicia tua, qui in angelis tuis pravitatem invenisti (r). Comparabo itaque ad ingentem meam confusionem Tuam o Domine *infinitam* Sanctitatem et Justitiam cum *apostemate* vitiorum quale me esse jam cognovi; et simul conferam immensam Tuam Bonitatem cum mea malitia, qua in ipsam hanc bonitatem tuam peccabam. O vere quanta Domine Tua Bonitas, qui me tamdiu sustinuisti et Filium ipsum Unigenitum, ad me redimendum in mundum misisti, ad delenda dico suo sanguíne pretiossimmo, hæc ipsa peccata mea!!

PUNCTUM V.

"*Quintum. Exclamatio admirativa cum ingenti affectu, discurrendo per omnes creaturas, quomodo me passæ sint vivere et ita in vita conservaverint. Angeli, quum sint gladius divinæ justiliæ, quomodo me suportaverint et custodierint, et oraverint pro me: — Sancti quomodo*

in eo fuerint, ut intercederent et orarent pro me ; et cœli, sol, luna, stellæ, et elementa, fructus, aves, pisces, et animalia (quomodo hæc omnia mihi servierint, et non potius armata contra me insurrexerint) et terra quomodo non se aperuerit ut me absorberet, creando novos infernos, ut in æternum in illis cruciarer."

Quomodo utique non magna cum admiratione prorumpam in affectus doloris et confusionis dum mea peccata recolendo ad Te Domine oculos levo, et gratias beneficiaqne considero, quibus me inimicum tuum hucusque fovisti, et nondum in Judicium vocasti.

Adhuc enim terra me peccatorem nondum absorbuit, sed potius sustinet ; quia ita vult Tua in me Bonitas Domine.

Adhuc aer me peccatorem non suffocavit, sed suspirio potius refocillat ; quoniam ita vult Tua in me Bonitas Domine.

Adhuc sol me peccatorem non combussit in cineres, aut lucem retraxit, sed lucet, et servit mihi ; quoniam ita vult Tua in me Bonitas Domine.

Adhuc bestiæ me peccatorem non lacerabant ; promerui id toties – at non ita, sed serviunt mihi ; quoniam ita vult Tua in me Bonitas Domine.

Nondum alimenta pro me peccatore in venenum conversa sunt ; profecto non promeruit immicus tuus Domine vel buccellam vel micam panis aut guttam aquæ ; et tamen adhuc pascor et nutrior ; quoniam ita vult Tua in me Bonitas Domine.

Offendebam Te toties Domine, omnes sanctos angelos universosque cœlicolas, et ecce adhuc angelus tuus Domine quem tu de cœlis ad meam custodiam misisti in hac ipsa hora, in hoc ipso momento penes me consistit et ad Te pro me orat, ut hanc ipsam tuam Bonitatem Domine et meam malitiam immensam cognoscam et defleam et deleam et jam non peccem amplius. Hoc a Tua Bonitate etiam Sancti tui flagitant, et imprimis ipsa Sanctorum Regina Beatissima Virgo et Mater Unigeniti Tui pro me et per me crucifixi. Vere quot peccata committebam, totidem novos infernos promerebam. Peccabam qua christianus, et hoc post tot et tanta Tui ergo me beneficia ; et tamen nondum ardeo in igne sempiterno, sed adhuc vocas me, adhuc patet cœlum. Venio Domine ! venio ! !

"*Erit itaque concludere meditationem colloquio misericordiæ, ratiocinando, et gratias agendo Deo Domino nostro, quod mihi dederit vitam usque huc, proponendo in posterum emendationem cum ejus gratia.*"

COLLOQUIUM. Quid enim o Bonitas et misericordia Dei infinita, quid de me nunc esset, si jam mors me e vivis ante Tribunal tuum tulisset, ut mille alios ? Heu mi, jam essem judicatus ; jamess em damnatus ; jam

arderem in igne et in æternum arderem!!—Verum non ita factum est; adhuc vivo. Misericordia tua Domine vivo adhuc. — Quare ingenti cordis affectu et gemitu extollam tuam o Deus infinitam misericordiam, et in gratiarum actionem totus me effundam!! At, nulla tibi placens gratiarum actio esse potest, nisi *emendatio* plena et constans illam committetur, nec alia quam plena solidaque emendatio liberare me poterit ab interitu. Unde proposita, sed proposita *seria* jam statuam pro hac futura mea emendatione, ut peccatum et vel omnem peccati umbram fugiam extrema cum solicitudine; et probus, et genuinus et quantum fieri potest optimus filius Sancti Patris mei evadam, qui hoc medium efficacissimum Exercitiorum a Te amantissime Domine etiam pro me obtinuit. Sed absque procrastinatione necesse est incipiam cum hac emendatione *totius mei*; et ab hac ipsa hora, proposita emendatione non generali tantum, sed *speciali* cum resolutione ad quævis, ad quæ hisce in exercitiis me excitare dignaberis Domine. Hæc o Domine qui scis omnia, et cor meum modo intueris, hæc cum tua gratia irretractabilis voluntas mea; hoc decretum meum certissimum. — Pater Noster.

---

a) *Matth.* 12, 36. — *b*) *Ps.* 18, 13. — *c*) 2. *Paral.* 32, 21. — *d*) *Isai.* 6, 3. — *e*) *Ps.* 18, 2. — *f*) *Iob.* 4, 18.

EXERCITIUM III.

EST REPETITIO PRIMI ET SECUNDI EXERCITII.

"*Post orationem præparatoriam et duo præambula erit repetere primum et secundum Exercitium, notando et moram faciendo in iis punctis, in quibus senserim majorem consolationem vel desolationem vel majorem sensum spiritualem.*"

Ingens profecto in hujus modi repetitionibus atque regustationibus meditationum jam peractarum inest vis ut cuilibet, qui ordinem hunc sequitur, propria experientia constat. Veritates enim fundamentales quum sint, quæ hac potissimum hebdomada meditandæ proponuntur, illæ profecto nec obiter nec semel libandæ, sed in ima cordis per repetitas ruminationes quasi demittendæ, et probe concoquendæ sunt, ut quasi in succum et sanguinem con-

vertantur. Aut si alia imagine utamur, repetendæ sunt identidem primi Exercitii hujus reflexiones, ut aries veritatum harum murum peccati contra quem dirigitur non tantum semel tundendo commoveat, verum tamdiu admoveatur, donec hic penitus concidat.

ORATIO PRÆPARATORIA ET PRÆLUDIA sunt quidem eadem, verum non eodem modo fient sed perfectius ; quoniam per meditationem factam sensus et ratio horum præludiorum jam perfectius intelligitur.

Puncta ipsa quod attinet ordine supra assignato et non confuse erunt recolenda ; omnis autem attentio, mentisque conatus et voluntatis robur illuc erit dirigendum, ut peccatum quantum fieri potest in tota sua infinita nequitia cognoscam ; et quidem relate ad *Deum* : tamquam unicum et solum *malum*, quo Ipse offenditur et Gloria ejus ad extra quantum ex parte creaturæ est, imminuitur ; — relate ad *me* vero : tamquam unicum *impedimentum* salutis, et causa æterni exitii atque supplicii, ut, quantum possum extollam Divinam Misericordiam, quod licet toties infernum promeruerim non tamen sim inter illos, qui jam perierunt, sed quod adhuc SALVUS FIERI POSSIM, extricando me nempe a vinculis peccati.

In Fine colloquia tria faciam eo modo qui sequitur.

"*Primum Colloquium ad Dominam nostram, ut mihi obtineat gratiam a Filio ac Domino suo ad tria : primo ut internam cognitionem peccatorum meorum, ac detestationem illorum sentiam : secundo ut sentiam deordinationem operationum mearum, ut* (*eam*) *abhorrens, me emendem, meque* (*recte*) *ordinem : tertio petere cognitionem mundi, ut illum abhorrens, mundana ac vana a me removeam. Ac dein semel Ave Maria.*"

Utique, ad quem in tanta qua me circumdatum video necessitate majori cum fiducia recurram, quam ad te, o Maria, quæ mater misericordiæ es et refugium peccatorum ; ergo etiam refugium meum. O Mater, sentio quidem in me horrorem peccati at nondum fors satis intensus satisque efficax est. Fors ne ipsum statum peccati mei satis perspicio et condigne detestor, ut ex integro renover, et fiam nova creatura in Christo Jesu Filio tuo. Quapropter tu Lux cœcorum, tu gratia plena, tu mater et dispensatrix multiformis gratiæ, tu gratiam a Filio impetra mihi ut plenam criminum meorum cognitionem hauriam, detestationem sentiam, compungar totus, convertar sincere, et jam dirigam cursum meum ad Eum per quem creatus sum, et vivam secundum finem propter quem creatus sum. Et hoc non ex parte, sed ex toto — ex *toto* : probe perspecta et damnata *totius* vitæ meæ malitia, operationum mearum inordinatione, et mundi totius vanitate ; ut quidquid ad finem meum non conducat, quidquid illud tandem sit a me removeam idque plene — et perseveranter, ut totus jam sim abhinc Dei servus, prout tu o Dei mater ancillam Domini te nominare voluisti atque reipsa fuisti ; ut et ego unice jam Dei sanctissimam voluntatem pro norma actionum et votorum meo-

rum assummens libens lubensque et quam fidelissime eam per omnia sequar et amplectar. Hac intentione recitabo modo affectuosissime instantissimeque salutationem, qua gratior nulla tibi, o Maria, Patrona et Advocata mea: Ave Maria etc.

"*Colloquium secundum fiat similiter ad Filium, ut eadem mihi obtineat a Patre. Ac dein Anima Christi.*"

A Matre et per Matrem jam ad te Fili convertor, idipsum supplicans. Ecce Mater tua mecum te orat, mecum Domine tuam implorat Clementiam atque largissimam Bonitatem. Miserere creaturæ tuæ o Jesu mi, quam proprio sanguine et morte crucis redemisti, et da mihi duplicem hanc gratiam; ut videlicet delicta mea plene *cognoscam*, et *perhorrescam* — et ut me corrigam atque *emendem* penitus, sicque ad Deum tamquam finem meum ultimum convertar *totus*. Ita te oro Domine; ita ad te clamo, o Jesu! Exaudi me per preces Matris tuæ dolorosissimæ magna fiducia hoc a te flagito, et quasi in monte Calvariæ positus, genua mea ad crucem tuam pono, hancque amplexans ut quondam servus tuus Ignatius omni cum cordis ejusdem affectu ad te clamo:

"*Anima Christi, sanctifica me. Corpus Christi, salva me. Sanguis Christi, inebria me. Aqua lateris Christi, lava me. Passio Christi, conforta me. O bone Jesu, exaudi me. Intra tua vulnera absconde me: Ne permittas me separari a te: ab hoste maligno defende me: In hora mortis meæ voca me, et jube me venire ad te, ut cum Sanctis tuis laudem te in sæcula sæculorum. Amen.*"

"*Tertium itidem colloquium fiat ad Patrem, ut ipse Dominus æternus mihi illa concedat. Ac dein Pater noster.*"

Prout ad Filium per Matrem, sic nunc per Filium supplex ad te Deum Patrem, oculos et cor levo. O Pater qui in me per Filium tuum opus hoc cœpisti, illud etiam consummare digneris largiendo mihi gratiam copiosam efficacemque, ut clare videam imperfectum meum, et abyssum iniquitatis meæ, et ut lugeam lachrymis pœnitentiæ seriæ et me emendem perfecte. A te utique a quo est omne datum bonum et optimum descendens a te Patre luminum, hoc per merita infinita Salvatoris mei Filii tui Unigeniti flagito. Non negabis creaturæ tuæ id, ad quod flagitandum gratia tua ipsa tam vehementer me movet. Firma et viva fide promissioni illi insisto, quam Filius tuus Dominus noster Ipse nobis fecerat, dicens: "*Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in Nomine meo, dabit vobis* (a)." Dabis itaque Pater cœlestis quod ego in hac hora in Nomine Filii tui Jesu unice ad majorem tuam Gloriam et animæ salutem flagito; idque verbis illis ipsis, quibus nos orare ad te docuit dicendo: Pater noster etc.

EXERCITIUM IV.

EST RESUMENDO IPSUM HOC TERTIUM.

"Dixi resumendo, ut intellectus absque divagatione discurrat assidue per reminiscentiam rerum, quas contemplatus est in Exercitiis præteritis, et faciendo eadem tria Colloquia."

Rationem, quare S. Pater ita recolere meditationes jubet, dedi supra; et sine dubio per ipsum Exercitium tertium, si bene illud peractum est, quilibet in se expertus est magnam hujus repetitionis utilitatem. Immo hæc ruminatio et regustatio præteritorum Exercitiorum, ut satisfiat menti S. Patris ad scopum exercitiorum, etiam extra proprium tempus meditationis per diem eatenus instituendum est, quatenus veritates in meditatione expensæ spiritui virtute sua semper sint præsentes; sicque exercitium præcedens in subsequens vi sua influat efficacius, in qua connexione utique cardo exercitiorum potissimum vertitur. Non tamen in hoc IV Exercitio ordine stricto præcedentia repetuntur, sed tantum juxta verba S. Patris ea, quæ magis nos affecerunt in præcedenti repetitione, mente attentius erunt resumenda.

EXERCITIUM V.

EST MEDITATIO DE INFERNO.

"Continet in se post orationem præparatoriam, et duo præambula, quinque puncta et unum colloquium."

Quinque erunt puncta, quoniam nisi resipiscamus et peccato valedicimus, pœnæ quoque infernales quinque sensus nostros afficient, quod per totidem Puncta S. Pater valde convenienter expendendum proponit.

Unicum autem fiet colloquium, quod est animi suspirium unicum, ut ab hoc uno malo omnium terribillimo et exitiali liberemur ab Uno, qui nos ab illo eripere potest; nempe Unus mediator omnium Christus Jesus.

Collige te jam tantisper et perpende tecum, quam horribilem veritatem meditaturus sis. — Vere, et si ad te nulla ratione infernus spectaret, horrore jam percelli deberes, cogitando hoc solum, quod existat talis locus tormentorum, in quem alii ruunt et in quem etiam tu ruere potes; prout dum morbum cogitas valde fœdum atque terribilem qui alios vexat, terrore quo-

dam percelli te sentis; sed quid quæso morbus temporaneus et momentaneus ad Infernum et quidem æternum?! — Infernus hic existit, — existit utique et minatur etiam tibi; — Tibi, qui hoc legis et meditaturus es, quod nisi sæpe et serio feceris in vita, periculum sane præsentissimum est, ne illuc vivus descendas in morte. — Itaque fac quæso præsentem meditationem omni cum diligentia et ad infernum in hac meditatione descende, ut quæ hic terribilia meditanda occurrunt, studiose et cum fructu magno contempleris.

Oratio Præparatoria sit solita.

"*Primum præambulum, compositio, quæ hic est — videre visu imaginationis longitudinem, latitudinem et profunditatem inferni.*"

Quoties heu imaginatio tua inflammata a tartareis inimicis salutis tuæ vivacissimis coloribus pinxit tibi lenocinia peccatorum, ut per hæc ad gehennam ignis pertraharis? Compelle jam hanc ipsam imaginationem, ut tibi nunc vivacissime oculis mentis sistat quid res hæ promereantur, quibus toties te delusit; videlicet, vide et contemplare:
Longitudinem! — Latitudinem! — Profunditatem! Inferni!!!

In specie vero Profunditatem loci istius in Inferno considera in quo jam hac ipsa hora arderes, nisi Dominus misericordia super te motus tempus resipiscentiæ tibi concedisset, et in specie hanc ipsam horam meditationis. Inspice locum istum in Profunditate Inferni. — Oh quales et quanti Ignes!!

"*Secundum, petere id quod volo; erit hic: poscere intimum sensum pœnæ, quam patiuntur damnati, ut si amoris Domini æterni oblitus fuero ob meas culpas — saltem timor pœnarum me juvet, ne in peccatum devenium.*" —

Ait S. Pater: petere id quod "*volo.*" Nam si non serio vis hæc omnia quæ sequentur considerare, et tibi applicare et quidem cum effectu: frustra est; non proderit tibi meditatio tam frigida inter æstus ignis tam immensi et horrendi. Et hoc tibi pro omni meditatione dictum sit, ut videlicet serio meditari "*velis*", quod meditaturus es. Profecto quo gaudio infernali non diabolus – gestit dum nos videt æternas veritates obiter et nullo cum fructu meditantes, quas, si serio meditaremur, nos et innumeros fors alios e faucibus et potestate ejus eriperemus. Avertat Deus ne in hac ipsa meditatione de Inferno hoc gaudio Diabolum recrees?! Absit hoc monstrum negligentiæ et tepiditatis a te, sed tuum sit sincere: "poscere intimum sensum poenæ quam patiuntur damnati." Attende pluralem numerum: Damnati! multi enim sunt, ah multi, qui in hac ipsa hora jam in inferno ardent, in qua nunc de illo meditaturus es. Illos cogita!! O si vel unus appareret tibi! At non est necesse, elice actum fidei — en aperitur tibi infernus totus, — mente conspice omnes: "Ut si amoris Domini æterni oblitus fueris ob culpas tuas, saltem timor poenarum te juvet ne in peccatum divenias et sic in infernum?" En effectum terribilem peccati. Nisi enim obfuscaret intellectum et quasi excoecaret, quomodo oblivisci possemus amoris Domini nostri, qui amore æterno dilexit nos et tot documenta hujus sui amoris dederat nobis, ut nos salvaret ab interitu sempiterno. Sal-

tem itaque timor poenarum nos juvet. Attende illud : "*juvet.*" Non enim propter infernum præcipue, sed propter Domini amorem et reverentiam a peccato abstinendum est. Juvare tamen potest timor et quasi sistere et retinere te ad fauces inferni, quo dein amor te apprehendat et penitus retrahat a peccato et poenis ejusdem. Itaque accendebat Deus infernum, ut tibi lux sit in via ad coelum, ut si cogitatu descendas in illum, effectu ascendas super illum et affectu teneas Bonum supremum, quod te a malo tueatur sempiterno.

Da itaque Domine ut sentiam spiritu et imaginatione sensum intimum poenæ quam patiuntur damnati, ne illam unquam actu sentiam, et non sit qui eripiat ! —

PUNCTA.

"*Primum punctum erit, videre visu imaginationis ingentes illos ignes et animas, velut in corporibus igneis.*"

Ecce anima mea subtus te in visceribus terræ, mare flammarum in noctis sempiternæ tenebris obscure ardens. Et si non ignis sed aquarum tantum profunditas esset — et non dæmones sed monstra draconum illic volutarentur, quomodo tamen horrerem illuc præcipitari : at in profundo inferni non aqua sed ignis est, habens vim urentem, ut nullus ignis in terris eidem comparari valeat. Audiam vel unum S. Cyprianum : "*Cremabit*" ait "*addictos ardens semper gehenna et vivacibus flammis vorax pœna — nec erit unde habere tormenta vel requiem possint aliquando vel finem. Et erit tunc sine fructu pœnitentiæ dolor pœnæ, inanis ploratio, et inefficax deprecatio.*" Et iterum "*Sæviens locus, cui gehenna nomen est, eructantibus flammis per horrendam spissæ caliginis noctem, sæva semper incendia camini fumantis expirat* (a)." Vide jam in hoc loco innumerabilia dæmonum monstra ; – et quod terribilius adhuc est, vide in illo una cum dæmonibus innumerabiles animas — animas hominum eorum quibus Christus aliquando dicet : "*Discedite a me maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*b*) !" — Nam ut S. Augustinus et S. Gregorius juxta Ecclesiæ sensum proclamant" *adhærebunt spiritus incorporei corporibus ignibus cruciandi* (*c*)." Et sic ardent etiam nunc jam animæ damnatæ velut corporibus ignibus circumdatæ. Quid, si viderem has animas jam damnatas corpore quondam carnali vestitas, at nunc corporibus igneis velut circumdatas ! Et dum ita ignem cogito, sentire quoque debeo imaginatione vim urentem hujus ignis, cruciatum terribilem ignis monente S. Chrisostomo : "*Si quando in balneo fueris nimium effervescente, tum gehennæ recorderis.*" En quomodo toto corpore contremisco, si vel unica scintilla ignis in manum meam cadit, et vel per ictum oculi illam adurit. Et nunc anima mea vide et conspice, et con-

templare animas corporibus igneis inferni circumdatas. En ignem in oculis, – ignem in naribus – ignem in auribus – ignem in ore – ignem in corpore toto – ignem de quo scriptum est: "*Cruciabuntur die ac nocte in sæcula* (*d*)." Heu descendunt in ignem hunc hac ipsa hora meditationis et hoc ipso momento fors non una sed plures animæ modo defunctæ et judicatæ et damnatæ! O quod nunc illorum tormentum, quis in hac hora ejulatus ad primum hujus ignis contactum. Et abhinc "*ascendet fumus tormentorum eorum in sæcula sæculorum* (*e*)." Ejulabunt ibi sine fine et sine requie "*ubi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat* (*f*)" ubi sulphur et vermis et stridor dentium; ubi puteus inexhaustus tribulationis; desolatio et vastitas et miseria sine gutta levaminis; procella omnium malorum, sine spe ulla exitus ex his ardoribus sempiternis. Audi anima mea ex hoc carcere ignium ejulatum de quo ipse Christus Dominus testatur: "*Crucior in hac flamma* (*g*)!" Crucior in æternum – IN ÆTERNUM! "*Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante – cum ardoribus sempiternis?*" Ita clamat et minatur Propheta (h). O quam inæstimabilis gratia quod adhuc in mea potestate sit — modo velim hunc interitum, hunc infernum fugere! — Fugiam utique, revertar Domine a via lata peccati quæ ducit ad gehennam. Et quomodo vel per momentum auderem in peccato mortali consistere, in quo si morarer inter damnatos statim essem, circumdatus ardoribus sempiternis!

"*Secundum audire auribus planctus, ululatus, clamores et blasphemias contra Christum Dominum nostrum et contra omnes Sanctos ejus.*"

O quantus horror me invaderet et qnomodo totis ossibus contremiscerem, si in hoc momento vel ad momentum clamores omnium damnatorum audirem?! Profecto quodsi jam, dum ignis sive incendium de nocte insurgit clamores hominum terrore tanto nos afficere soleant: quam terribilis erit ejulatus desperationis sempiternæ damnatorum in hoc igne? Audi anima mea quales et quantas blasphemias eructant damnati clamore validissimo contra Deum, cujus Beatitudine frui potuissent si voluissent; — contra Christum Dominum, qui suo sanguine illos redemit et cœlum eisdem aperuit, et locum in regno suo parabat eisdem; si modo tentationes vincere et a peccatis abstinere voluissent. Audi, blasphemias eorum contra Sanctos quorum socios coronæ et gaudii æterni esse potuissent, modo voluissent. Sed audi potissimum maledicta damnatorum contra semetipsos, qnoniam suæ damnationis se ipsos cognoscunt et cognoscere debent auctores. O quam intollerabilis et simul irremissibilis remorsus: "*Perditio tua Israel* (*i*)." Potuissem salvari sed ipse nolebam, perditio ex me ipso! Hic damnatorum desperabundorum clamor et ululatus horribilis!

"*Tertium, olfacere odoratu imaginationis fumum, sulphur, sentinam et res putridas.*"

Qualem nauseam in me excitant res male olentes? verum quid hæc contra fœtorem inferni in quo tot corpora damnatorum horribiliter fœtentia congesta sunt? — Quid, si modo ad momentum fœtor ille futurus ad me ascenderet?! — Olfaciam illum saltem spiritu. Apparebat ut S. Basilius refert, damnatus in quodam cubiculo, et per annos fœtor intollerabilis in illo permansit, nec ullus ibi præ fœtore illo subsistere poterat. O si deliquium pati possent damnati velut nos dum sensus nimis afficiuntur. Verum non sic damnati, non sic; sed vivunt in morte illa inferni sine momento interruptionis et levaminis, et sine fine tormentis promeritis cruciantur.

"*Quartum gustare gustu res amaras ut lachrymas, tristitiam, et vermem conscientiæ.*"

Gustabam jam res ad nauseam et vomitum provocantes – verum quid hæc contra gustum amaritudinis infernalis quo damnati cruciantur patientes simul famem ut canes — et sitim immensum tantis in ardoribus sine gutta refrigerii; non enim dabitur illis nec gutta ex digito aquæ intincto; Væ – *Crucior in hac flamma!* Quanta tristitia et quantus conscientiæ remorsus, qualis clamor: quando clare omnia simul peccata menti obversabuntur et pungent sine ullo excusationis fuco; et arrodet per ea damnatorum conscientias *vermis* qui in æternum non moritur.

"*Quintum tangere tactu, scilicet quomodo ignes illi tangunt et urunt animas.*"

Non datur in terris dolor super dolorem ignis. En si cogito fornacem in qua æs funditur, et si vel ad horæ quadrantem in illa manere deberem et vivus persistere possem sentiendo dolorem ignis, o qualis ac quantus esset cruciatus! Et nunc si cogito immensos, et æternos illos ignes!! Imaginabor mihi quod jam in illo constitutus essem et exitum ignorarem; et si daretur exitus! qua cura et æstu illum ipsum diu noctuque quærerem? Verum in inferno non pateret si quando quod Deus avertat ibi essem. Nulla enim ex inferno redemptio. Verum nunc ecce patet exitus omni momento et si millies ipsum promeritus essem, adhuc patet ex inferno exitus, per seriam nempe vitæ emendationem. Quo plenior hæc erit, eo remotior ab inferno deinceps degam. Eritne possibile ut adhuc anceps hæream quid mihi faciendum sit. Fugiam, fugiam ab omni utique peccato tamquam a facie colubri. En quanti cruciatus urgeant ut me salvem omni quo possum conatu.

Et nihil adhuc de *damno* contemplatus sum quod patiuntur damnati! Qualis etiam et quantus exinde dolor animæ et cruciatus! Trahitur enim anima ad Principium suum propter quod creata fuit — ad Deum et unionem cum Illo in communione Sanctorum; sed retinetur vinculis æternis. Perdidit homo cælum! – et hoc in æternum. O quanta jactura – quanta desolatio et quanta exinde *desperatio*. Audi anima mea Dominum de

hujus damni dolore immenso ita per Prophetam minitantem: "*Ecce servi mei comedent, et vos esurietis; ecce servi mei bibent, et vos sitietis; ecce servi mei lætabuntur, et vos confundemini; ecce servi mei laudabunt exultatione cordis, et vos clamabitis præ dolore cordis et præ contritione spiritus ululabitis. Ecce enim ego creo cœlos novos* (*k*)." Novos cœlos novis semper divinisque gaudiis perfusos. O quanta jactura – jactura DEI – perditio Dei boni *infiniti*; jactura *cœli* dum interim infernus os suum aperit et *dilatet* ad novos semper cruciatus et hoc in æternum sine fine — in *æternum!!* En finge tibi anima mea: si totus mundus cum omnibus corporibus cœlestibus hujus firmamenti ex ferro esset, et daretur damnato promissio, quod pœnæ ejus finem essent accepturæ tunc quando circumcursando per orbem ferreum pedetentim pedibus eum attereret; solet enim ferrum etiam frequenti ingressu atteri et minui. Quid putas, quot milliones millionum annorum duraret pœna?! et tamen veniret tempus ubi omnis orbis, si partes attritæ removerentur semper, imminueretur usque ad punctum et evanesceret. At nec tunc ab æternitate pars quædam periisset, sed adhuc maneret tota, quia non habet finem. Et cum illa manerent et manebunt sine fine damnatorum pœnæ!! O æternitas — o infernus!! —

Finis meditationis sit "*faciendo unum colloquium ad Christum Dominum nostrum*" cujus nempe morte redempti sumus ab his flammis.

Hæc gratiarum actio ut per Colloquium hoc quam affectuosissime fiat, necesse jam est: "*trahere in memoriam animas quæ* (*jam nunc*) *sunt in inferno.*" Aspiciam itaque visu imaginationis animas omnes quæ inde a morte Cain usque ad præsens temporis punctum ad infernum ruebant – et quidem "*aliæ eo quod adventum Christi Salvatoris non crediderunt*; *aliæ* (*quod*), *credentes non operatæ sunt juxta ejus mandata.*" Quid conscientia mea ad hoc ultimum? — "*Faciendo tres partes* (*i. e. omnes illas animas distribuendo in tres ordines, sive series*) ut sic efficacius perpendam quomodo nullibi et nunquam fuerit securitas ab interitu pro iis, qui a peccatis recedere nolebant. Quarum dico animarum pars *prima ante adventum Domini perierit; secunda, vivente eo; tertia, post ejus vitam in hoc mundo: et simul gratias ei agere, quod non siverit me incidere in ullam ex istis* (*tribus*) *finiendo vitam meam*" dum adhuc in peccatis essem. *Item quomodo usque adhuc semper me tanta pietate et misericordia prosecutus sit.* Hæc itaque menti præsentia sint in colloquio hoc quod jam cum Salvatore meo instituam:

O Jesu Crucifixe! quodsi amplexus tuus considerando te in monte Calvariæ cor meum jam ingenti gratitudinis sensu perfundit, quid tandem si crucem sanctam tuam ad fauces inferni spiritu aspiciam et amplector.

Tantis ergo pretiosissimus sanguis tuus o Jesu, eripuit me cruciatibus

et ego non affectuosissime illum exciperem in cor meum ex quinque tuis vulneribus manantem. Mare integrum non extingueret vel scintillam ignis infernalis; et ecce unica gutta pretiosissimi sanguinis tui extinxit flammas omnes illas immensas pro omnibus, qui in tempore fructum redemptionis factæ recipiunt, et corde retinent, immunes facti a peccato. Fixus itaque in tui o Jesu mi aspectu et amplexu orans et flens peccata mea, tuam benedico misericordiam, qua factum est ut nondum urar, toties promeritus pœnam hanc; et tamen etiamnum vivo adhucdum sum in via, adhuc salvandus, dummodo serio volo. Non ita stringit amicus amicum, mater infantem, sponsa sponsum tanto cum affectu, quam ego o Domine Jesu, sanctam tuam crucem! Nam inferni horrore perculsus, qui hac meditatione ossa mea penetrabat, in cruce spem unicam et tesseram salutis certissimam amplector. O quot animæ perierunt jam in toto mundo per quatuor mille annos usque ad adventum tuum. Verum tamen o me felicem non sum ex illis!! O quam gratus pedibus tuis osculum figo et clamo: Misericordia tua Salvator mi quia non sum consumptus! Quot te vivente in terris perierunt in toto mundo! Periit etiam Judas unus ex duodecim; periit unus ex duobus tecum cruci affixis; – tamen non sum ex illis! O quam gratus manibus tuis, quæ me salvarunt osculum figo et clamo: quid retribuam tibi o Domine Jesu – o bone Jesu!! pro tanta tua bonitate ac misericordia erga me. Quot tandem etiam post tuum adventum in mundum perierunt ex gentibus, ex hæreticis, ex ipsis Ecclesiæ tuæ filiis? Quot perierunt jam ex hac civitate aut ex hoc loco ubi nunc ago, lapsu irreparabili! – Non sum ex illis – o me felicem adhucdum vivo. O Domine Jesu, Salvator mi, permittas quæso, ut ad latus tuum jam appropinquem. O quanto cum gratitudinis æstu figo osculum cordi tuo pro me vulnerato — pro me scisso! Audi quæso Domine promissum fidelitatis meæ: *jam non peccabo amplius!* Vere, quid dicerent, quid agerent damnati, si seria hac promissione salvari adhuc possent ut ego, et quomodo abhinc viverent? Ita et ego jam modo vivam tamquam ab *inferis redux*. Eripe me Domine Jesu ab hoste maligno et dele iniquitatem meam. Lava me Domine tuo cruore et dealbabor. Dicam adversum me peccata mea coram Sacerdote tuo confessione fideli atque perfecta; et pupilla oculi mei ne taceat super multitudinem peccatorum meorum. Propter dulcissimum cor tuum pro me transfixum quæso te Domine exaudi me et salva me, et a peccatis meis libera me, ne peream opus manuum tuarum. Qui me plasmasti miserere mei! qui me redemisti miserere mei! — Pater noster.

---

a) *Lib. de laud. Mart. c.* 12. — *b*) *Matth.* 25, 41. — *c*) *L.* 21 *de civ. Dei.* — *d*) *Apoc.* 20, 10. — *e*) *Apoc.* 14, 11. — *f*) *Job.* 10, 22. — *g*) *Lucc.* 18, 24. — *h*) *Isa.* 33, 14. — *i*) *Osee.* 73, 9. —

MEDITATIO.

DE DAMNIS TEMPORALIBUS E PECCATO PRÆSERTIM MORTALI PROVENIENTIBUS *).

Oratio præparatoria consueta.

Præludium I. — Erit videre visu mentis hominem (me ipsum) vulneratum a capite usque ad plantam pedis: totus vulnus, livore et plaga tumens. Talis enim est status animæ peccatricis, ut ex iis, quæ jam meditatus sum, probe intelligo, et magis adhuc cum divina gratia hac hora perspiciam.

Præludium II. — Erit petere a Deo gratiam, ut perspectis damnis plurimis maximisque, quibus peccatum hominem in terris quoque affligit, illud summopere detester et devitem deinceps perfecte.

O Domine amplius lava me a peccatis meis, et amplius me illumina, ut non quomodocunque in superficie quasi, verum intime perspiciam malitiam totam peccati, et vel umbram ejus plus quam mortem fugiam.

PUNCTUM I.

Erit considerare, quod hominis intellectus per peccatum obcæcatur, ratio sensui subjicitur; voluntas a divinis rebus avertitur cum nausea rerum spiritualium; naturales facultates perverluntur, sensus illecebris addicti depravantur; corpus morbis haud raro inficitur – totusque homo privatur amicitia Dei, gratia et specialibus auxiliis divinis omnibusque virtutum ornamentis, quibus ditatus fuerat tamquam filius Dei, unde nihil in illo remanet, quam horrificum chaos et luti volutabrum; atque ita Dei inimicus constitutus et a paterna Dei cura et filii adoptione rejectus, injuste et tanquam fur versatur in mundo et ut latro et non ut filius rebus fruitur, videlicet terra, aqua, et aliis omnibus creaturis. Heu quam tristes effectus et quam misera peccatoris conditio!

Considerabo itaque peccati tristes effectus, et quidem non tantum in genere et ad finem ultimum pro tota æternitate, prout jam feci, ve-

*) *Quum fructus Hebdomæ I. potissimum consistat in peccati commissi cognitione ac detestatione, Mortis vero et Judicii et aliarum pœnarum peccati consideratio ad hoc ipsum, præsertim ad expurgationem animi per sinceram exomologesim nempe peccatorum et emendationem vitæ plenam, et ad ordinandam recte vitam et mundum perversum vanumque abhorrendum sit efficacissima: S. Pater et ab eodem edocti primi Patres meditationes super has veritates exercitiis hucusque positis addere consuevere, quod et nos hic loci ad Exercitandorum commodum præstamus.*

rum in specie considerabo effectus peccati tristes in anima et ejus bonis naturæ et gratiæ quamdiu hic in terris moratur.

Primus effectus lamentabilis est, quod obcœcet hominis intellectum. O malitia ingens, et in sequelis, suis lamentabilis nimis! — Obcœcat peccatum intellectum, ne peccator videat, quo vadat, et ne suam ipsius fœditatem et miseriam advertat perspiciatque. Quis enim hanc videns, posset unquam se ad peccatum resolvere, aut quis, si lapsus est, in statu peccati vellet permanere?! O quanta cœcitas qua peccatum homines obcœcat. Interrogabo totum mundum peccatis mersum. Ecce quanta cœcitas! "*Non est qui recogitet corde.*" Ita clamat dolens Propheta (a). Utique non est ferme, qui recogitet: quis sit ipse, et cur tandem vivat, ad quem finem! Vivunt homines peccatis obcœcati, quasi nullum esset cœlum, nullus infernus, nulla æternitas, neque mors ulla! Et ita peccato obcœcati vivunt *Christiani* quoque, licet in admirabile lumen fidei vocati, at per peccati tenebras misere obcœcati. Video utique tot homines cœli oblitos et mirabili cœcitate captos nil aliud quam terram palpare, super hanc repere, hanc solum sapere, et non videre, quæ tamen tam lucide Deus nobis præ oculis posuit atque tam fortiter cordi inclamat; videlicet: Unum solum esse necessarium negotium: *curam salutis* (*b*)! O cœcitas ingens! non vident, non intelligunt homines licet de cœteris quoad temporalia per omnia sint perspicacissimi, non vident licet Christiani sint, non vident nec curant hoc unicum necessarium negotium in illa turba negotiorum, quibus occupantur; non attendunt, nec sibi applicant verba clarissima illa Salvatoris: "*Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur* (*c*)." Potius ita vivunt in terris, quasi hoc unice *necessarium* negotium sit unice *secundarium;* et axioma plane contrarium sequi videntur, nempe: Quid prodest totum cœlum, quid prodest salus animæ, quid prodest felix æternitas si vel minimum detrimentum in negotio temporali patiar? — O cœcitas incredibilis et ingens in homine peccatore christiano. Et heu ego ipse numquid non hac cœcitate per peccatum excœcatus in tenebris his plus quam ægyptiacis palpabam et in peccatis meis sordescebam, atque incurius salutis cum mundo mundanis inhiabam rebus, et delectabar rebus perituris ac peccaminosis, quin me affligeret status tantæ miseriæ! Imo videbantur mihi bona quæ pessima erant, splendida quæ fugienda; ridebam in eis, in quibus lachrymis irremediabilibus flendum fuisset. O cœcitas immensa! æstimabam grandia, res vilissimas; et duxi divitias, quod stercus est, honorem quod fumus, voluptatem quod fimus est, gaudium animæ id quod afflictio spiritus est. Hiscebat ante me infernus apertus et ego frigebam, et ego ridebam et non videbam — donec tandem affulsisset gratiæ tuæ splendor eximius, qui cœcitatem hanc illuminavit atque illuminat, ut tanquam squammæ jam cadant, quæ hærebant oculis mentis

meæ, ut cognoscam finem meum et simul miseriam meam, deviationem nempe meam ab ipso hoc fine et fleam cœcitatem meam hanc nimiam ! ! O qualis essem in rebus divinis, si nunquam peccatum obcœcasset, vitiaretque etiamnum intellectum — memoriam — affectus — et voluntatem meam ! !

Homine autem semel obcœcato quid mirum, si omnia susque deque vertantur et in pejus ruant ? ! Et hi sunt porro tristissimi effectus, quibus peccatum in terris peccatorem affligit.

Ratio sensui subjicitur. Ita plane. Non enim quæ ratio dictat, attendit peccator, sed quorsum passio trahit, illuc præceps ruit ; – et ita ratio sensui subjicitur servitute o quam indigna, qua nempe homo *facto* negat se aliquid supra brutum esse, et potius infra illud se abjicit, ut in excessus ruat contra ipsum naturæ ordinem, et sic quod nec bestiæ agunt, peccator — homo — agit ! — Voluntas autem hoc ipso a divinis rebus avertitur cum nausea rerum spiritualium et ad concupiscentiæ effrænis servitutem convertitur, appetitus sensitivi exsatiationi inhians, — Sane, homo cum in honore esset non intellexit : comparatus est jumentis et similis factus est illis (d). Vere quam deploranda perversitas ! Gustat de siliquis porcorum cum satisfactione quadam homo peccator, et de torrente voluptatis spiritus gustare refugit, et a rebus divinis quasi horrens avertitur, quæ tamen unice solatium adferre valent tantis in angustiis quibus premuntur in terris res humanæ ! Et quæ hujus miseriæ consequentia nisi hæc demum : naturales dico facultates tam nobiles *pervertuntur*, – pervertuntur dico non extinguntur ; pervertuntur perversione utique nunquam satis miranda, nunquam satis deploranda ! videlicet : in quantum homo peccator ad æternarum veritatum vim magis magisque obdurescit, quarum tamen quasi infinita est efficacia ; – in tantum contra fit sensibilior ad momentanea, transitoria, vilia, exilia. Quid tandem hoc o Domine et quanta perversitas ? ! En pulvis tantillus movet permovetque hominem, et pondus ingens veritatum et promissionum et comminationum æternarum non movet ; trahit miserum voluptas quævis, et non trahit divina ; trahit momentanea, et non trahit æterna ; trahit vita caduca, et non trahit immortalis ; allicit spes vana et honor tantillus, et non movet spes præmii sempiterni et corona cœlestis ; exaltat et trahit dignitas quævis et non movet gloria ipsa cœlestis. Retrahit contra et repellit dolor vel minimus temporalis et hujus periculum ac timor, et non retrahit et non repellit dolor immensus, dolor sempiternus, dolor gehennæ – Infernus ! Ecce hunc credit homo christianus et manens simul peccator velut statua quædam marmore frigidior subsistit, licet tantis in salutis periculis constitutus. O perversitas quanta, qua facultates spirituales hominis pervertuntur, ut jam lucem tenebras et has lucem dicat (e). Nec mirum quod tanta corruptio interna etiam haud raro foras prorumpat et

corpus ipsum sensusque morbis inficiantur variis. O quam dirum flagellum plagarum temporalium parat peccatum, cujus ictibus innumeris resonant universa et sub quibus misere languent, vulnerantur et concidunt familiæ integræ, regna corruunt et populi omnes lamentantur. – "*Miseros autem facit populos peccatum*" – ita sacræ paginæ testantur (f). O vere quot homines peccatis suis sanitatem, opes et vitam ipsam perdidere, avaritia, invidia, luxuria, gula, ira enecati. Et numquid non quævis vehemens passio corpus atterit?

Verum quid de corpore dicam vitaque externa hominis? jacturam ingentem bonorum supranaturalium quam his in terris jam patitur homo christianus peccator considerabo. Ecce vel per *unicum* peccatum mortale cogitatione solum commissum, statim privatur homo peccator amicitia Dei. Heu qualis jactura, *Deum* perdidisse! et gratiæ vinculum rupisse, quo vinculo eidem unimur "*ut filii Dei nominemur et simus* (*g*)". Qualis et quanta jactura, perdidisse *gratiam*, sanguine et morte Salvatoris Christi partam; perdidisse arrham salutis, thesaurum infinitum meritorum Jesu Christi et Redemptoris una cum specialibus auxiliis divinis, omnibusque gratiæ ornamentis, quibus exornata aliquando erat anima. Qualis ac quanta jactura, perdidisse *meritum* bonorum operum aliquando cum Dei gratia factorum, et simul incurrisse *inhabilitatem* ad ponenda ejusmodi opera pro æternitate meritoria quamdiu in statu peccati fuero. Quidquid enim boni in statu peccati fit, pro cœlo nihil valet. Valuisset utique in statu gratiæ et potus aquæ frigidæ alteri propter Deum exhibitus gradum gloriæ in cœlis; et nunc et si vivus urar et distribuam pauperibus omnem substantiam et charitatem i. e. gratiam non habuero *nihil mihi prodest* (*h*) ad cœlum, sed per se perituram tantum in terris habet mercedem. O jactura qualis ac quanta! et illam non curat demens peccator! Ut nihil aliud demum in homine peccatis fœdato remaneat quam horrificum chaos et luti volutabrum quod in apostemate sanie fluente suam fœtidam habet imaginem, ut jam contemplatus sum; atque ita homo Dei inimicus constituitur. — Contemplare et perhorrescere ita ut pili assurgant in capite tuo: si peccator adhuc es, INIMICUS Dei es! Væ! — Deum Omniscium, Omnipotentem, Omnipræsentem, Sanctissimum, Justissimum, habere inimicum; Deum, qui unico suo nutu me perdere potest omni momento in gehennam ignis æterni! etiam in hoc ipso utique, quo hæc lego momento! Et si adhuc in terris aliquamdiu subsistam, o quanta jactura atque miseria, Deum Patrem habere inimicum, et a paterna ejus cura excidere, perdere adoptionem filiorum Dei, et longius ab illo avelli quam bestiæ silvæ aut quævis alia creatura irrationabilis. Ergo consequenter etiam alienus fieri ab omni jure utendi quæ Dei sunt, videlicet rebus omnibus creatis; ita ut peccator jam velut fur utatur aere, aqua, cibo omnibusqne deniqne aliis creaturis. Et non me

puderet in peccatis vitam talem super terram ducere, et quidem etiam alias ob causas in peccatis tam inquietam, tristem et lamentabilem, cum tamen possem si vellem pace justorum frui !

PUNCTUM II.

Secundum erit cogitare, quod per peccatum remanet stimulus quidam, qui totum hominem indies torquet et cruciat. Vermis enim conscientiæ illorum non moritur et ideo quasi mare fervens nunquam quiescit peccator ; sed assiduis tentationum procellis hinc inde agitatus et acutissimis aculeis confossus, requiem non invenit, sed funibus peccatorum quotidie magis magisque constrictus tanquam filius prodigus, fame rerum spiritualium tabescit, et ita ad inferni iter misere accinctus, suomet pondere in gehennæ baratrum præceps ruit.

Vere "*non est pax impiis* (*i*)." Tu enim Domine in cordibus nostris posuisti testem et judicem. Licet enim ad tempus peccator conscientiæ vocem suffocet et ingluvie peccatorum quodammodo obtundat ; evigilat tandem et clamat et quidem eo fortius quo majore violentia prius sopita fuerat. Et nunc quantus dolor, quantaque rabies, quando simul conscientia damnat male facta et væ damnationis in proprio pectore proclamat, et simul tamen novo passionum impetu in eadem et fors graviora adhuc peccatorum monstra impellit et rapit eum, qui sui vix jam compos illuc ruit quorsum tentatio trahit. Et hæ sunt furiæ illæ, peccatorum pedissequæ, quas etiam gentiles prout experientia norunt, ita formidarunt. Et quid tu ipsa anima mea, numquid non ipsa experta jam es hunc stimulum, et morsum conscientiæ læsæ ? — Non es experta hunc vermem rodentem ? ! Non es experta has tentationum procellas et quidem quantas ! — Fluxus hi sunt et refluxus maris quasi despumantis, ut ait Apostolus *suas confusiones* (*k*). Sunt enim passiones omnes sibimetipsis inimicæ et quælibet ad suas concupiscentias trahit peccatorem et simul sui ipsius plaga est quam maxima (l). Tabescit utique superbus superbia, invidus invidia, iracundus ira etc. atque ita peccator vehementi prorsus passionum impetu huc illuc agitatus simul acutissimis aculeis confoditur ; aculeis nempe cupiditatum et remorsuum, qui identidem animam ejus lacerant.

Putat quidem initio obcœcatus peccator posse se gaudiis creatis satiari ; at non novit cordis sui immensam capacitatem, utpote pro Deo creati. Certe nisi tanta cordi humano inesset beatitudinis capacitas, non tanta voracitate et beatitudinis cupidine miseri peccatores vorarent sordida terræ gaudia ; sed quoniam simul hæc gaudia veri nihil continent necque eisdem cor eorum refici potest. Unde degustatis aliquibus illicitis vanisque gaudiis, quantum nempe ex creaturis arripere potuit misere delu-

sus homo, brevi inanitatem omnium proprio experimento sentire incipit, simulque crescit fames cordis et frustra siliquis impurarum illecebrarum porcorum more se implere cupit. At incassum; acuit sitim et famem non extinguit, et sentit tristitia obrutus, inexplebile vacuum cordis, quod quia non habet gaudia spiritus, quo confortetur in hac vita, per conjunctionem nempe amoris cum Deo, quo gaudia cœli prægustantur in proprio fonte, necessario fame rerum spiritualium tabescit miser et torquetur.

Debilitatur sic sensim viribus et vigore spiritus, magis magisque consuetudo peccandi in ipso fit quasi ipsa altera natura, et sic compedibus et vinculis Satanæ constrictus fit e filio Dei diaboli mancipium. O vere horribilis et dira atque infelix servitus, qua homo liber natura sua, per abusum hujus ipsius libertatis suæ, fit libere jumentum quasi diaboli, accinctus ad inferni iter, et suomet pondere, pondere videlicet tot gravium peccatorum, quibus onustus est, in gehennæ barathrum ruit et mergitur, – bene dignus in quem omnes creaturæ damnationis sententiam proclament.

Ruit enim injurius in Deum Creatorem cujus legem transgreditur, cujus beneficiis per creationem acceptis abutitur; ruit injurius in Deum Conservatorem; abutens ejus ope, qua ad omnes ac singulas corporis animique functiones opus habet; ruit injurius in Deum Salvatorem et sanctissimam humanitatem Christi Redemptoris cujus vulnera, sanguinem, crucem, merita perdit et pedibus calcat. "*Crucifigentes sibimetipsis filium Dei, et ostentui habentes.*" Ita inclamat Apostolus (m). – Ita anima mea, Dominum et Deum tuum Salvatorem peccatis tuis tradidisti, conspuisti, flagellasti, coronasti, ad mortem crucis postulasti, et in peccatis relapsus, calcasti novo sacrilegio, calcasti pedibus vulnera Christi, etiam vulnus cordis sui, calcasti sanguinem, calcasti crucem, calcasti mortem Christi, calcasti pedibus omnia ejus merita illaque in infernum projecisti, non ad extinguendum illud sed ad infinities vehementius illud pro te inflammandum!! —

COLLOQUIUM. Quousque o Deus mi, quousque tandem insania nefanda peccati mei progressa est, ut abnormia hæc omnia fecerim, et in conspectu ipsius tuæ Divinæ Majestatis id facere ausus sim?! In te enim, o Domine vivimus, movemur et sumus, et sine ope tua atque concursu nihil facere possumus; et hoc est quod culpam meam tam insigniter auget; videlicet quod omnia hæc, quæ vel mente nunc recolere pudet et pœnitet, ipso te Deo intime mihi præsente et spectante egerim, et quod in hac infami mea servitute peccati, tua o Domine ope divina abusus fuerim in diaboli servitium. Nisi enim tua Potentia concurrat, quæ me in vita conservat et sine qua nullas corporis aut animæ functiones peragere valeo, numquid non statim in nihilum, ex quo me duxisti iterum fuissem redactus? Noluit hoc tua Sapientia, et quod tua ope omni in-

stanti concurras, quod sim et agam, tuæ Largitatis erga me beneficium est — quod toties renovatur, quoties cor meum palpitat, pectus respirat, sanguis per venas fluit, oculus videt, auris audit, manus se movet. Et quid de animæ functionibus dicam, ut cogitet ipsa, intelligat, reminiscatur, sentiat, velit; omnia hæc nonne tua sunt dona quibus illam oxornasti, ut sit imago quædam tua? atque in singulis his actibus quos ipsa ponit, tuus semper concursus adest, ut nemo quidquid agat glorietur nisi in te et per te Domine (n). Bona hæc sunt pretiosissima Potentiæ, Sapientiæ et Beneficentiæ tuæ erga me. Et ego — et ego hæc omnia in hostilia tela converteram, et hæc contra Te Domine, Bonum summum et per omnia Benefactorem meum supremum. O vere ingratitudo quæ mente numquam plene comprehendetur. Insurgit peccator oblitus omnium donorum, imo his tamquam armis abutens contra Te et omne quod tecum jungitur tibique charum est; insurgit contra Te et Christum tuum; contra Illum et Matrem ejus sanctissimam, et propter peccatum dolorosissimam; contra Te et omnes angelos atque electos tuos. Etenim abutendo tuis donis in tui contumeliam, qui es amor et gloria et beatitudo illorum, quantum in se est homo peccator constristatur hos omnes. Et non cooperando gratiæ tuæ ad meriti augmentum, quod dein per communionem Sanctorum commune foret omnibus beatis, illos quantum in se est privat gloriæ accessione. Sed et malo suo exemplo fit aliis in scandalum, illisque, idque quam plurimis, præbet peccandi offendiculum. Itaque non sufficerat meipsum per peccatum in ruinam præcipitem dedisse; sed etiam aliis factus sum petra scandali, lapis offensionis, causa ruinæ — heu quoties! — et quam multis! — et in peccatis quam gravibus! Toties promeritus sum ut in me adimpleretur verbum Evangelii: "*Expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris* (*o*)." Numquid non tristis hæc veritas lapis est, qui me in mare doloris usque ad imum trahat ut plangam et doleam super iniquitatem meam. Quot heu forsitan jam hac hora ardent in inferno etiam propter me, quorum peccatis cooperatus sum; vel plane *solum* propter me, quos ego infelix ad peccatum seduxi; et ego adhuc vivo, o Domine Deus et Misericordia infinita! parce quæso, parce peccatis meis, et da locum pœnitentiæ! Nondum me judicasti, adhuc vocas me, fac ut vocem tuam jam sequar et plene tibi reconciliatus jam non peccem amplius. "*De profundis clamavi ad te Domine* (*p*)" de profundis in quæ peccatum meum me præcipitabat. Exaudi me Domine! Malitia peccati mei Domine abyssus multa, inclamans abyssum tuæ misericordiæ: "*ne tradas quæso bestiis animam confitentem tibi* (*q*)" sed fac ut a laqueis peccati liberer perfecte, ut fleam cœcitatem meam, et per sinceram utique sincerissimam et plenissimam peccatorum meorum confessionem sacramentalem expier et munder totus; – atque ita per tuam gratiam in novum plane hominem

mutatus in tuis amodo ambulem justificationibus placens tibi. Hoc ipsum autem quod ita jam ad Te orem et in tuam Bonitatem per merita Christi Salvatoris confidam, quid aliud est quam opus gratiæ tuæ in me. Quare "*omnia quæ intra me sunt laudem dicant Tibi* (*r*)." Da Domine, ut cum omnibus Sanctis propter hanc meam resurrectionem a morte peccati ad novam vitam tibi aliquando in cœlis cantem gratiarum actionem sempiternam, et perpetuo colloquio cordis mei: o Jesu, ad cor tuum Salvator mi grates referam perennes, pro tanta tua erga me exercita Bonitate. — Pater Noster.

---

a) *Isaias* 57. — *b*) *Luc.* 10, 42. — *c*) *Marc.* 8, 36. — *d*) *Ps.* 48, 21. — *e*) *Isaias* 4, 20. — *f*) *Prov.* 14, 34. — *g*) *I. Ioan.* 3, 1. — *h*) *I. Cor.* 13, 3. — *i*) *Isaias* 57, 21. *k*) *Ep. Judæ* 13. — *l*) *Rom.* 1, 27. — *m*) *Heb*, 6, 6. — *n*) 1. *Cor.* 1, 31. — *o*) *Matth.* 18, 6. — *p*) *Ps.* 129, 1. — *q*) *Ps.* 84, 19. —

MEDITATIO.

DE MORTE.

ORATIO PRÆPARATORIA consueta. —

PRÆLUDIUM I. — Erit videre visu mentis me ipsum in articulo mortis, quomodo animam agam, jamjam in æternitatem abiturus,

PRÆLUDIUM II. — Erit petere a Deo, gratiam quam per meditationem hanc obtinere volo, nempe ut sentiam responsum mortis in me de quo loquitur Apostolus (a) — sicque confirmer in horrore peccati, et ad virtutis simul zelum et fervorem potenter inciter; — "*veniet enim nox ubi nemo poterit operari* (*b*)."

O Domine Deus et Creator meus, qui in justissimam peccati pœnam sententiam mortis in me tulisti, da ut totam vim verbi tui in hac meditationis hora percipiam: "*Pulvis es et in pulverem reverteris* (*c*)"

PUNCTUM I.

"*Statutum est homini semel mori* (*d*)." Moriar, utique moriar et ego — certissimum est; inevitabile est; *moriar, moriar*! Abibit anima mea et quidem *brevi* ex hoc ergastulo corporis, quod incolo; abibit in domum æternitatis (e). Veritas est quam totus orbis cum suis sepulchris mihi tam fortiter acclamat. En ubinam sunt omnes isti populi et nationes, quæ per ferme sexaginta jam sæcula super faciem terræ vitam

aliquando vixerunt innumeris bellis negotiisque clamorosam ? In cineres conversi sunt omnes; jam silent silentio mortis. Moriar et ego et quidem brevi. Quid enim est vita hominis ? *Umbra* dies nostri sunt super terram (f). *Sagitta* sunt ab arcu emissa, quæ ad metam volat (g). O quam celeriter volvitur annus ; quam cito transit mensis post mensem ; et pauci admodum sunt, quos homo vivit annos, et si plenam ad senectutem vivat vitam hominis. Verum et hoc incertum est an ad illam senectam ætatem perveniam ; moriuntur enim plurimi etiam in flore ætatis, et nemo ad ætatem pervenit quam sperat ; venit enim mors velut *fur*, quando non putamus, ut Christus ipse testatur (h). Videbunt itaque homines haud post longum tempus etiam me agonizantem. Jam claudam tantisper oculos, ut me ipsum considerem positum in lectulo mortis corona fratrum circumdatum, en quomodo *agonizabo !* Ardebit candela in hac manu mea et commendabit sacerdos confrater meus ut spero animam meam. Sudabit facies hæc mea sudorem agoniæ !— adhuc aliquantulum temporis, adhuc minutum, et separabitur anima ab hoc meo corpore et erit eodem momento in æternitate. "*Mortuus est*," ita de me dicetur peracta agonia. En cadaver meum in lectulo mortis extentum. Tempus non erit amplius; sic vox angeli intonat de me: "*Tempus non erit amplius !*" (i) Effluxit tempus unicum et pretiosissimum totius vitæ meæ ; effluxit totum, non reversurum amplius. Contemplare anima mea et vide totum apparatum funebrem. En venientes et abeuntes homines, qui corpus hoc meum jam exanime et cadaver considerabunt, et pro me orabunt, et aqua lustrali aspergent has exuvias meas ; adferetur feretrum, ut demittar in illud. Ita plane! jacebit brevi hoc corpus meum in *feretro*. En clauditur illud. O si modo audire daretur pulsus, quibus clavi in illud infigentur, ut ab omnium hominum jam removear aspectu. Audiam spiritu æs pulsu funebri pro me sonans. Portant corpus hoc — quorsum? ad fossam recenter factam—ad *sepulchrum* et in illud me demittent ruetque terra super me, in qua hoc corpus meum putrescet brevi et dissolvetur. Inspice anima purulentam hanc massam; corpus tuum erat. Edic jam an non amentia esset propter hoc pus ab ultimo fine deviare, a cœlesti illa indifferentia, in fundamento proposita deflectere, et propter fœdum ergastulum corporis perfectiori Numinis servitio nuntium velle mittere ? An non vesania esset omnes totius vitæ labores, curas, vigilias in id unum impendere, ut corpus hoc, vermium esca, commodius dormiat, delicatius vivat, melius nutriatur ; et interim pericula æternæ damnationis incurrere! Corpori ad momentum temporis illicite servire, ut aliquando resuscitatum ardeat in sempiternum. O terra—terra—terra—audi vocem Domini: "*Nemo potest duobis dominis servire*" (k). Nisi carnis excussero jugum numquam serviam Deo, eo quo is voluerit modo ; numquam ab imminenti damnationis periculo securus agam. Et quid si totum mun-

dum possiderem pro adeo exiguo momento temporis; numquid non mortis nuntius qui in dies instat, avertere deberet animum meum ab illo?— *Quare — Memento — Memento mori.*

PUNCTUM II.

"Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus" (*l*).

Quomodo moriar? Num male, vel vero bene? Non datur alterum; et hoc ipsum pendet a mea presenti vita. Est mors echo vitæ, quemadmodum proverbium habet, et quotidiana experientia testatur.

Quis itaque præsens status animæ meæ?—Si nunc in hoc momento mihi ex hac vita esset migrandum, num essem paratus? An habeo indicia sat manifesta me esse in gratia constitutum? An omnia exacte semper confessus sum? An nihil prorsus angit animum? O quæ temeritas, vel uno momento temporis in eo statu velle vivere, in quo nollem mori.

Quomodo itaque vixi hucusque? — An plene atque unice Deo, cœlo, æternitati; vel an vanitati, amori proprio, carnisque blandimentis atque illecebris? Numquid vel unum diem, vel unam solam horam, sine admixto ullo defectu Deo consecrabam? Num vel unicum heroicum actum in servitio Dei posui? Quid egi hucusque pro Christo, pro regno ejus et animarum salute? Quid passus sum pro illo, pro cœlo? Quomodo animo comparatus essem de hoc vel illo in *specie*, siquidem in limine æternitatis jam me viderem?

Quomodo tunc vixisse optabo? — Quem vitæ statum elegisse — et quem gradum perfectionis in illo tenuisse optarem, si modo mihi esset moriendum? O quomodo tunc optarem cum Deo singulos dies incepisse et omnia peregisse, quæ, et quando, et quomodo voluerat Deus. Quomodo tunc optarem meditationes omnes perfecte obiisse, intentionem purissimam in actionibus meis semper habuisse, tentationibus omnibus statim restitisse, amori proprio nunquam indulsisse, humilitati per omnia studuisse, officia status fervore Xaveriano semper obiisse. Ah! unicus tunc erit dolor in morte, infinite acerbior agonia ipsa; nempe tepidus vixisse, tempus perdidisse. Unicum solatium: pro Deo et anima et animabus continuo laborasse, plurimaque pertulisse. Desiderium unicum, nempe hoc: O si daretur semel adhuc vivere, o si daretur vel unius anni, vel unius mensis spatium temporis! O me felicem, adhuc possideo, quod tunc ingenti quidem desiderio at frustra optabo habere, et quod non habebo in æternum; nempe habeo adhuc *tempus*, adhucdum vivo, adhucdum cor palpitat, adhucdum possum, modo volo, emendare omnia, et abstinere plene ab omni peccato et omni peccati deliberati umbra; adhuc possum dummodo volo premere vestigia Patrum juxta normam Instituti, et sic vivere tamquam verus Socius Christi, ut etiam moriar in Ejus am-

plexu. Erunt tunc suprema Salvatoris verba, etiam mea super mel et favum suavia, nempe: "*In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.*" (*m*) Ita maxima cum confidentia suspirabo, et dulcissimum Nomen Jesu ingeminando expirabo. *O vere pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus;* talis erit et mors mea, si novissimorum semper memor fuero. (n)

Suspiria. — Pater de cœlis Deus, miserere mei, et a mala morte libera me. Fili Redemptor mundi Deus, miserere mei, et a mala morte libera me. Spiritus Sancte Deus, miserere mei, et a mala morte libera me. Per passionem et mortem Jesu Christi Salvatoris mei, libera me Deus. — O Jesu, bone pastor, exaudi me, qui posuisti animam tuam pro me, in hora mortis meæ, sis mihi— *Jesus* — Salvator — suscipe me. O Domina mea et Mater Maria, mater misericordiæ et bonæ mortis, sis mihi potissimum in illa hora, Mater et Advocata, ne prævaleat inimicus adversum me. O tu, quæ neminem deseris, qui ad te confugit, ad te clamo: Audi purissima et sine macula concepta mater gratiarum, quæ caput serpentis contrivisti, adjuva me, ut ego tentationes quasvis in vita superem, ne in hora mortis eisdem succumbam. O spes bonæ mortis meæ, totum me tuo Patrocinio trado, maxime pro suprema mortis hora. Innumeris maximisque beneficiis me per totam vitam auxisti; sunt hæc mihi pignus auxilii tui etiam in mortis hora, ne peream. Omnes Sancti, et vos præcipue, quibus sacra est dies illa, quæ mihi viventi ultima erit, assistite mihi in hora mortis meæ! Tu Angele Dei qui custos es mei, in illa hora custodi me. Sancte Archangele Michael, Sancte Joseph, vos omnes Patroni mei defendite me in hora mortis. Amen.

---

a) 2. *Cor.* 1, 9. — *b*) *Joann.* 9, 4. — *c*) *Gen.* 3, 19. — *d*) *Hebr.* 9, 27. — *e*) *Eccl.* 12, 5. — *f*) *Job* 8, 9. — *g*) *Sap.* 5, 12. — *h*) *Apoc.* 16, 15. — *i*) *Apoc.* 10, 6. — *k*) *Matth.* 6, 24. *l*) *Ps.* 115, 15. — *m*) *Lucc.* 23, 46. — *n*) *Ps.* 115, 15. — *Eccl.* 7, 4.

MEDITATIO.

DE JUDICIO PARTICULARI.

Oratio Præpapatoria consueta.

Præludium I.—Considera te in ipso illo momento, quando exspirabis, et anima a corpore separata coram Christo Judice comparebit.

Præludium II.—Erit petere gratiam quam volo. Hic erit petere, gratiam timoris efficacis Judicii futuri, et ut ita vitam meam componam, ut possim cum conscientia pura et secura de judicio hoc in posterum cogitare.

PUNCTUM I.

"*Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem judicium*" (a).

Comparebo itaque coram Judice divino; nondum cadaver meum frigidum erit, et jam judicatus ero; *a quo?* Christus ipse Salvator meus Judex erit, et judicabit me judicio strictissimo, de tota vita mea. O verbum terribile: "*Redde rationem*" divino Judici (b). Redde rationem, de tota vita, de quavis cogitatione, de quovis verbo, desiderio, opere, de quovis minuto temporis, de quavis omissione, de tua intentione etiam in operibus bonis. Ita plane de his omnibus reddam rationem. Nunc itaque intrabo in judicium mecum ipso, et conscientiam discutiam, ut sic prævenium judicium hoc et me ipsum judicem, ne judicer aliquando ad meam damnationem.

Quid itaque *cogitavi* in tota vita mea? et quot cogitationes erant peccaminosæ? Quid *locutus* sum in tota vita mea? De singulis verbis peccaminosis reddam rationem! Quid *desideravi* per totam vitam meam? De quovis desiderio pravo reddam rationem divino Judici! Quid *egi* per totam vitam meam? Provocabit adversum me *tempus*, provocabit adversum me *gratias* datas, *talenta* concessa. Redde rationem, ita Judex mihi acclamabit, redde rationem de tot illustrationibus gratiæ, quibus te ad bonum vocabam; de tot adhortationibus, de tot instructionibus, catechismis, concionibus, missæ sacrificiis, confessionibus, communionibus, animi recollectionibus, et exercitiis. Scrutabitur Jerusalem in lucernis et ipsas quoque "*justitias judicabit.*" (c) Et heu, quis scit num non actiones meas in specie quidem bonas, ut malas apprehendat Judex divinus, vel ob *motivum*, quo erant positæ, vitiosum; vel ob *finem* propter quem sunt patratæ, malum. Etenim "*etiam in angelis suis invenit pravitatem*" (d). O quale motivum ad humiliandum me, ad confundendum me, atque ad excitandum me, ut absque ullo fuco amoris proprii discutiam conscientiam, et quam sincerissime exponam peccata mea in tribunali sacræ pœnitentiæ sicque prævenium judicium adeo tremendum.

PUNCTUM II.

"*Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi.*" (e)

Alterum est considerare *modum*, quo Judex Divinus judicium hoc instituet, ut nulli excusationi sit locus. Illuminabit nempe scrutans renes et corda Deus immisso in animam cognitionis perfectæ radio, illu-

minabit "*abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium.*" (f) In hoc itaque terribili judicio delictorum meorum *numerus* singillatim inibitur: eorum *species* clarissime distinguentur; *gravitas* lance divinæ Justitiæ et Sanctitatis ponderabitur; *fœditas* dilucide conspicietur.

Omnes animi mei motiones et motionum radices, ac vitiorum fontes patebunt. Dictaminum falsitatem, obtentuum inanitatem, idearum vanitatem minutim clarissimeque, uno quasi obtutu videbo, cognoscens qualis non in judicio meo, sed in judicio et conspectu Dei fueram per totam vitam meam, non qualis apparebam.

Jam autem hoc in articulo rerum:

1) quid sentiam de peccati *malitia?*
2) de pretio *temporis?*
3) de studio *perfectionis?*
4) de abnegatione mei et amore *crucis?*
5) de contemptu mundi et *vanitatis?*

O quam tunc alia quamque diversa a præsentibus mentem subibunt sensa. Nam tunc ut vir ille sanctus ait: tunc magnam fiduciam habebit humilis; contra pavebit undique superbus. Tunc plus exultabit caro afflicta, quam si in deliciis fuisset enutrita. Verbo, quomodo vixisse tunc optabo, quando Judex divinus ad ferendam sententiam os suum aperiet sententiam prolaturus, a qua *æternitas* mea pendebit. O tremendum judicium illud; ne intres adhuc Domine cum servo tuo in judicium, donec deleam pœnitentia seria errata mea et in novitate vitæ ambulem. O vere expavescit anima mea valde; timore ac tremore concutis omnia ossa mea "*dum intonas judicia tua, super me.*" (g) —

COLLOQUIA.— O Pater æterne, qui omne judicium dedisti Filio tuo, ago tibi gratias pro concessa mihi hac hora meditationis; ago tibi gratias quod nondum ad Judicium vocasti me, sed quod adhuc præparare ad illud voluisti animam meam. O Pater misericordiarum, sicut nunc me illuminare dignatus es salutari influxu gratiæ tuæ, ita conservare dignare deinceps in me hujus meditationis efficacem perennemque memoriam. Ita te rogo per merita Jesu Christi, Filii tui, Salvatoris mei.

Pater noster.

O Jesu, Judex vitæ meæ! numquid aspectum vultus tui et vulnerum tuorum sustinebo, quando apparebo in conspectu tuo? Gaudeo equidem propter gloriam tuam quod Judex meus futurus sis, nec alium quam Te Judicem desidero toto cordis affectu; attamen *timeo.* Adjuva me Domine, ut tibi soli vivam et securus sim in illa hora, quando venturus es judicare me.—Anima Christi.

O Maria, Mater mea et spes mea unica apud Divinum Judicem; impetra quæso nunc mihi gratias, ut vitam deinceps instituam talem,

qualem vixisse optabo in illa hora, et ad quam ducendam tam vehementer impulsum me sentio, dum Judicii recordor. — Ave Maria.

---

a) *Hebr.* 9, 27. — *b*) *Lucc.* 16, 2. — *c*) *Ps.* 74, 3. — *d*) *Job* 4, 18. — *e*) 2. *Cor.* 5. 10. — *f*) 1. *Cor.* 4, 5. — *g*) *Ps.* 50, 1.

MEDITATIO.

DE PECCATO VENIALI ET PURGATORIO.

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I.—Erit videre visu mentis Purgatorium. Animas videlicet in illis flammis lustralibus, et omnes quidem illuc ardentes propter leves noxas animæ. Vide in specie locum, ubi tu ipse ardebis aliquando, nisi liber ab omni prorsus macula peccati et imperfectione quavis deliberate commissa, ex hac vita discedas.

PRÆLUDIUM II.—Erit petere gratiam quam volo. Hic erit petere gratiam cognoscendi malitiam peccati venialis, et gratiam ad firmandum propositum efficax nunquam peccandi plene deliberate, nec leviter quidem. *)

PUNCTUM I.

"*Quia tepidus es, incipiam te evomere de ore meo*" (*a*).

En sententiam terribilem, quam Christus Dominus minatur, nisi abstineam a peccato quovis deliberate commisso. Quis enim *tepidus* est, nisi qui spernit modica, qui peccata quæ dici solent levia non curat et tantum a gravioribus abstinere vult. Consideravi hucusque æternas veritates, quæ immediate horrorem peccati mortalis ingerunt, eo quod per hoc proprie et immediate homo fini suo excidat; at errarem vehementer si cogitarem in fuga tantum peccati mortalis mihi subsistendum, ut certo *salvus* fiam. Neutiquam sed fugiam quoque omni conatu peccatum quodvis etiam veniale, si cura salutis in me plena et sincera est. Quod ut eo efficacius proponam et præstem, sequentia jam meditabor quam diligentissime. Et quidem considerabo primum intrinsecam *fœditatem* peccati venialis:

---

*) *Quum scopus hujus hebdamadæ sit plena atque perfecta purgatio animæ ab omni peccato, utique meditatio de Peccato veniali et Purgatorio ad præsentem hebdomadam pertinet, licet meditationes hebdomadæ secundæ et sequentium media atque motiva magis specialia suggerent ad firmandum et perficiendum hocce propositum: videlicet nec leviter quidem peccandi sed potius omnia alia mala in mundo perferendi, et mortem ipsam potius sustinendi.*

1) Peccatum veniale quamvis non penitus animam a Deo avertat, avertit tamen ex parte, et est *offensa* Dei. O vere quanta fœditas?! — Offendere hominem potentem nollem in re quamvis parva, et Divinam Majestatem identidem peccatis levibus offendere non pertimesco!

2) Peccatum veniale est offensa Dei summe Boni, ac *amabilissimi*; profecto si illum vere amo ex toto corde, et ex tota anima super omnia, quomodo non abhorream a peccato veniali, quod est offensa Ejus, et quidem major quam ulla inter homines!

3) Peccatum veniale qua offensa Dei est *majus* malum quam omnia mala physica in toto orbe simul sumpta — majus quam omnes morbi, pestilentiæ, et mors ipsa omnium hominum; ita ut si levissimo peccato veniali possem omnes ægrotos sanare, omnes pauperes juvare, omnes afflictos solare, omnes mortuos resuscitare, non esset licitum illud committere, quia est offensa Dei. Ergo malum intrinsecum est et quidem tale, ut pro nullo commodo creaturarum temporali, imo nec æterno ullo pacto peccatum veniale perpatrare liceret. Itaque:

4) Si peccato veniali possem liberare omnes damnatos ex *inferno* (rem nempe in abstracto considerando) non esset licitum illud committere. Quæ cum ita sint, merito Sancti vel unum peccatum veniale dignum judicarunt, quod *tota vita* deflerent. Sic S. Eusebius quadraginta annis voluntariam distractionem habitam deplorabat. S. Aloysius umbram peccati quod puerulus admiserat quotidianis flagellis et jejuniis expiare laboravit. Et ego flocci faciam veniale peccatum? Horruerunt merito Sancti peccatum veniale ita ut dixerint se potius inferni tormenta passuros quam peccatum veniale commissuros; quemadmodum S. Edmundus et S. Anselmus asserebant. Et ego peccatum veniale non exhorrerem? — S. Catharina Senensis ajebat: si per unum veniale peccatum possem obtinere gloriam tantam, quam habet B. Virgo, nollem veniale illud perpetrare. Et ego pro temporali aliquo commodo impellar ad peccatum veniale committendum?

5) Si Sanctis omnibns in cœlo beatis daretur optio: vel cœlo exire vel peccatum leve committere, omnes momento *cœlo exiisse* mallent, quam peccare. Licet enim hæc nunquam accidere possunt, quoniam in concreto repugnant; tamen mente possum hæc quam aptissime volvere ad contemplandam infinitam qnodammodo etiam peccati venialis, fœditatem; ita ut propter nullum malum vitandum, vel commodum consequendum me unquam abripere patiar ad committendum tale peccatum. Imprimis quoniam:

6) Peccatum hoc parat viam ad *mortale* et sic ad damnationem æternam. Exemplum habes memoratu dignissimum in S. Theresia, cui locus in inferno fuit ostensus, in quem fuisset præcipitanda, si certam venialem noxam non correxisset. Potesne anima mea hæc mente volvere,

tibique applicare, et non horrore penitus concuti, et serio et inviolabiliter proponere, non peccandi de cætero, etiam non deliberate venialiter. Numquid enim non propria experientia testis tibi est, quomodo pedetentim homo per peccata levia iterata ad mortale disponatur, dicente divino Spiritu: "*Qui spernit modica paulatim decidet*" (*c*). Quid levius arena? et tamen illa nimis onusta navis mergitur. Quid levius gutta? et tamen iterata cavat lapidem, et multiplicata nimis ecce quomodo terram inundare et devastare potest. Aut quid fuit Diluvium universale, quam congeries guttarum! Reflectam iterato ad verba Salvatoris initio meditationis posita.

PUNCTUM II.

"*Non exibis inde nisi solveris novissimum quadrantem*" (*c*).

Et si itaque peccata mea venialia non eo usque essent perventura ut me in infernum demergant, præcipitarent me tamen certissime in purgatorios ignes. At memento anima mea ignes illos lustrales tormenta graviora in se continere, quam quidquid horrificum in terris est. Quidni, si ardens fornax ante me esset posita in qua metalla funduntur, aut in qua panes solummodo coquuntur, numquid non abstinerem a peccato levi, si illo commisso statim in fornacem illam mitterer? O insania quanta! propter timorem pœnæ magnæ in terris perferendæ abstinerem a committendo peccato etiam levissimo, et propter supplicium inevitabile Purgatorii non abstinerem a peccatis levibus committendis! Accedit *mora* qua propter peccatum veniale nondum expiatum ab ingressu in cœlum retardarer aliquando, et *jactura* sempiterna quam facerem propter imminuta gaudia cœli, quæ utique obtinuissem si resistendo tentationibus ad peccata venialia impellentibus, in fervore vixissem spiritus.

COLLOQUIA. Quomodo o Deus Creator, quomodo hæc cogitare possem, quin me serio resolvam, quantum in me est fugiendi quodlibet peccatum veniale deliberatum. At tu, qui omnia nosti et sine quo nihil possum, adauge lumen et robur gratiæ tuæ, sine qua, licet hæc omnia tam clare mente conspicio, tamen nihil possum, et pro fragilitate mea adhuc infinities succumberem. — Pater Noster.

O Jesu mi Crucifixe, qui propter pericula in quæ peccata levia salutem meam agunt, sanguinem acerba agonia in monte Oliveti fudisti, per istam tuam agoniam angoris et tristitiæ te rogo, da mihi horrorem peccati cujuscunque, ut mori eligam potius, quam illud committere. — Anima Christi.

Et tu B.Virgo, impetra mihi o purissima et immaculata Virgo, conscientiam sine macula, et robur cœleste quo in posterum per tuum patrocinium confortatus, levissimas legum divinarum transgressiones fugiam,

perinde ac gehennam ipsam. Contere quæso serpentis inimici caput penitus, ne me nec leviter quidem pungat aut mordeat. — Ave Maria.

---

a) *Apoc.* 2, 16. — *b*) *Eccl.* 19, 1. — *c*) *Matth.* 5, 26. - *d*) *Matth.* 24, 31. - *e*) 1. *Cor.* 15, 52. -- *f*) *Matth.* 24, 27. -- *g*) *Matth.* 24, 27. — *h*) *Matth.* 25, 31--33.

MEDITATIO.

DE JUDICIO UNIVERSALI.

Oratio Præparatoria consueta.

Præludium I. — Erit videre visu mentis resuscitationem mortuorum, apparatumque Judicii supremi.

Præludium II. — Erit petere gratiam quam volo. Erit hic petere gratiam quam habuit S. Hieronimus, videlicet, ut quam frequentissime recorder deinceps extremi Judicii, et audiam quasi semper clangorem tubæ vocantis me ad judicium ; et ideo conscientiæ puritati studeam, peccatumque abhorream expiamque confessione fideli.

Fili Dei, qui me creasti miserere mei — qui me redemisti miserere mei, ut in hac meditationis hora intelligam novissima ; et maximo cum fructu considerem ea, quæ tu Jesu mi, nobis revelare dignatus fueras. Libera me, Domine Jesu, per gratiam præsentis meditationis de angustiis et terrore illo, quando coeli movendi sunt et terra, dum veneris judicare sæculum per ignem.

PUNCTA.

I.

"*Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de cælo, et virtutes cælorum commovebuntur. Et erit in terra pressura gentium, præ confusione sonitus maris et fluctuum, arescentibus hominibus præ timore et expectatione, quæ supervenient universo orbi* (*a*)".

Et hi quidem prodromi terribiles Jndicii extremi. Quoties lego attente verba hæc Evangelii statim commovetur quoque animus meus ad consideranda ea, quæ aliquando orbi et mihi eventura sunt; quæ si probe expendero arescam et ego in hac meditationis hora præ timore et expec-

tatione omnium rerum harum. Considerandum itaque primum quanta futura sit commotio in rerum universitate, quantus tumultus, quando sol hic obscurabitur; et quantus terror invadet homines ruentibus de cœlo stellis, et quantum incendium erit tunc, quando conflagrabit orbis totus ad delenda vestigia quævis peccatorum ex illo.

"*Adveniet autem dies Domini ut fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa vero calore solventur, terra autem et quæ in ea sunt opera exurentnr. Cum igitur hæc omnia dissolvenda sint, quales oportet vos esse in sanctis conservationibus et pietatibus exspectantes et properantes in adventum diei Domini.*" Ita S. Petrus monet et exhortatur (b).

II.

"*Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna et congregabunt electos ejus a quatuor ventis a summis cœlorum usque ad terminos eorum; et mortui resurgent*" (*d*)

Tuba mirum spargens sonum per sepulchra regionum coget omnes ante thronum. Audiam etiam ego aliquando vocem hujus tubæ. Redibit anima mea ad sepulchrum ubi cineres jacebunt hujus mei corporis; at quomodo inveniam illud? Eritne corpus hoc meum corpus *beati* — vel corpus *damnati*? Vel – vel – non datur tertium! Redibit anima Petri ad corpus suum, redibit et anima Judæ ad corpus suum. O quæ et quanta in Resurrectione differentia! Quale et utique quantum gaudium, si invenero corpus hoc meum *glorificatum*, splendens ut sol, leve, immortale! Sin vero qualis quantusque horror, si esset hoc corpus meum corpus damnati – si ingredi deberem corpus hoc æternis suppliciis præparatum et resurgere ad damnationem et pœnas æternas Inferni! O peccatum, malum unicum, quod in exitium sempiternum trahit corpus et animam; quomodo te non fugiam?! Fugiam utique, statutum est, fugiam omni possibili conatu peccatum quodvis, coercendo potissimum et debellando inordinatas affectiones corporis mei, ut resurgat in die Judicii non in ignominia sed in gloria, non ad pœnam sed ad præmium.

III.

"*Et tunc parebit signum Filii hominis in cœlo, et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et majestate*" (d).

O quali et quanto cum gaudio videbo signum salutis meæ *Crucem* Domini gloriosam de cœlo fulgentem, siquidem vexillum totius vitæ meæ fuerat in hac militia supra terram; et si multa pro Christo passus fueram totam spem et consolationem meam ponendo in promissiones sanctæ Crucis. Verum si Crucem non amassem, quæsivissem, portassem, quanta confusio tunc operiret me?!

IV.

Sicut enim fulgur exit ab Oriente usque in Occidentem, ita erit et adventus Filii hominis (*g*). *Cum autem venerit in Majestate sua et omnes angeli ejus cum eo, tunc sedebit super sedem Majestatis suæ ; et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis; et statuet oves quidem a dextris suis, hœdos autem a sinistris* (*h*).

Contemplare, – contemplare anima mea terribilem hunc et lamentabilem separationem, – o qualem separationem! separabitur filius a patre, filia a matre, uxor a viro, frater a fratre, amicus ab amico, servus a conservo. A dextris quantus jubilus ; a sinistris vero quantus fremitus! Ubinam ego consistam, num a *dextris* – vel a *sinistris* ? – Non datur tertium! Et quomodo tunc sentiam ? quomodo si a dextris, quomodo si a sinistris fuero? – Ecce *nunc* tempus ut eligam mihi locum; nam vita hæc mea præsens, proposita, fervor, constantia viam parant, ut perveniam ad locum quem opto. O nos miseros et cœcos, quomodo hæc in dies firma fide expectare possumus, et tamen non ita vivere volumus quemadmodum tunc voluisse modo jam indubitanter persentiscimus ! ! – "*Propter quod, charissimi, hæc expectantes satagite immaculati et inviolati ei inveniri in pace*" (*i*).

V.

"*Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii*" (*k*).

Vidit S. Joannes in Apocalypsi apparatum Judicii et ita scribit :

"*Et vidi thronum magnum candidum, et sedentem super eum, a cujus conspectu fugit terra et cœlum, et vidi mortuos, magnos et pusillos, stantes in conspectu throni, et libri aperti sunt: et alius liber apertus est, qui est vitæ, et judicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorum, et judicatum est de singulis secundum opera ipsorum*" (*l*).

Judicabit itaque Christus omnes et singulos, totum genus humanum. Omnes imperatores regesque terræ coram tribunali ejus comparebunt perinde ac mendicus miserimus. Quam immensus itaque exercitus replebit tunc vallem Josaphat ; aperieturque liber vitæ, id est vitæ Christi, et simul aperienter libri conscientiarum omnium et singulorum, etiam liber conscientiæ *meæ* et palam reddentur gesta mea coram toto orbe. O quæ *revelatio* operum, desiderorum atque cogitationum, quæ *accusatio* et simul quæ *confusio* pro omnibus, qui cum conscientia fœdata ex hac vita migrarunt. Quæ utique confusio horum, sed quæ simul exaltatio bonorum.

"*Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum:* "Impii autem videntes eos," *turbabuntur timore horribili et mirabuntur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se, pœnitentiam agentes et præ angustia spiritus gementes: Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum, et in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam et finem illorum sine honore: Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, et inter Sanctos sors illorum est. Ergo erravimus a via veritatis et justitiæ lumen non luxit nobis. Lassati sumus in via iniqnitatis, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit superbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tamquam umbra; in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt hi, qui peccaverunt*" (*m*).

Absit ut aliquando inter hos inveniar, sed prævenіam judicium et me ipsum accusabo hic in terris in tribunali divinæ Misericordiæ, et jam constanter abhinc exemplum Sanctorum sectabor, ut aliquando etiam cum illis inveniar in Judicio et non confundar.

VI.

Venite benedicti Patris mei — possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi (*n*).

Hanc vocem audiam aliquando et ego, o Jesu Domine, ex ore tuo benedicto, si ita vitam instituam, ut sim inter electos. Et quidem ita fixum ratumque est; — ita vivam, non quomodo mundus suos edocet sequaces, sed quomodo tu nos doces per Ecclesiam matrem et per inspirationes gratiæ tuæ, quibus etiam in præsenti meditationis hora me excitare et illuminare dignaris. Si hanc vocem tuam non audirem in vita— qualem quæso audirem in Judicio? — Non aliam quam hanc terribilem: *Discedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus!!* — Væ animæ quæ ex ore *Salvatoris* sententiam æternæ damnationis audiet. "*Tunc incipient dicere montibus — cadite super nos — et collibus, operite nos*". At frustra "*et ibunt hi in supplicium æternum; justi autem in vitam æternam* (*o*)". O æternitas! O Judicium! O peccatum!!

COLLOQUIUM. Recole adhuc anima mea singula puncta et tandem ad Judicem tuum mente conversa, ab illo ipso qui causa timoris atque angoris tui est, solatium cordis pete; dabit illud pœnitenti, flagitanti: Ita Domine, tremefactus totus consideratione futuri Judicii, Ecclesiæ verbis ingemisco: Quid sum miser tunc dicturus, quem patronum rogaturus, cum vix justus sit securus? Tunc nec ad te oculos attollere audebo, si reus inveniar; quare toto cordis affectu nunc ad te confugio et

ad cor tuum sacratissimum et latus apertum clamo : *Recordare*, Jesu pie quod sum causa tuæ viæ, ne me perdas illa die. Recordare passionis tuæ ! Quærens me sedisti lassus, redemisti crucem passus, tantus labor non sit cassus ! O vere quanta pro me tulisti ; quot gratias contulisti ut salver ; tantus labor, o Jesu mi non sit cassus ! Preces quidem meæ non sunt dignæ, sed tu bonus fac benigne, ne perenni cremer igne. Gravant utique peccata animum — *Ingemisco* tanquam reus, culpa rubet vultus meus, at supplicanti parce Deus ! Tuam Domine crucem arctissimo amplexu stringo et clamo : Qui Mariam absolvisti et latronem exaudisti, mihi quoque spem dedisti ! Quapropter oro supplex et acclinis — cor contritum quasi cinis, gere curam mei finis ! Lacrymosa dies illa, qua resurget ex favilla judicandus homo reus ; huic ergo *parce* Deus ! Pie Jesu Domine — Amen. Pater Noster. — Ave Maria.

---

a) *Matth.* 25, 29. — *b*) *Luc.* 21, 25–26. — *c*) 2. *Ep. S. Pet.* 3, 10–12. — *d*) *Matth.* 24, 31. — *e*) 1. *Cor.* 15, 52. — *f*) *Matth.* 24, 27. — *g*) *Matth.* 24, 27. — *h*) *Matth.* 25, 31–33. — *i*) 2. *Ep. S. Pet.* 3, 11. — *k*) *Matth.* 12, 36. — (*l*) *Apoc.* 20. 12, 13. — (*m*) *Sap.* 5, 1–14. — (*n*) *Matth.* 25, 34. — *o*) *Matth.* 25, 41. *Luc.* 23, 30. *Matth.* 25, 46.

MEDITATIO.

DE FILIO PRODIGO.

Meditati sumus per hos salutares dies veritates, quæ omnes animo nostro instillare debuerunt odium peccati, et quarum quævis ad seriam pœnitentiam faciendam nos impellere potuit debuitque, nisi gratiæ Dei quis sponte oculos et cor clauserit. Jam itaque revertere, revertere anima peccatrix ad Dominum Deum tuum. Quod, ut tali modo facias quemadmodum Deus a te vult, ut tibi creaturæ suæ condonet peccata, meditare parabolam quam Salvator ipse tibi meditandam proponit, et quam gratiis efficacissimis instruxit ad conterendum cor tuum contritione vera ad plenam atque plenissimam reconciliationem tuam cum Ipso et per Ipsum cum Patre cœlesti.

Oratio Præparatoria consueta.

Præludium I. — Erit memoria recolere historiam parabolæ, quam legas velim verbis S. Scripturæ (a).

Præludium II. — Erit videre filium reversum in *amplexu* Patris amantissimi, ut præparem me ad similem amplexum per plenam cum Deo reconciliationem.

PRÆLUDIUM III. — Erit petere a Deo gratiam, quam volo. Erit hic petere gratiam compunctionis et præparationis ad recipiendum digne Sacramentum Poenitentiæ cum plena remissione omnium peccatorum et conversione totius vitæ ad Deum et ejus servitium eo modo, quo in sequentibus hebdomadibus Deus mihi ostendet, velle se ut ipsi serviam.

O Domine Jesu, tu qui ad ingens animi mei solatium parabolam hanc dixisti, tu quoque da mihi gratiam, ut illam cum fructu tali considerem in hac hora, quem per eandem in anima mea producere statuisti. Fac ut revertar ex integro et per te inveniam Patrem propitium.

PUNCTUM I.

"*Et non post multos dies, congregatis omnibus adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam* (*a*)."

Discessus filii. Primum quod considerandum se offert est ingratitudo filii. Num enim male ipsi fuit in domo patris? minime; nam ipsis mercenariis bene fuit. An extra domum patris melius speravit? neque hoc, nam ubi *patrem* iterum invenisset? An a patre fors durius tractabatur? neque hoc, pater enim erat mitissimus. Cur ergo ipsum deserit? ut liberius genio suo vacaret – ne porro cogeretur audire monita patris, ne deberet subesse et obedire. Fastidire cœpit vitam secundum regulam rectæ rationis pietatisque exigendam — ideo patris regimen velut jugum servile exhorruit; illumque deseruit. En ingratitudinem meam velut in tabula depictam. Deserui Deum, Dominum et Patrem meum quoties peccavi. Deserui Patrem amantissimum, licet dissuaderet conscientia, dehortaretur angelus custos. Deserui, qua ex causa? Quid mihi deerat, quando adhuc vixi in innocentia prima? O tempus beatissimum quando nulla adhuc peccati labes me inquinabat. Quare deserui domum Patris mei cœlestis; an me offendit ipse – an de necessariis mihi non prospexit. Ah! quid ultra debuit facere et non fecit (c)? Et tamen deserui Deum et Patrem meum ut excusso jugo suavi legis divinæ passionibus indulgerem atque in regionem longinquam discessi – in terram caliginosam mortis; non enim est societas peccati cum Deo (d). O tristis desertio! Eo usque itaque desipere potui, ut te Deum meum desererem, te Deum meum et bonum infinitum cui innumeris titulis deservire debueram! O Pater æterne, erubesco insaniam meam et temeritatem meam deploro!

PUNCTUM II.

Miseria filii. — "*Et ipse cœpit egere* (*e*)." O catastrophen funestissimam! Impletur sane in peccatore quovis, quod Deus minatur: "*Eo quod non servieris Domino Deo tuo – servies inimico tuo in fame et siti et nuditate et omni penuria* (*f*)". Edic anima mea, numquid bene tibi

revera erat peccatis serviendo? Gustasti tantum paululum delicias furtivas mundi ; plus petenti nemo dabat, nec dare potuit ; *"non enim saturatur oculus visu, nec auris auditu impletur"* nec cor nostrum ulla creaturæ fruitione, quia pro Deo creatum est (g). Siliquæ porcorum voluptates illæ fœdæ erant, quas in peccatis quæsivi ; has primum obtulit dæmon ; vix gustare cœperam jam iterum subtrahere cœpit ; quæsivi voluptates, et non obtulit tales, quæ satiare possent concupiscentiam cordis. O miserum me ! quo me abjeci in libertatem filiorum Dei assertus, et mancipium diaboli fieri malui ; angelorum pane nutriendus siliquis porcorum vesci malui ! O Domine, o Pater quid egi ? ! Comparatus sum jumentis insipientibus et similis factus sum illis (n). *Væ filii desertores* (*i*). Extende quæso Domine paternam manum tuam et disrumpe penitus vincula, quibus peccatum me ligabat.

PUNCTUM III.

Conversio Filii. – In se autem reversus dixit : *"surgam et ibo ad patrem meum."* Quid inquis fili degener, tu ad patrem ire vis ? — ad patrem quem deserueras ? quem contempseras ? cujus substantiam dissipaveras ? Quo ille vultu te excipiet ? — an non domo excludet, in qua manere noluisti ? et num non potius plagæ tibi timendæ sunt ? Non moratur his cogitationibus filius — sed ibo ad patrem, ait : cor ejus novi ; peccavi, sed clemens est, misericors est. Paterna viscera movebuntur ; ibo ad patrem et dicam *peccavi.* *"Et surgens venit ad patrem suum"*(*k*). Nec spe sua fuit delusus.

Surgam et ego, ratum est ; vincam me : revertar ad Deum meum per confessionem seriam et emendationem perfectam. Jam enim miseriam meam non amplius fero. Si enim sursum oculos levo, cœlum video, unde velut indignus prohibeor, quod tamquam destinatam mihi hæreditatem, dissipabam eam. Si oculos demitto, en carcer gehennæ apparet : infernus, in quo ardere æternum meritus sum. Si circumspicio, omnes creaturæ mihi defectionem meam a te, o Deus meus, exprobrant. Si in me ipsum oculos defigo, pudori mihimetipsi sum. At urget jam inspiraratio divina ; video te Patrem expansis brachiis reditum meum exspectantem. Surge itaque anima mea, proposita imple, emendationem aggredere. Quid profuisset filio habuisse patrem clementissimum, cogitasse reditum, si reipsa non surrexisset ? Mihi pariter quid sancta poterunt prodesse proposita, si implere ea differam ? — O magne Pater, Deus misericordiarum, respice me et miserere mei, et quod tua gratia jam operata est in me, ad finem quæso perduc ac perfice.

PUNCTUM IV.

"*Vidit illum Pater ipsius, et misericordia motus est, et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum*" (l).

Reditus filii. — Considera, anima mea, tibique omnia applica, et sensa filii reconciliati in cor tuum suscipe, ut præ dolore, et gratitudine et gaudio simul et tu fleas lachrymas pœnitentiæ in sinum misericordissimi tui Jesu ex cruce te amplectentis, si modo in spiritu pœnitentis filii prodigi ad pedes cœlestis tui Patris concidis.

Vere o stupenda bonitas divina erga peccatorem revertentem hac Parabola designatam, et quam adhuc in veritate superat.

Quis enim currit, *ad quem*, et quis *modus* hujus occursus? Pater offensus currit, ad filium offendentem; et nec verbo huic suam malitiam exprobrans super collum ejus cadens, osculatur ipsum, et convocata tota domu de invento filio sibi gratulatur. Unum autem hic præprimis expendam, nempe: quis animus fuerit filii prodigi in hoc eventu? quid cogitaverit? loqui enim præ excessu gaudii dolorisque non potuit. Constrictus paterno sinu atque complexu filius, o in quas lachrymas abierit! Expressit eas dolor de tam bono Patre offenso. Contemplabor jam quid ulterius egerit Pater, et totum mihi et Deo, me revertentem recipienti, applicabo.

Tactus gratia ad conversionem me invitante, tandem sacerdotis pedibus advolvebar peccata confiteri paratus. Et ecce misericordia infinita motus Pater cœlestis non abegit me, sed attraxit supplicem vinculis gratiæ, et amplexus est infundendo gratiam sanctificantem, et absolutionis virtute osculatus est me, osculo pacis; stolam innocentiæ perditæ ministerio angelorum mihi restituens, ad novæ vitæ proposita gratiam addidit, et sic calceamenta pedibus admovit, divinumque epulum paravit eucharisticum, ad quod symphonia chori cœlestis angelorum intonuit festive gaudentium de anima mea perdita et iterum inventa, de anima peccatis emortua et iterum reviviscente. O felix anima mea per Sacramentum pœnitentiæ jam reconciliata Deo, hæc omnia tunc accidere, quando contritus atque compunctus corde, peccata Sacerdoti primum dolens et vere conversus exposui. Imo superat veritas parabolam longe adhuc:

Accurrit quidem Pater ille, verum est; sed num etiam revocavit? num aliquem post ipsum misit? — Non. Et quoties veniam dedit? semel: et num id illi aliquid constitit? Non lego.—Aliter Deus:

Revocavit me per inspirationes internas infinitas, per adhortationes multifarias. Non quæsivit Pater ille filium, expectavit dum rediret. Non ita tu, o Pater meus et Pastor bone! Misisti post me, o quot nuntios: Prophetas tuos, Apostolos tuos, Parentes, Magistros, Concionatores,

Confessarios. Vocasti me, o amor, o bonitas! Quæsivisti me, o Pastor bone, qui propter me, ovem errantem, cœlum reliquisti, in hac lachrymarum valle descendens, et me quærens, ovem quæ perierat, quot lachrymis, o bone Jesu mi, o quot ærumnis, quot laboribus, quot doloribus, qua morte, quibus vulneribus me quæsivisti. Posuisti animam tuam pro me (m). En video perforatos pedes tuos, Pater mi! video, perforatas manus tuas ad amplexum meum expansas in cruce: video cor tuum lancea confossum: o amor mi crucifixe! O quantum veritas parabolam adhuc superat. —

Pater ille magnum utique egit ignoscendo semel tam misericorditer. At si filius altera vice eundem deseruisset an iterum eundem Pater suscepisset? an tam misericorditer? Non lego. — Si vero quarta, si sexta vice? quid tunc? Non novi. —At certe tu mi Deus et Pater. Deserui te centies, milliesque; et fors statim post Confessionem. Non præteriit septimana, fors nec dies et jam iterum te offendebam, te offendendo deserebam. Et tamen revertentem suscepisti, iterum iterumque quanta misericordia suscepisti. Hic enim vero obstupescite cœli et bonitatem et misericordiam admiramini et æternis laudibus celebrate, quæ nonnisi in Deo esse potest, quia infinita est. — Vere tam pius nemo, tam Pater nemo. —

COLLOQUIUM. — Tanta tua Bonitas, o Deus meus et misericordia, quomodo me non ad pœnitentiam et conversionem plenam impellet et trahet? En *tuus* sum itaque; ecce venio et ad pedes tuos peccata mea fleo. O vere Pater misericordiarum, quam ingenti admiratione et consolatione perfundor, dum tuam in me infinitam misericordiam considero. Non aliud mihi superest, quod clamare possim nisi: O Bonitas–o Amor–o Clementia—o Pater! Quis ego, ut tantam in me misericordiam adhibere statuisti. Vocasti me cum fugerem a te; quæsivisti me, cum peregre recessissem a te; incitasti ad pœnitentiam, obtulisti veniam, dum ego tibi meditabar injuriam; dum semper novis peccatis te offendere cogitabam: revertentem vero, o qua quæso lenitate excepisti! Recepisti in gratiam! Omnia peccata mea tuo pretiosissimo sanguine abluisti.— *Ecce Agnus Dei*, ecce qui tollit peccata mea (n). O bonitas—o amor—o clementia! Creaturæ omnes in cœlis et super terram, in abyssis et in altissimis per universum orbem, vos Deum cœli et terræ, vos benedicite *Misericordissimum*, in omnem æternitatem, et a laudibus ejus non cessate; quia fecit mihi magna, qui potens est, qui misericors est. Fecisti hoc in me, o Pater cœlestis, faciesque id ipsum etiam in proxima mea quam peracturus sum Confessione sincerissima. Video, video expansa brachia tua, audio clamantem: Revertere ad me, et ego suscipiam te. Video, amplecti me vis: Ecce Domine ad pedes tuos me conjicio. Amplexum enim peccator miserrimus non exspecto. Pedibus advolvor,

et qua possum voce, quo dolore clamo: Pater, o Pater mi, peccavi, miserere mei! peccavi in cœlum et coram te! Ecce filius tuus mortuus est in peccatis, fac o Vita ut reviviscat. Periit opus manuum tuarum, periit pretium sanguinis tui! Verum omnia tibi possibilia sunt. Dominus es, et gratiæ largitor. Si vis, potes me mundare. Si vis, potes me recuperare. Si vis, potes me salvare! Ita Domine, vivifica me secundum magnam misericordiam tuam (o). Nihil si vis resistit tibi.— Certe non voluntas et cor, quod ita ad te clamat atque suspirat. Et ita spero, spe plenissima spero; propter gaudium cordis tui ipsius, quod tanta lætitia gaudet de inventa ove perdita, spero, confido: *vivificabis* me.

O veritas solatio plena atque plenissima. Ego nempe peccator per ipsam meam conversionem ad te Domine, aliquid conferre possum ad tuum gaudium; ad gaudium cordis tui peccatis meis vulnerati, sauciati. Sic tu ipse doces. Eja itaque Domine sit hodie super me gaudium in cœlis; gaudium magnum, majus quam super nonaginta, et nongentos justos qui pœnitentia non egent prout ego. Convertor enim ad te Domine ex toto corde, ex tota anima, omnibusque viribus meis, quas tuo servitio in posterum dedico et consecro. Detestor, abominor, et execror omnem tuam offensam, etiam minimam, etiam *minimam*. Ratum est, ita agam: Nolo amplius PECCARE, sed SEQUI te Domine, et ideo a CONFESSIONE plenissima inchoabo, a Confessione post quam e vita excedere optarem; posthac moriturus potius centies milliesque quam te offendere. Ecce cor contritum et humiliatum offero Pater — suscipe illud. — Clamans clamo atque ingemino: Ne me sinas separari a te. Ne me sinas amplius esse infidelem proposito meo.—Infinita tua clementia, quæ Magdalenam, quæ pœnitentem latronem suscepit, suscipiat me in hac hora; preces meas audiat, et infirmum confortet. Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam, o bone Jesu, Salvator! — Amen— Amen. Pater noster et Ave Maria.

---

a) *Luc.* 11, 15—32.— *b*) *Luc.* 15, 13.— *c*) *Isaias* 2, 4.— *d*) 2. *Cor.* 6, 14.— *e*) *Luc.* 15, 14.— *f*) *Deut.* 28.— *g*) *Eccl.* 1, 8.— *h*) *Ps.* 48, 21.— *i*) *Isaias* 30, 1.— *k*) *Luc.* 15, 20.— *l*) *Luc.* 15, 20.— *m*) *Joann.* 10, 15.— *n*) *Joann.* 1, 29.— *o*) *Ps.* 25, 88.

II. HEBDOMADA.

PRÆNOTANDA.

Fructus per exercitia Hebdomadæ primæ obtinendus hic præcipue est: cognoscere quod *erravimus* ab ea via, quæ nos ducere debet ad ultimum finem, cujus causa creati sumus; et consequenter dolere vehementer de hoc ipso errore per seriam contritionem, et dignam peregisse confessionem peccatorum omnium, cum desiderio multum intenso redeundi jam in viam rectam et in ea semper perseverandi. Hoc jam desiderium ut efficax reddatur et finem obtineat, ad Christum Dominum oculos levemus necesse est, et ejus vitam contemplemur. Ipse enim est exemplar a Patre cœlesti hominibus propositum, cujus imitatione emendemus, et componamus mores nostros corruptos, et dirigamus pedes nostros in viam pacis, sequendo vestigia ejus, qui de se dixit: "*Ego sum via, veritas et vita*," et: „*Nemo venit ad Patrem nisi per me.*" (a) Quare cum Christi vita norma et exemplar sit absolutissimum virtutis et sanctitatis, sequitur: ut quo vita nostra propius ad eam imitatione accesserit, ipsa quoque perfectior sit, et propius ad finem suum ultimum accedat. —

Propter hanc ergo causam hæc secunda hebdomada respondit: „Viæ illuminativæ", quoniam Christus est "sol justitiæ" et ad hoc venit in mundum, ut nos illuminet (b). Et quoniam peccata et affectiones pravæ obtenebrant animam; ideo per exercitia primæ hebdomadæ erant e medio tollendæ. Quo perfectius hoc quis præstiterit, eo felicius, efficaciusque illustrabitur nunc lumine intelligentiæ in hac secunda hebdomada; modo probe invigilet, ne reviviscentis concupiscentiæ motus hoc ipsum impediant. Non enim dormit inimicus, et ut Christus ipse monet: expulsus e domo quam incolebat illam posthac denuo ingredi multis modis cona-

tur (c), maxime dum videt alicujus tepiditatis indicia. Quare dispositio princeps quam S. Pater ab iis exigit, qui in meditationibus hujus hebdomadæ progrediuntur, est ardor et fervor animi progrediendi in via perfectionis, per *imitationem* Domini nostri eo modo, quo Deus per suas inspirationes et gratiæ media nos vocat. Primum itaque erit omnium *dilatare cor* (d), et Deo vocanti obicem non ponere; verum magno et forti et constanti animo Christum ducem et exemplar vitæ sequi. Præmittitur in hunc finem meditatio quasi præparatoria: "*De regno Christi*" cujus fructus hic esse debet: firmum animi decretum deinceps soli Deo vivendi in regno ejus imitando Christum. Constituit meditatio hæc quasi totius hebdomadæ sequentis *fundamentum*, et ideo peculiari cum attentione et cura est peragenda. Quomodo vero singillatim a nobis imitandus sit Christus Dominus, subsequentes exercitationes de vita Christi meditantem docebunt.—

---

a) *Joann.* 14, 6. *b*) *Joann.* 1, 9. *c*) *Matth.* 12, 45. *d*) *Ps.* 118, 32.

CONTEMPLATIO.

DE REGNO CHRISTI.

Vocatio Regis temporalis quæ juvat ad contemplandam vitam Regis æternalis.

Oratio præparatoria sit consueta.— Offeram simul omnia, quæ in hac secunda Hebdomada agam Deo in gratiarum actionem pro Missione Christi in terras, et in specie mysteriorum eorum, quæ nunc ex vita Christi meditaturus sum, ad obtinendum fructum hujus Hebdomadæ. —

Præambulum I, est compositio, videndo locum. Erit hic videre visu imaginationis synagogas, oppida et castella, per quæ Christus Dominus noster prædicabat.

Præambulum II, poscere gratiam quam volo. Erit hic petere gratiam a Domino nostro, ut ne sim surdus ad ejus vocationem sed promptus ac diligens ad explendam ejus sanctissimam voluntatem. Aperi itaque Domine aures cordis mei, ut audiam et intelligam inspirationem vocis tuæ me vocantis!

PUNCTUM I.

"*Primum punctum est proponere mihi ob oculos Regem quemdam humanum ab ipso Deo Domino nostro electum, cui reverentiam exhibent et obediunt omnes principes et omnes homines Christiani.*"

Scimus enim quale pondus auctoritatis verbis accedat dum Reges atque Potentes in hac terra aliquid per semet ipsos proponunt atque se in votis habere significant; Nutu tunc ferme omnia fiunt; quanto magis ubi, ut hic loci, pono Regem Regum et Principem totius terræ *a Deo* specialiter electum.

"*Secundum est attendere in hoc Puncto quomodo iste rex loquatur ad omnes suos dicens: Mea voluntas est subjicere universam terram infidelium: proinde qui voluerit mecum venire debet contentus esse cibo quo ego (vtar) itemque potu et vestitu etc. — Similiter debet laborare ut ego, interdiu, et vigilare noctu, etc., ut ita dein particeps mecum fiat victoriæ, sicut fuerit laborum.*"

Ut hæc similitudo juxta mentem S. Patris plenam vim habeat considerare simul debeo hunc regem amabilissimum fidelissimumque, ad hanc victoriam obtinendam *divinitus* constitutum et missum fuisse, et simul divina revelatione constare de certissime et infallibiliter obtinenda *victoria*, et divinitus simul constare ex omnibus qui illum sequentur neminem fore periturum—sed omnes medio inter pugnæ labores salvos futuros, ut ne unus quidem pereat; omnes vero victoriæ participes, et regni hujus futuros principes, corona regia et ipsi præmiaturi. Nonne omnes certatim concurrerent ad arripienda arma ut pugnent sub hoc principe et duce; maxime ubi simul divinitus constaret, omnes qui hoc facere detrectarent, in inevitabili periculo esse constitutos, quod in servitutem veniant tyrannidis infidelium, et morte sint plectendi crudelissima. In comparationem autem studiosam hæc omnia simul trahenda sunt, quoniam in applicatione sua, nempe in Rege Christo sequendo, ita se habent omnino et cumulatissime. — Erit itaque:

"*Tertium, considerare quid debeant respondere boni subditi Regi tam liberali ac tam humano: et per consequens, si quis non acceptaret petitionem talis Regis quantopere dignus esset qui vituperaretur ab universo mundo, et perversus haberetur eques.*"

Etenim nonnisi extrema ignavia atque demens incuria in causa esse posset, si quis non libens et gaudens cum rege tali et aliis innumeris strenuis equitibus ad hanc expeditionem gloriosam se conferre velit, quo magis proprie loquendo res sui ipsius bonum spectat, quam Regis ipsius, alioqui potentissimi et felicissimi.

PUNCTUM II.

"*Secunda pars hujus Exercitii consistit in applicando supradicto exemplo Regis temporalis ad Christum Dominum nostrum, secundum dicta illa tria puncta.*" Erit autem applicatio facilis, et statim incomparabiliter magis urgebit necessitas addicendi se militiæ Christi Regis, quam istius mere temporalis Regis.

"*Et quantum ad primum punctum, si talem vocationem Regis temporalis ad suos subditos consideramus (et omni attentione dignam existimamus) quanto magis res est digna consideratione, videre Christum Do-*

minum nostrum Regem æternum, et coram illo universum mundum, quem ille (totum) et unumquemque (hominum) in particulari vocat."

Siste itaque tibi Christum omnino modo *præsentem* coram te. Quid quæso ageres, si Ipse in persona sua augustissima tibi appareret et voce intelligibili te invitaret ad bellum et pugnam virtutis dicendo: "*Mea voluntas est subjicere totum mundum — et omnes inimicos.*" Non utique globum terrestrem et regna mundana gentilia, sed totum mundum corda hominum vocat, et inimicos — inimicos salutis quorum potentiam in cruce fregit "*et sic*" (*statui*) *intrare in gloriam Patris mei: proinde qui voluerit venire mecum, debet mecum laborare, ut sequens me in laboribus, etiam sequatur me in gloria.*"

Profecto si Christi amabilitatem, potentiam, et jam partam gloriam et victoriam specto, quid aliud menti meæ occurret, quam:

"*Secundum, considerare, quod omnes, qui habuerint judicium et rationem (sanam), offerent se totos ad laborem.*"

Ubi enim quæso gentium rex unquam causam talem subditis proposuit, aut proponere potuit? et tamen ecce quomodo vel sola spe incerta lucri aut honoris futuri, copiæ ingentes militum statim regem generosum aut potius ejus ministros solum sequuntur in mille pugnas et mortes. Aut quod aliud est negotium in terris ubi lucrum adeo ingens et certum est, et quod simul minus constaret ærumnarum; et ecce ob exigui lucri spem, ob tenue stipendium laborum, dies noctesque algent et sudant homines in servitio hominum. Ad Christi vero vocem invitantis ad regnum suum cum illo possidendum post exantlatos aliquos tantum et hoc tam dulces et præclaros labores, desides torpescunt homines. Et nonne ego ipse quoque pigritabar hucusque et forsitan etiamnum hæreo? – Verum quidquid de præteritis sit, erubescam et confundar nunc saltem ob meam hucusque protractam pigritiam; et hodie in hac hora offeram me totum Christo, omnem meam vitam viresque omnes, omnemque agendi rationem; et hoc si bene sapio non modo communi et stricte necessario faciam, verum ratione quadam eminentiori. Utique *hodie* audiens vocem Ejus non *obduravero* cor meum (a).

"*Tertium, ii qui magis affici volent (erga Christum Regem), et insignes se exhibere in omni servitio sui Regis æterni ac Domini universalis, non solum offerent se totos ad laborem, sed etiam agendo contra suam propriam sensualitatem, et contra suum amorem carnalem et mundanum, oblationes facient majoris æstimationis et majoris momenti.*"

Hoc itaque verorum et insignium amatorum Christi est: non tantum in indifferentia illa hærere, quæ per se officium creaturæ cujusvis rationabilis est, nempe æque opprobrium, paupertatem et miseriam amplecti siquidem Deus ita voluerit, quam honores, divitias et delicias vitæ; propter reverentiam Divinæ voluntati debitam: sed insignium servorum et amato-

rum Christi erit potius majori cum affectu illa præ his optare et captare, propter *similitudinem* majorem cum Christo. Indifferentiam illam priorem jam sola subordinatio justa exigit erga Christum Deum et Dominum et Creatorem. Inclinationem vero ad ea, quæ sensibus repugnant et amori mundano, amor instillat erga Christum passum et Redemptorem.

Extendam itaque cor meum ego quoque cum Divina gratia ad hæc, impulsus et fortis effectus hujus ipsius Christi Domini mei amoris vi; et flagrans desiderio, ut tamquam verus amator Jesu sim quoque insignis eques ac miles ejus, et socius laborum in pugna, eodem et cordis desiderio et firmo proposito, eodem spiritus æstu et contentione quo S. Ignatius hæc tibi Jesu mi, prima vice in antro Manresiano dixit, ego coram te o Jesu Rex meus et Deus meus, humi prostratus, sacramentum amoris mei fidelitatisque maxima cum cordis liberalitate tibi nuncupo, dicens:

O ÆTERNE DOMINE RERUM OMNIUM,

EGO FACIO MEAM OBLLATIONEM

cum tuo favore et auxilio, coram infinita Bonitate tua, et in conspectu gloriosæ Matris tuæ, et omnium Sanctorum et Sanctarum Curiæ cælestis, attestans, quod ego volo et desidero, et mea hæc est determinatio deliberata, dummodo sit majus servitium tuum, et major laus tua, imitari te in ferendis omnibus injuriis, et omni paupertate, tam actuali quam spirituali, si Majestas tua sanctissima voluerit me eligere ac recipere ad talem vitam et statum.

Ita Domine penitus me tibi trado, offero, immolo in holocaustum sanctissimi tui beneplaciti, ut totus quantus tuus sim ad omne obsequium tibi mancipatus vivus et mortuus. — Amen.

"*Hoc exercitium fiet bis in die, scilicet mane cum quis surrexerit, et hora una ante prandium vel cœnam.*"

Est ergo hæc meditatio de Regno Christi quasi fundamentum immediatum Perfectionis Christianæ, ad quam sectandam ii potissimum formantur, qui sequentibus Exercitiis excoluntur. Sequens demum Meditatio inscribitur: *prima* Hebdomadæ secundæ, quod evidenter innuit, præsentem esse quasi extra ordinem meditationum, positam prout simile quid in Fundamento primæ Hebdomadæ obtinuit. Itaque meditationi huic etiam tamdiu immorandum erit, donec fructus ejus obtineatur. Tota enim vis eorum quæ sequentur, potissimum quod homines Societatis attinet, a fervore et soliditate *oblationis* pendet, quæ fructus pretiosissimus est hujus exercitii: de Christo Rege ad pugnam pro Dei gloria et animarum salute nos vocante.

"*Pro secunda hebdomada, et ita deinceps, valde prodest legere subinde aliquid ex libris de Imitatione Christi vel Evangeliorum et Vitarum Sanctorum.*"

Maxime illorum qui nostri erant status. Magno cum fructu legentur a Nostris hunc in finem vitæ nostrorum Patrum opera P. Tanner editæ.

---

a) *Heb.* 5, 17.

PRIMA CONTEMPLATIO.

EST DE INCARNATIONE.

Continet in se orationem præparatoriam, tria puncta et unum Colloquium.

ORATIO PRÆPARATORIA, sit consueta.

PRÆAMBULUM I *est adducere in mentem historiam ejus rei, quam contemplari debeo, quæ hic est: quomodo tres divinæ Personæ speculabantur totam planitiem vel ambitum totius mundi plenum hominibus*" inter hos etiam me "*videndo quod omnes descendebant ad Infernum*" etiam ego "*decernitur a S S S. Trinitate in sua æternitate, ut secunda Persona homo fiat, ad salvandum genus humanum*". et ad salvandum me miserum quasi solus fuissem, propter quem Dei Filius homo fieri dignatus est. — "*Atque ita ubi venit plenitudo temporum mittendo Angelum S. Gabrielem ad Dominam nostram*" Matrem Divinæ Misericordiæ.

PRÆAMBULUM II,—"*erit compositio videndo locum. Hic erit videre magnam capacitatem mundi (perinde ac si oculis pateret universa terra) ubi habitant tam multæ ac tam diversæ gentes (inde jam ab origine mundi).* Considerabo in specie gentem et terræ plagam in qua natus sum, et in qua modo versor. "*Similiter deinceps in particulari erit videre domum et cubicula Dominæ nostræ in civitate Nazareth in Galilæa.*"

PRÆAMBULUM III,—"*petere id quod volo. Erit hic petere cognitionem intimam Domini, qui pro me factus est* HOMO*; ut magis Ipsum amem eumque (magis) sequar.*" Et hæc duplex gratia sive potius triplex: *cognitio, amor* et *imitatio* Christi in dies perfectior erit petitio præscripta pro omnibus mysteriis hujus hebdomadæ, prout ex scopo ejusdem supra memorato sponte intelligitur.

In specie vero sensus *humiliationis* atque exinanitionis ex amore Christi pro nobis incarnati et quasi exinaniti, cordi in hac meditatione erit ingerendus. Est his sensus monente etiam Apostolo, quasi primus passus in sequela et imitatione Christi, qui cum in forma Dei esset, exinanivit semet ipsum formam

servi accipiens, formam meæ humanitatis (a). Si itaque amore mei assumpsit Ille formam meæ exiguitatis, assumam ego id cognoscens amore sui humiliando meipsum, formam humilitatis suæ, incipiendo ab exinanitione mei totali; quemadmodum in incarnato Dei Filio conspicio. Incarnatus quidem fuit Ille per hanc humiliationem suam; ego per Imitationem ejus deificabor, propter conjunctionem meam cum ipso, ut non jam in desideriis carnis ambulem, sed in carne spiritu Christi vivam, et ipsum ducem sequar non efferendo sed humiliando meipsum. Fiat mihi Domine secundum beneplacitum humillimi cordis tui o Jesu. Amen.

PUNCTUM I.

"*Primum punctum est, videre personas unas et alteras (successive) et primo eas, (quæ sunt) super faciem terræ in tanta diversitate, ita in vestibus, ut in gestibus; alios in pace, et alios in bello, alios plorantes, et alios ridentes; alios sanos et alios infirmos: alios nascentes, et alios morientes*" *).

En quale spectaculum ad vivum depictum variabilis adeo et simul miseræ gentis humanæ. Et considerabo inter hos innumerabiles miserosque filios Adæ, etiam *me* natum, adolescentem, sanum, ægrotum, ridentem, plorantem, in pace, rixantem, et tandem — morientem.

Supra terram autem hanc tristem lachrymarum vallem et amphitheatrum vicissitudinis adeo lamentabilis, considerabo cœlum apertum. Erit itaque:

"*Secundo videre et considerare tres Personas divinas, ut in suo solio regali, sive throno suæ divinæ Majestatis, quomodo intuentur universam faciem et ambitum terræ, et omnes gentes in tanta cæcitate, et quomodo moriantur et descendant ad infernum.*"

Considerandum hic venit, quæ de his tristibus effectibus peccati in hebdomada prima meditatus fui, et iterum in specie me ipsum cogitabo quomodo SSS. Trinitas viderat me quasi cœcum ambulantem in via perditionis ad mortem infelicem, et sic ad Infernum!!

"*Tertio tandem erit videre Dominam nostram (purissimam, sanctissimam, speciosissimam, electissimam, quasi inter spinas mirabiliter florens lilium).*"

Quam libenter considerabo eam, quæ sola sine exemplo placuit Deo, ignota licet mundo, et pauper, et in paupere domo, in ignobili oppido,

---

*) *Quod ordinem aut methodum attinet meditationis considerando personas, verba et actiones, vide Direct., c.* 19, §§ 5 *et* 6. *Quoad præsentem meditationem vero, eo ordine verba ipsa S. Patris placuit expendere prout in corpore libelli reperiuntur posita, quia sic majorem videntur Mysterio lucem affundere.*

commorans, ac pauperi desponsata. Et simul erit videre "*Angelum qui illam salutat; et reflectere ut fructum capiam ex tali aspectu.*"

Vult itaque S. Pater ut in fine hujus Puncti ad beatissimam Virginem oculos convertam. Et profecto prout aspectus Crucifixi post inferni meditationem gratissimus mihi erat, ut nil jucundius et consolatione plenius, et simul ad fructum capiendum aptius proponi menti potuisset, quam Crucifixus: ita in his angustiis videndo totum mundum et meipsum præceps ruentem, nil convenientius, jucundius et consolatione plenius, nil aptius ad fructum capiendum proponi potuit, quam videre beatissimam Virginem ad quam Angelus nuntium defert de *Incarnatione* Secundæ Personæ Divinæ Majestatis, ac proinde Redemptionis futuræ. Ecce quam simplicissima ratione S. Pater mihi Mysterium hoc sublime meditandum proponit; et tamen si hac ipsa ratione illud meditabor plus fructus capiam ex illo et majorem ejus notitiam, quam ex diffusissimis ejus expositionibus carpere possem.

PUNCTUM II.

"*Secundum punctum erit audire, quæ loquuntur personæ super faciem terræ, scilicet quomodo loquuntur inter se — quomodo jurant et blasphemant etc.*"

Audiam quoque me ipsum: quam multa et stulta et perversa locutus sim in terra, dum adhuc in sæculo essem; vel fors adhucdum infrœnato ore loquor scurrilia, ad rem non pertinentia, mendacia, detractoria et his similia. Quodsi vel in uno diversorio aliquot centena hominum invicem loquuntur vel rixantur quantus non fit confusus strepitus? quid ergo dum mente audio vociferationem omnium quotquot sunt et fuere hominum, et quidem tam perversa loquentium atque clamantium? Vere quantus iniquitatis tumultus, si vel verba solum peccaminosa hominum considerantur provocantia adversum se divinam Justitiam. —

Verum auditum nunc sursum erigam ut Divinam Misericordiam admirer: audiendo quæ *Divinæ Personæ* in cœlo loquuntur scilicet: "*Faciamus redemptionem generis humani.*" Colloquentes non ut homines in terris cum magno vocis strepitu, sed communicatione æterna decretorum Misericordiæ, Bonitatis, Sapientiæ et Amoris. Hæc meditabor; et imprimis auscultabor quænam in specie Personæ divinæ de *me* redimendo æternis consiliis benignissime decernunt, præordinando *mihi* gratias ad hoc et beneficia Redemptionis ab ortu meo usque ad extremum halitum, et pro tota æternitate! —

Audiam tandem "*quæ loquuntur Angelus et Domina nostra; ac dein reflectam ut fructum capiam ex earum* (*personarum omnium*) *verbis.*

Considerabo nempe devote quomodo Angelus S. Gabriel salutans Beatam Virginem Mariam, conceptionem Christi Domini ei annuntiavit dicens: "*Ave Maria gratia plena Dominus tecum; concipies in utero et paries Filium et vocabis nomen ejus Jesus*" (*a*).— *Plenam gratia* itaque salutat Angelus Virginem; quoniam immaculate concepta jam inde ab ortu suo gratiæ thesauris abundantius ditata fuerat, quam quibus angeli ipsi in cœlis exornantur; permansitque semper absque ulla vel labecula peccati, virgo illibata.—Contra vero quomodo ego in peccatis conceptus fueram, et gratiam quoque baptismalis innocentiæ perdideram, et toties quoque gratiam justificantem, quam per Sacramenti Pœnitentiæ auxilium iterum acceperam, denuo novis peccatis amiseram; atque ita quomodo *gratia vacuum* et hujus indignissimum *proditorem* me agnoscere debeam, ad quem non Angelus lucis, sed tenebrarum mittendus esset, a quo salutaretur tamquam socius criminis. Et ego nihilominus me erigam superbus, quum interim Virgo Mater gratia plena se quam maxime *humiliat*, et dignitatem Maternitatis Dei Filii quasi a se deprecatur? Verum respexit Dominus humilitatem ancillæ suæ.

"*Confirmat Angelus ea qnæ dixerat Dominæ Nostræ: nuntiando conceptionem S. Joannis Baptistæ dicens illi: Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua.*"

Capiam fructum ex his quoque verbis angeli, humiliando me quidem quam maxime, sed non amittendo fiduciam. Etsi enim consenueram quasi in meis tepiditatibus, potens est Deus ut in me, modo nunc cor aperiam et fidem firmam teneam, resuscitet gratiam et augeat, ut potens evadam verbis et opere in via et vinea Domini, ad exemplum Joannis Baptistæ.—

"*Tertium respondit Angelo Domina nostra: Fiat mihi secundum verbum tuum*" (b).

O si ego quoque ex corde semper coram Deo ingeminarem hoc ipsum verbum, quoties non solum per angelum custodem, verum per se Ipsum inspirationibus ad cor meum loquitur; quam bene res mecum ageretur in negotio salutis. Utique non resistam amplius Domino Deo meo, qui propter me meamque salutem descendit de cœlis et homo factus est, ut ego faciendo ejus voluntatem et sequendo ejus exempla, *Filius Dei* fierem adoptivus, et ascendam aliquando cum ipso in cœlum, ad capiendam hæreditatem regni sempiterni.

PUNCTUM III.

"*Tertium* (*erit*) *considerare, quæ faciunt personæ super faciem terræ; scilicet* (*quomodo se invicem*) *feriunt, occidunt, eunt ad infernum.*" —

Quomodo obstupescerem, si scirem omnia plane peccata hominum, illorum numerum et fœditatem; peccatorum dico omnium, quæ *omnes* plane homines super terram inde ab Adamo commiserunt: cogitatione, verbo, opere, desiderio; si omnes dico nossem impudicitiæ crimina, injurias, ebrietates, latrocinia, furta, homicidia atque crudelitates horrendas, ab omnibus peccatoribus inde ab origine mundi commissas! Quomodo obstupescerem si vel solum omnium peccatorum *meorum* computum in hac meditatione conspicerem, quæ inde ab infantia commisi: cogitatione, verbo, opere, desiderio. En qualem ac quantam stragem efferatæ passionum humanarum bestiæ, et in specie passiones *meæ* jam in terris effecere. Hunc ergo tumultum actorum iniquorum tum commissorum tum usque et ad finem sæculi committendorum et ad cœlum clamantium audiam mente cum horrore animi. —

Considerabo, similiter in medio tot criminum "*quæ Personæ divinæ faciunt, scilicet operantes sanctissimam Incarnationem*".

Super terram itaque hanc in qua vivo *Incarnatio* Filii Dei facta est, quam nec Angeli per totam æternitatem satis comprehendere satisque mirari ac celebrare poterunt. Assumpsit videlicet Dei Filius humanam naturam; *meam* itaque naturam. Expendam gratiam hanc ineffabilem, ut Deum laudem atqua glorificem, adorans et jubilans cum firmo voluntatis proposito, ne fructum perdam beneficii tanti; sed totum me tradam excolendum per doctrinam atque exemplum Divini mei Magistri.

"*Similiter considerabo, quæ faciunt Angelus et Domina nostra; scilicet, Angelus agens suum officium legati; et Domina nostra: humilians se, agens gratias divinæ Majestati, et postea reflectere, ut fructum capiam ex unaquaque ex his rebus.*

Capiam videlicet *dolorem* et *confusionem*, visis tot peccatis totius mundi, et in specie tot meis peccatis; *admirationem* vero divinæ Bonitatis, quæ nihilominus decretum æternum misericordiæ exequens, legatum cum nuntio salutis in terras mittit. Cum beatissima et humillima Virgine autem maximas quas possum agam *gratias*, acceptando in confirmationem hujus mei sensus legationem, qua Angelus meus custos etiam ad me fungitur: videlicet quærens nunc ex me: num verus Jesu *socius* esse velim, et consequenter num totam vitam meam serio ejus *exemplo* velim conformare. Hoc cum nuntio et hac legatione divina ad me fungentem Angelum custodem, imprimis in hac ipsa hora meditationis coram me stantem, contemplabor. Quid dicam ei, quid agam? Acceptabat beatissima Virgo, ut fieret Mater dolorosa, quia Mater futura erat Christi passi et humiliati. Itaque acceptabo et ego, ut sim *socius* humiliationum et passionum Christi, ut cum beatissima Virgine Matre, sim etiam aliquando *consociatus* ei in gloria. Grandis utique est hæc missio divini nuntii ad me, de cujus acceptatione pendet salus mea, et gradus perfec-

tionis et gloriæ. Itaque cum Beatissima Virgine, memor meæ vocationis, et simul votorum meorum qua religiosus, omni cordis humilitate et affectu amoris mei erga Christum Dominum hæc verba pronuntio: — Ecce *servus Domini*, fiat mihi secundum verbum tuum. Sim verus *socius* tuus, o Verbum incarnatum in *humilitate*, patientia et charitate, in vita et in morte. In hujus oblationis confirmationem faciam nunc:

COLLOQUIUM; *nempe cogitando quid loqui debeam ad tres Personas Divinas, vel ad Verbum incarnatum, vel ad Matrem ejus et Dominam nostram, petendo pro affectu quem in me sensero quidquid juvare me poterit, ad magis sequendum et imitandum Dominum nostrum ita recens incarnatum.*"

O utinam et ego quasi nunc virtute Spiritus Sancti in his exercitiis ad novitatem vitæ conceptus et formatus cum Jesu introeunte in hunc mundum dicere et affirmare possem: "*scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam Domine*" (*b*). Ita cum Jesu meo incarnato cum ejus gratia et ego profiteor ad te orans: Pater noster etc.

---

a) *Philipp.* 2, 7. — *b*) *Hebr.* 10, 8.

MEDITATIO.

DE VISITATIONE DOMINÆ NOSTRÆ AD ELISABETH *).

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆAMBULUM I — erit adducere in mentem historiam Evangelii (a).

PRÆAMBULUM II.— Compositio loci. Erit nempe videre montana Judææ, super quæ in edito amœnoque loco conspiciatur domus Elisabeth, et quomodo Beata Virgo comitantibus angelis et ancilla festinet, Majestate quadam cœlesti conspicua in sua humilitate.

PRÆAMBULUM III, est petere id quod volo. Erit hic petere gratiam, ut sentiam Christi Domini præsentiam in his exercitiis, ut eum per beatissimæ Virginis imitationem, quam proxime sequi firmiter statuam. Rogabo simul, ut instar S. Joannis Baptistæ per gratiam mysterii, quod contemplaturus sum, sanctificer, et ad ea, ad quæ Dominus me in suo regno eligere dignatus est, quam convenientssime apter.

---

*) *Vide adnotationem in meditatione sequenti.*

PUNCTUM I.

"*Primo, cum Domina nostra visitasset Elisabeth, S. Joannes Baptista in utero existens Matris suæ, sensit Visitationem, quam fecit Domina nostra; et ut audivit salutationem Mariæ Elisabeth, exultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth, et exclamavit voce magna, et dixit: Benedicta tu inter mulieres et benedictus fructus ventris tui.*" (*b*).

Nondum natus, sensit tamen Joannes visitationem quam fecit Maria Elisabeth, et præsentem Dominum in utero matris adhuc existens, advertit, et veneratur, et qua præcursor Ejus statim gaudens exilit, indicans *promptitudinem* obeundi officium sibi demandatum.

Quoties Dominus me visitat gratiæ illustrationibus, imo sub ipsis eucharisticis speciebus cor meum *intrat*, propior tunc mihi, quam ibi Joanni; tam prope, ut ipsi Virgini sub cujus corde ferebatur; et tamen quam piger ac tardus sum, ut sentiam hanc ejus præsentiam, et gaudeam parando cor meum ad *præparandas* vias ejus. Verum jam modo loquere Domine, audit et sentit servus tuus præsentiam adventus gratiæ tuæ, ut et ego in his diebus a te visitatus per intercessionen B. Virginis Patronæ eximiæ sacrorum Exercitiorum, replear Spiritu Sancto, et cum Elisabeth gaudens, et lætus exclamem: "*benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.*" Sis tu mihi semper benedicta, mater mea o Maria, et Jesus ipse sit desiderium et fructus vitæ meæ, per sinceram atque fidelem ejus imitationem.

PUNCTUM II.

"*Secundo, Domina nostra cantat canticum dicens: Magnificat anima mea Dominum.*"

Et quomodo non cum Ipsa etiam ego cantem hoc canticum, magnificando Dominum Deum, considerans tot gratias quas Dominus contulerat mihi et confert indies; in specie autem quod religiosus et sacerdos sim, et socius Filii Dei incarnati. Rememorando hæc omnia divinæ erga me largitatis dona et documenta, exultat utique spiritus meus in Deo salutari meo, quia respexit humilitatem servi sui. Non enim utique ex meritis, sed secundum piissimam misericordiam, ignoscendo, non puniendo sed reconciliando vocavit me, ut *sequar* eum in sua benedicta Societate, tot ad hoc mihi suppeditando exempla atque auxilia; imprimis vero exemplum et patrocinium benedictæ ejus Matris.

PUNCTUM III.

"Tertio, mansit Maria cum illa quasi mensibus tribus; et reversa est in domum suam."

Considerabo hic quomodo Joannes Baptista, atque Elisabeth hoc tempore bene usi fuerint, novisque semper gratiis *aucti*, qui in prima salutatione jam implebantur Spiritu Sancto. Capiam ex hac consideratione incitamentum, ut et ego tempore hoc Exercitiorum, Visitationis nempe supernarum illustrationum, quantum potero perquam bene et optime utar, nec me pertranseat sine gratiæ augmento particula bonæ diei (b). Idque eo studiosius, quoniam non tres menses, verum vix unus, aut fors solum hebdomas mihi conceditur, ut solus agam cum Christo Domino et beatissima ejus Matre. Quodsi fecero diligenter, revertar et ego cum Maria et simul ut Maria in domum ad officia vocationis, ut ea peragam in conspectu et juxta exemplum Jesu et Mariæ in meam proximique utilitatem, et per omnia unice ad majorem Dei gloriam.

COLLOQUIUM instituam cum beatissima Matre flagitando enixe ejus intercessionem ad obtinendam hanc ipsam gratiam, et ut sit perpetua mea meditatrix apud Filium suum. Rogabo etiam S. Joannem Baptistam, ut sua intercessione a Domino mihi efficaces gratias impetret, ut ei per omnia præparem cor meum, et cor aliorum. In fine dicam devotissime Hymnum: *"Magnificat"*. —

---

a) *Lucc.* 1, 39—56. *b*) *Eccl.* 14, 14.

CONTEMPLATIO.

DE NATIVITATE (a).

ORATIO PRÆPARATORIA solita.

PRÆAMBULUM I. *est historia, et erit hic, quomodo a Nazareth egressi sunt Domina nostra, novem fere mensibus gravida, ut pie meditari licet insidens asinæ, et Joseph, et ancilla, ducentes bovem, ut irent in Bethlehem ad solvendum tributum, quod Cæsar omnibus illis regionibus imposuerat.—Ascendit itaque Joseph a Galilæa, ut profiteretur subjectionem Cæsari cum Maria desponsata sibi uxore prægnante.*

Considerabo etiam compatiendo, quomodo repulsam passi sint Beata Virgo et S. Joseph in Bethlehem, non inveniendo locum in diversorio; in quo Mysterium latuit, quod Evangelista exprimit scribens: "*In propria venit et sui eum non receperunt* (b)," excitando me, ut ego eo fidelius in hac meditatione gratiam ejus in cor meum recipiam, et fructum capiam ex contemplatione Nativitatis ejus, qua natus est in hoc mundo *propter me*, et qui in corde meo renasci nunc vult, ut ambulem in vitæ novitate (c).

PRÆAMBULUM II. *compositio, videndo locum. Erit hic, visu imaginationis videre viam a Nazareth ad Bethlehem, considerando* (*ejus*) *longitudinem, latitudinem, et an plana sit talis via, vel an per valles, aut clivos: item considerando locum, sive speluncam nativitatis, quam exiguus* (*sit locus*), *quam humilis, quam altus, et quomodo erat paratus.*

Hanc compositionem præscribit, S. Ignatius hac loquendi ratione ut nempe ad repræsentationem reapse faciendam vel invitum quodamodo urgeat, et ut sic fructum capiat majorem in ipsa meditatione historici objecti. Non hoc autem intenditur per hanc repræsentationem imaginariam, ut ipsa conditioni loci qualis reapse fuerat ad amussim respondeat, sed ut hac attentione et contentione mens colligatur et ad contemplandum mysterium historicum magis aptetur. Tu modo fac, quod toties inculcat et suadet S. Pater asceseos *practicæ* magister tam eximius, et non pœnitebit. Notandum autem atque servandum hoc etiam erit in meditationibus reliquis de Vita et Passione Domini.

PRÆAMBULUM III. *erit idem et eadem forma, quæ fuit in præcedenti contemplatione.*

PUNCTUM I.

Primum punctum est videre Personas – scilicet Dominam nostram, et Joseph, et ancillam, et Jesum infantem postquam natus fuerat.

Contemplabor itaque quomodo eodem momento noctis sacratissimæ, quo Christus partu virgineo per miraculum natus est, lux ingens de cœlo affulserit per totam regionem, juxta vaticinia prophetarum ita de nativitate Salvatoris prænuntiantium: "*Cum quietum silentium contineret omnia, et nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cœlo a regalibus sedibus venit; — et habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis*" et iterum: "*nox sicut dies illuminabitur, et nox illuminatio mea in deliciis meis* (*a*)." Erit quoque memoria hujus sacratissimæ noctis mihi semper et potissimum hac hora meditationis in *deliciis* meis, omnia quæ tunc pro salute mea contigere spectando, quasi nunc ea oculis viderem. Ecce anima mea, vide in stabulo lumine cœlesti circumfusum divinum infantem in ulnis Virginis Matris — vide infantem, cujus Nativitatem salutans et spiritu exultans Propheta canit: "*Parvulus natus est nobis, et filius datus est nobis; et factus est principatus super hume-*

rum ejus, et vocabitur nomen ejus: Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis (*b*). Vide quomodo mater benedicta amore tota liquescens, divinissimum atque amabilissimum infantulum aspiciat, et quomodo oculi pueri divini amorem tantum spirantes et gratiam Virginem Matrem contemplentur; quomodo illum mater simul adoret, et amplectatur, et materno suo cordi admoveat, stringatque. Cum hac itaque benedicta Matre et ego in terram prostratus nunc adorabo: *Verbum* caro factum *pro me.* — Audiam et perpendam verba quibus Ecclesia hanc Christi Domini felicissimam nativitatem quotannis tanto cum jubilo fidelibus annunciat, videlicet:

Anno a Creatione Mundi, quando a principio Deus creavit cœlum et terram, quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono: A diluvio vero anno bis millesimo nongentesimo quinquagesimo septimo: A nativitate Abrahæ anno bis millesimo quinto decimo: A Moyse et egressu populi Israel de Ægypto anno millesimo quingentesimo decimo: Ab unctione David in regem anno millesimo trigesimo secundo: Hebdomada sexagesima quinta juxta Danielis prophetiam: Olympiade centesima nonagesima quarta: Ab urbe Roma condita anno septingentesimo quinquagesimo secundo. Anno Imperii Octaviani Augusti quadragesimo secundo, toto Orbe in pace composito, sexta mundi ætate, JESUS CHRISTUS *æterni Patris Filius, mundum volens adventu suo piissimo consecrare, de Spiritu Sancto conceptus, novemque post conceptionem decursis mensibus, in Bethlehem Judæ nascitur ex Maria virgine factus* HOMO.

Terra quidem sopore oppressa et ignara salutis quæ nocte illa ei contigerit, siluit; at cœli aperti sunt, usque ad vertices eorum, usque ad Thronum Altissimi. Contemplabor itaque omnes angelorum choros, quomodo descendant ambiantque venerabundi et jubilantes stabulum in quo requiescit Rex illorum recens natus; quomodo omnes Seraphim et Cherubim, Throni, Dominationes, Potestates, Virtutes, Principatus cœlestes Archangeli et Angeli juxta dignitatem et ordinem cœlestis Hierarchiæ eum adorent, præstantes obsequia Regi suo et Domino dicente Scriptura "*Et cum introducit primogenitum in orbem terræ — adorent eum omnes angeli ejus* (*c*)." Audiam mente symphoniacos concentus harmoniæ cœlestis, et jubilum angelicum de quo Evangelium testatur: "*Facta est multitudo militiæ cœlestis cantantium atque dicentium: Gloria in Excelsis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis!*

O si hæc omnia præsens audivissem – vidissem – quo cordis affectu cum Angelis cecinissem: Gloria in Excelsis Deo – et in terra *quam bonæ voluntatis fuissem* ante præsepe Domini, ex amore erga Salvatorem meum recens natum. *At beati, qui non viderunt et crediderunt* (*d*). Aspiciam itaque et audiam hæc omnia repletus lumine fidei, et multum

diligenter et amanter contemplabor divinum Puerum et Virginem matrem "*faciendo me pauperculum et servulum indignum — spectando illos — contemplando illos et serviendo illis in suis necessitatibus, ac si præsens adessem — cum omni possibili obsequio, humilitate, devotione et reverentia – ac dein reflectere in me ipsum ad capiendum aliquem fructum.*" Nempe affectus intensos valde: admirationis, adorationis, amoris et gratiarum actionis pro tanta Jesu mei erga me amoris testificatione. Capiam autem fructum hunc eo copiosius, reflectendo in me ipsum, et referendo omnia ad me ipsum, cogitans, quomodo *propter me*, quasi solus fuissem redimendus hæc omnia per misericordissimam Dei Providentiam, et ejus amorem æternum erga me facta sint. Deus propter me factus homo, ut ego renatus spiritu per gratiam et amorem ejus et imitationem fierem novus et quasi divinus homo formam novi et cœlestis Adam induens (e). In specie autem hunc fructum ex hac meditatione capiam, ut ea pietate, amore tenerrimo et reverentia divinum infantulum amem et adorem, quo illum Maria et Joseph prosecuti sunt potissimum hac nocte; et hanc devotionem erga divinissimum infantulum per totam vitam retineam, foveamque. Est enim experientia teste maximis gratiis conjuncta devotio, qua spiritus formatur et incitatur summopere ad *imitandum* et *sequendum Christum.* O Maria si te *vidissem* nocte illa et quomodo Filium Dei, qui simul Filius erat tuus amorose suscepisti, quem fructum exinde pro tota mea vita non retulissem!

PUNCTUM II.

Secundum erit attendere, advertere, et contemplari ea, quæ personæ dicunt, et reflectendo in me ipsum fructum aliquem capere.

O si *audivissem* quid tu beatissima Virgo Mater Filio tuo in illa noctis hora corde magis quam ore dixisti! da Mater ut saltem quædam his similia infanti tuo divino hodie *dicam* ad ejus et tui consolationem et amoris mei tenerrimi testificationem. Audiam quoque, quæ infans ad cor tuum aspectu et interna cordis allocutione dixerit, congaudendo tibi de tanto Filii tui recens nati erga te amore. Audiam tandem quid loquatur affectu et cordis suspiriis, S. Joseph electus nutritius divini pueri; et hæc omnia etiam ego tibi divine Infans, dicta a me volo.

PUNCTUM III.

Tertium (*erit*) *spectare, et considerare ea, quæ* (*personæ sacræ familiæ*) *faciunt*, (*sustineantque*), *videlicet itineris peracti molestias, ærumnasque*), *ut Dominus nascatur in summa paupertate. Et* (*quomodo*), *post*

tot labores, post famem, post sitim, post æstum, et frigus, post injurias et contumelias, (Jesus tam pauper natus, eo devenerit) ut moriatur in cruce, et omnia hæc propter me. Deinde reflectendo capere aliquem fructum spiritualem.

Præcipue hunc, ut omnes vitæ ærumnas quas Christus Dominus ab ortu suo usque ad mortem pertulerat, ad me in specie referam, ut sic in me magis magisque amorem meum erga Jesum Dominum meum et Salvatorem inflammem, et in proposito eum sequendi et quam perfectissime imitandi, confirmer. Cogitabo itaque et considerabo ante præsepe Domini mei, quomodo jam tunc *ad me* cogitaverit, et omnia incommoda infantiæ in præsepi *pro me*, meaque salute Patri cœlesti obtulerit; et sic in tota vita usque ad ejus extremum halitum in cruce. Et ideo merito ex me serio percontabor, quod si tanta Dominus meus pro me egerit ac pertulerit, quid tandem non *ego propter ipsum* debeam agere, ut totus sim suus, quemadmodum ipse totus voluit esse meus.

COLLOQUIUM cum Infantulo Jesu in præsepi posito, et me suis oculis divinis blandissime intuente, instituam, declarando vicissim eidem, quam tenerrime illum amem quamque profunde cor meum penetrarit, quæ Ipse pro me egit, et quam ardenter cupiam sequi vestigia ejus per omnia, idque quam *proxime* et quam *fidelissime*, ut quia natus sit pro me homo, sim et ego per ipsum creatus homo semper cum illo, in vita et in morte et in tota æternitate. Reflectam quoque quid senserit, quidque dixerit S. Stanislaus, aliique quid egerint, quibus Beata Virgo infantem divinum in ulnas dederat, et spiritu affectibus eorum et meos conjungam, agamque cum Infantulo Jesu prout amor divini Spiritus me docuerit. Concludam colloquium dicendo ad præsepe Jesu nati: Pater Noster.

De Exercitio hoc fiant duæ Repetitiones et una Applicatio sensuum prout in libro intra Hebdomadam secundam continetur. Notandum porro quoad *repetitiones*, quod in eis juxta mentem S. Patris, ad ea quæ nos magis affecerunt erit in regustatione hac attendendum et *ad nos ipsos* reflectendum; contra vero in *applicatione sensuum* magis directe cum *personis* occupamur, quarum memoria in Mysterio occurrit; id quod non tantam mentis contentionem requirit, si recte fit, et potius inservit, ut post magis studiosam meditationem, mens suaviter reflectendo adjuta simul sensibus in contemplatione objecti de quo meditabatur, contemplative conquiescat, et fructum capiat.

Jubet autem S. Pater omnes sensus applicare, spirituali nempe modo, qui pro illo, qui meditationem ipsam bene peregerat, relate ad objectum de quo meditabatur, difficultatem non habet. Inest enim si de odoratu fit mentio, cognitionibus quoque veritatis revelatæ fragrantia quædam,

quam anima ut ita dicam quasi olfactu spirituali sentit, ut quilibet noverit qui in contemplando habet praxin et diligentiam. Idem de gustu et tactu dicendum. Spiritualizantur hac ratione quasi sensus nostri, et monemur in genere aliter nos illis uti debere, quam mera animantia.

---

a) *Lucc.* 2, 1—14. — *b*) *Jaan.* 1, 11. — *c*) *Rom.* 13, 14; *c.* 6, 4. — *d*) *Sap.* 18, 14–15; *Isaiæ* 9, 2; *Ps.* 138, 11 *et* 2. — *e*) *Isaiæ* 9, 6. — *f*) *Heb.* 1, 6. — *g*) *Joan.* 20, 29. *h*) 1. *Cor.* 15, 45.

CONTEMPLATIO.

DE PASTORIBUS.

Oratio Præparatoria est solita

Præludium I. — Memoria historiæ Evangelii (a).

Præludium II. Compositio loci. Erit videre pastores pascentes greges, admirabundos et terrore sacro perculsos viso angelo, qui circumfusus cœlesti lumine nuntium salutis eis defert de Nativitate Domini.

Præludium III. Petam gratiam, ut eo sensu devotionis, gaudii et gratiarum actionis replear, qua repleti sunt pastores hac nocte.

PUNCTUM I.

"*Primo, Nativitas Christi Domini nostri manifestatur pastoribus per angelum: Evangelizo vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Salvator.*"

Non aliud opus est præsertim in hac meditatione, ut fructum capiam cum pastoribus, quam hoc, ut cum diligenter semper instaurata loci compositione, quasi omnia coram agerentur, spiritu eisdem me quoque conjungam, et videam et corde perpendam, quænam per eos imprimis comendentur virtutes, ut gratiam copiosam hauriam ex Mysterio Nativitatis Domini nostri. Erant nempe pastores hi *vigilias noctis agentes. Vigilandum* utique est — et magno cum cordis affectu *desiderandum*, ut Christum inveniam, quem Scriptura nominat: *desideratum cunctis gentibus* (*b*), *desideriumque collium æternorum* (*c*). Nihil magni efficiam, nec magnam gratiam inveniam, nisi mente vigilem et sim vir desiderio-

rum (d). Natus est mihi *Salvator!* quomodo itaque non vigilarem, quomodo non gauderem, et paratum me ostenderem, ad omnia quæ Deus a me vicissim postulat, ut et ego per gratiam ejus renascerer cœlo.

PUNCTUM II.

"Secundo pastores eunt in Bethlehem: venerunt festinantes et invenerunt Mariam et Joseph et Infantem positum in præsepio."

Ecce quomodo gaudent feliciter invento infante; quomodo licet maxima propter angeli nuntium jam expectarunt videnda, tamen aspectu amabilissimi infantis attoniti lætitia cordis inenarrabili perfusi, adorabundi procidant, offerentes donaria in signum oblati cordis per sincerrimi amoris oblationem. Et erit etiam mihi gaudium magnum et desiderium intensum placendi infantulo divino, et studium exhilarandi eundem meis affectibus signisque amoris erga ipsum, prout id pastores illi desiderabant. Spectabo mente quomodo *Pastor bonus* blandissime ex præsepi hos intuitus sit pastores et simul oves suas, innuendo mihi quomodo vult, ut solicitus de propria et aliarum salute vigilem et desiderem servandi illi animam meam, et lucrandi illi animas — oves suas; sic adjungam me in spiritu pastoribus illis adorans Verbum incarnatum offeramque cum illis ei cor meum, cum proposito sincero ut multum affectuoso: *sequendi* vitæ ejus sacratissimæ exemplum quam perfectissime, imitando illud in specie ut fiam velut infans et parvulus qualis necesse est fiam cordis puritate et humilitate, si Jesum sequendo ingredi volo regnum cœlorum, ut ipse contestatur dicens: *"Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum* (e)." Quis nisi tu ipse o infantule Jesu, parvulus iste est, quem imiter, cuique similis factus hæres fiam regni cœlorum!

PUNCTUM III.

"Tertio, reversi sunt pastores glorificantes et laudantes Deum."

Reversi sunt *conversi* ad Christum pastores; o quam mea multum beatior sors; possum equidem manere apud te Domine in arca super aram præsens, non jam pannis sed *pane* involutus in eucharisticis speciebus. Et ideo non vacat mysterio quod urbs nativitatis tuæ vocaretur *Bethlehem*, quod interpretatur: domus – tabernaculum *panis*. Et non tantum ut pastores illi procul a te, sed *coram te* possum vigilias noctis agere, pascendo tui amoris affectibus desideria cordis mei, et non tantum coram te cum illis possum adorare meque tibi offerre, sed in cor ipum te suscipere, ut ibi cum Maria te amplectar, teneamque nec dimittam,

nisi benedixeris mihi. Et ego o Domine Jesu, o Verbum incarnatum — o amor meus incarnatus, ego te non glorificem, laudem et superexaltem, qui tanta fecisti pro me! Sit itaque hoc meum officium — hoc gaudium, præsertim hisce diebus, ut oculis Beatissimæ Virginis aspiciam te o Jesu infantule, ut amem te — contemnem me — et amplius atque amplius me humiliem coram te, et solum laudem te.

Colloquium fiet ut in præcedenti Meditatione.

---

a) *Lucc.* 2, 8—21. — *b*) *Aggæus* 2, 8. — *c*) *Genes.* 49, 26. — *d*) *Marc.* 13, 33; *Dan.* 9, 23. — *Matth.* 18, 3.

CONTEMPLATIO.

DE CIRCUMCISIONE *).

Oratio Præpapatoria consueta.

Præludium I. est historia, quæ hic est de Circumcisione (a).

Præludium II. est compositio loci. Erit hic videre Infantulum Jesum in manibus Sacerdotis et quomodo dolorem et sanguinem, quem tunc primo fudit, statim pro me Patri coelesti offert.

Præludium III. petere id quod volo; — erit hic petere ut per virtutem et efficaciam *S. S. Nominis Jesu* corde circumcidar, et deponam in his exercitiis perversas inordinatasque affectiones cordis quasvis.

PUNCTUM I.

"*Primo, circumciderunt puerum Jesum.*"

Erit itaque hic loci compati doloribus pueri divini et cogitare, quomodo statim paucis post nativitatem suam diebus, infans Jesus voluit

---

*) *Inscriptio dierum pro ratione temporis, quod in Exercitiis impenditur manifeste mutationem subire debet, ut meditationibus omnibus fiat satis, prout inspicienti et conferenti libellum Exercitiorum patet. Alias enim conferendo quæ inter notanda ad hebdomam II. Nota secunda de Incarnatione præscribuntur, cum iis quæ cum illa de Nativitate eadem die assignatur, decem contemplationes eodem die essent instituendæ, quod nemo dixerit S. Patri in mentem venisse; sed distributio meditationum juxta dies, dependet aliqua ratione a circumstantiis et diuturnitate temporis quod Exercitiis destinatur.*

Curandum et videndum tantum ne mysteria extra ordinem ponantur, et ut convenienter

pro me sanguinem suum fundere et pati. Quodsi enim alii infantes propter absentiam reflexionis et rationis minus in actu circumcisionis patiebantur, aliter longe infans Jesus, qui rationis perfectissime compos fuerat a primo statim conceptionis momento, sed et alias ut pie meditari licet erat tenerrimæ complexionis.

Offeram itaque eidem in gratiarum actionem omnem meum sanguinem, a prima gutta usque ad ultimam, quem omnem lubens volensque profunderem ad *Nominis* sui honorem et gloriam, si ita ei placitum fuerit, omnesque ærumnas libenter admodum perferam in suo obsequio.

PUNCTUM II.

"*Secundo, vocatum est nomen ejus Jesus, quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur.*"

Itaque in *sanguine* dedicatum est Nomen *Jesu;* quod est Nomen super omne Nomen, Nomen Sanctissimum, Nomen dulcissimum, Nomen suavissimum, Nomen excellentissimum, Nomen unctione gratiæ et virtutis fragrantissimum. — "*Nec enim aliud Nomen sub cœlo datum est hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*" quam Nomen hoc augustissimum (a). O benedicta hora, in qua primum Nomen hoc salutis auribus meis *insonuerat* dum adhuc infans manibus matris gestarer; benedicta hora, quando primum hoc Nomen salutis meæ *pronuntiabam.* O utinam pronuntiando aliquando dulcissimum Nomen hoc et animam efflare liceret. Quod ut fiat *sequar* Dominum et Salvatorem meum quam proxime, qui Nomen hoc pro me in sanguine suo dedicabat, factus pro me Jesus — *Salvator.* Et quid tandem de me factum fuisset si hoc Nomen sub cœlo nominatum non fuisset; aut si infelix inter gentes natus, illud nunquam proferre audivissem? At nunc vero jubila anima mea, cogitando quanta amoris abundantia Nominis hujus vis et excellentia etiam mihi et quidem tam speciali ratione communicata fuerit, eo quod Socius Jesu sim et ita nominer. *Jesu — ita* — ita plane ut Jesus vivam, ad exemplum ejus me ad amussim conformando.

PUNCTUM III.

"*Tertio, reddunt puerum Matri suæ, quæ compatiebatur de sanguine, qui de Filio suo exibat.*"

---

simul una die assumantur. Quodsi autem quis in uno mysterio tota die morari voluerit, tunc hoc fiet juxta formam die V. intra Hebdomadam II. a S. Patre adnotatam. Ne autem ulla ratione arbitraria egisse videamur, abstinebimus a dierum inscriptione, et meditationes tantum omnium mysteriorum suo ordine ponemus.

Compatiar et ego Matri Filioque efficaciter, quatenus non sinam sanguinem hunc frustra pro me fuisse profusum. Et in specie hac ipsa hora meditationis colligam partem horum fructuum, exstimulando me ad ardua quævis pro Jesu meo et *ejus Nomine*, et Regno perferenda; atque simul excitando dolorem quod hæc non jam inde ab infantia mea satis fideliter egerim, immo multis constristabam Matrem Filiumque propter immortificatum atque incircumcisum cor meum, ex quo tot scelera, verbo, cogitatione, opere et desiderio exibant, ad quæ eluenda infans Jesus sanguinem tam tempestive fudit. At amodo jam gaudebo et exultabo nulla alia in re quam unice in *Deo Jesu meo* (*b*).

Colloquium faciam ad Infantem Jesu circumcisum gratulando eidem de accepto Nomine augustissimo. In fine dicam Anima Christi. Alterum faciam ad benedictam Matrem postulando ejus intercessionem ad Filium, ut sim fidelis in mea oblatione, et ita vivam ut digne portem Nomen ejus. Ave Maria. —

a) *Lucc.* 2, 21. — *b*) *Act.* 4, 12. — *c*) *Habac.* 3, 18.

CONTEMPLATIO.

DE TRIBUS REGIBUS MAGIS.

Oratio Præparatoria consueta.

Præludium I, — erit memoria historiæ de adventu trium regum (a).

Præludium II. — Compositio loci. Erit hic videre quomodo fulgeat stella luce mirabili, donec staret supra ubi erat puer divinus regiusque cum Matre; et simul videre domum, quam magi sequentes stellam intrant, visoque divino puero procidunt adorabundi, et toto cordis affectu munera offerunt.

Præludium III. — Erit petere quod volo, nempe ut donum *vocationis* ad fidem condigne æstimem omnibusque mundi thesauris præferam, memor vocationis, quæ inter fideles mihi ex singularissima Dei misericordia atque Providentia contigerat, videlicet ad apostolicum Jesu comitatum per vocationem ad *Societatem;* aperiamque cor divinis inspirationibus, ut non tantum semper credam recte, sed vivam quoque ex fide recte et convenienter statui meo, et aliter quam hucusque, nempe melius fideliusque et liberalius erga Dominum meum et Regem.

PUNCTUM I.

"*Primo tres Reges Magi stellam sequentes ducem, venerunt ad adorandum Jesum dicentes: Vidimus stellam ejus in Oriente et venimus adorare eum.*"

Consideranda primum hic est *fidelitas* horum trium regum, atque eorundem *magnanimitas*. Sequuntur stellam sine mora; declarant simul publice Jerosolymis in conspectu regis tyranni et synedrii totius piam suam voluntatem, præstandi homagium adorationis Christo Regi. Etiam me stella quædam fulgens de cœlis ad hæc Exercitia et in his Exercitiis vocat, cujus lux et radii divinæ sunt inspirationes, quæ cor meum identidem percellunt, ut veniam ad Christum propiusque illum atque perfectius cognoscam et sequar. Necesse itaque est, ut sine mora ductum hujus stellæ sequar, conculcato penitus omni respectu humano. Si vel deessem in fidelitate et moram traherem, ubi divinitus me *impulsum* sensero, vel si ex respectu humano impediri me sinerem, quominus *sine mora* hanc stellam vocantis gratiæ sequar, actum esset; Jesum non invenirem, nec mea munera ei offerre locus esset atque opportunitas, nec grata eidem essent, nec susciperet cor tepidum atque in tot partes divisum (b). Orabo itaque instanter Dominum, ut me ab his impedimentis liberet, ut stellam inspirationum ejus semper sine mora et sine respectu vitioso humano sequar. Hic enim respectus vitiosus hominum primum et maximum obstaculum est seriæ resolutionis ad mutandam vitam, et sectandam cum perfectione virtutem. Contemnere mundi contemptum, hoc amodo sit axioma meum. Despiciam itaque respectum vitiosum hominum, et respiciet me Jesus Salvator hominum.

PUNCTUM II.

"*Secundo, Procidentes adoraverunt eum, et obtulerunt ei munera, aurum, thus et myrrham.*"

O Domine Jesu, en cum tribus regibus primis adoratoribus ex gentibus procidens adoro te, tibique munera mea offero. Aurum, thus et myrrha non est mihi, necque hæc a me desideras; quod autem habeo, hoc tibi do; a te accepi illa, nempe dona quævis naturæ et gratiæ, imprimis potentias ipsas animæ: intellectum, memoriam, voluntatem. Sit *obsequium* harum potentiarum totius mei Esse in studio imitandi te aurum quod tibi offero; adjungam thus *devotionis* erga tuam sacratissimam infantiam, et myrrham *pœnitentiæ*, paratus pro te pati omnia, libenter, prompte, constanter, ut quam proxime sequar te. Et hoc quidem quanto cum affectu tibi dico adorans te cum regibus omni qua possum reverentia! Respicere digneris quæso Jesu parvule super servulum

tuum, prout respicere dignatus es super reges illos ex ulnis Matris tuæ benedictæ, atque munera votaque mea benigne suscipe. — Ora pro me, o Mater piissima, Mater amabilissima ut suscipiat Jesus oblationem cordis mei. —

PUNCTUM III.

"*Tertio, Responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem per aliam viam reversi sunt in regionem suam.*"

Mutanda etiam mihi via et vita est, ut non sine fructu ex hac sacra solitudine revertar; non jam ad Herodem, i. e. ad *passionem dominantem* et ad satellites ejus, nempe ad alias iterum passiones cum earundem affectibus, qui omnes mactare te machinantur quotidie o Jesu mi, modo quasi in corde meo per nova proposita recens nate; sed alia via procedendum, nempe illa, quæ mihi in his exercitiis innotuit, et per quam angelo duce et magistro, revertar ad vitæ negotia, quæ scis et vis ut peragam vivens juxta vocationes rationem ex fide, quæ tua mi Jesu gratia et charitate animatur. —

Colloquium faciam ad Jesum infantem regium congratulando eidem quod sit Rex Regum et Dominus Dominantium, et quod Regni ejus non sit finis; postulans ab eo ut me participem hujus ipsius Regni sui faciat aliquando. Dein cum Matre ejus benedicta colloquar, congaudendo ei cum fiducia et amore infantis, quod et ipsa Mater tanti Regis, Regina sit longe gloriosissima, sed et simul Mater mea. Dicam in fine: Salve Regina, desiderans vehementer ut semper magis cognoscam et amem Jesum et Mariam, et ut semper sim cum ipsis.

---

a) *Matth.* 2, 1—12. *b*) *Exod.* 34, 14.

CONTEMPLATIO.

DE PURIFICATIONE DOMINÆ NOSTRÆ ET PRÆSENTATIONE PUERI JESU.

Oratio Præparatoria, consueta.

Præambulum I. — Memoria historiæ, Evangelii (a).

Præambulum II.—Est compositio loci. Erit hic videre Templum Hierosolymitanum, quod Beata Virgo cum S. Joseph et divino Puero, ingreditur

et quomodo illos suscipiant cum maxima reverentia et ingenti cordis jubilo Simeon et Anna prophetissa.

PRÆAMBULUM III, — erit petere gratiam quam volo; nempe ut imitando Jesum, totum me tradam divinæ voluntati in holocaustum, eo affectu et cordis gustu, quo Beata Virgo Domina nostra divinum infantem cœlesti Patri obtulerat, et puer Jesus eidem se offerebat.

PUNCTUM I.

"*Primo, deferunt puerum Jesum ad Templum, ut præsentetur Domino, tamquam primogenitus, et offerunt pro eo par turturum, aut duos pullos columbarum.*"

Hæc considerabo mente ut fructum capiam. Quidquid nempe sum et ago et quidquid habeo, hoc totum Deo offerre et ad Deum referre primum est, si servus Dei esse, et socius Christi inveniri volo. Considerabo simul, quo gratitudinis, laudis atque obsequii affectu beatissima Virgo templum intrarat, in quo seipsam triennis Deo consecrabat Virgo, offerens totam seipsam Deo. In hujus Templi sacro ambitu dein die noctuque deprecabatur Divinam Majestatem offerendo eidem suspiria ardentissima pro Christi adventu, quem nunc felix in sinu materno Virgo Mater gerebat, offerendo eum Deo Patri.

Considerabo hic gratus quod et ego anima sim, cui Deus tam affluenter dona pretiosissima Creationis atque Redemptionis communicaverat, et offeram cum tenerrima gratiarum actione cor sacris votis Deo consecratum, et cum corde par turturum; sensa videlicet tenerrimi amoris erga Christum et divinam ejus Matrem,— Matrem pulchræ dilectionis— pulchri et casti amoris. —

PUNCTUM II.

"*Secundo, Simeon veniens ad Templum, accepit eum in ulnas suas dicens: Nunc dimittis servum tuum, Domine, in pace.*"

Considera anima mea, quo pietatis sensu et affectu Simeon puerum divinum e sinu Matris in ulnas suas susceperit, adoraverit atque amplexatus sit, et qua gratiarum abundantia Jesus cor ejus impleverit, ut jam nil cuperet quam dissolvi, et plane huic mundo emori.

Orabo et ego Divinum Spiritum, ut non permittat, quod Exercitia hæc finiam donec Christum per lumen meditationum clare videam atque cognoscam, et per sincerum propositum eum sequendi etiam in brachia spiritus, quæ sunt proposita efficacia eundem suscipiam, ut consolatione repletus, finitis his exercitiis, et simul finem imponens vitæ meæ hucusque peractæ exclamare possim: "*Nunc dimittis servum tuum Domine in pace.*" Non enim habere prius potero pacem, quam donec totus sim Christi.

PUNCTUM III.

"*Tertio, Anna superveniens confitebatur Domino, et loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant Redemptionem Israel.*"

Venit Anna Prophetissa laudans Dominum et divinum Puerum, ea prænuntiando de illo, quæ scripta sunt de ipso ab omnibus Prophetis, et quæ Simeon et ipse Sacerdos et Propheta, his paucis verbis complexus est: Positus est hic in ruinam et in resurrectionem multis, et in *signum cui contradicetur; — et tuam ipsius animam pertransibit gladius*" (*b*). En, in mea potestate et electione est utrum in ruinam vel resurrectionem mihi positus sit Christus. — *Obtemperantibus enim sibi factus est causa salutis æternæ*" (*c*). Contra vero filiis prævaricationis fit *lapis offensionis* super quem, qui conciderit, conquassabitur (d). Itaque si vocem ejus audiero et ejus exemplum secutus fuero, erit mihi utique Christus in resurrectionem vitæ; — vitæ dico fervore spiritus in aliam jam mutatæ.— Si vero obdurarem aures meas præsertim his diebus, timenda utique mihi essent et perquam timenda judicia Dei — ne sint mihi tot dona, beneficiaque per Christum obtenta, propter tepiditatem, infidelitatemque propriam in *ruinam.* — Pertransibit quidem etiam animam meam gladius passionum si Christi fidus socius fuero, et ero quoque ego qua socius Jesu signum cui contradicetur; verumtamen, nec capillus quoque de capite meo cadet sine ejus voluntate, qui quos præscivit etiam prædestinavit *conformes* fieri Filio ejus. (e).

Colloquium faciam ad B.V. Matrem, ad puerum Jesu, et cœlestem Patrem offerendo me totum in holocaustum Divini amoris.

---

a) *Lucc.* 2.— *b*) *Lucc.* 2, 34.— *c*) *Hebr.* 5, 9.— *d*) 1. *Petr.* 2, 8; *Lucc.* 10, 18.— *e*) *Lucc.* 15, 18; *Rom.* 8, 29 *et* 17.

CONTEMPLATIO.

DE FUGA IN ÆGYPTUM.

Oratio Præparatoria consueta.

Præludium I — erit memoria historiæ Evangelii (a).

Præludium II — erit compositio loci. Hic erit videre quomodo Jesus, Maria et Joseph fugiant in Aegytum. Spectabo viam in qua benedicta atque afflicta Mater cum puero divino et S. Joseph, et ancilla in regionem illam longinquam iter facit, simili ratione ut in Nativitate feci.

Præludium III, — erit petere quod volo; nempe gratiam *prudentiæ*, ut fugiam pericula animæ cum magna fiducia in Divinam *Providentiam.*

PUNCTUM I.

"*Primo. Herodes volebat occidere puerum Jesum; itaque occidit Innocentes, et ante illorum cædem Angelus monuit Joseph ut fugeret in Aegyptum, dicens: Surge et accipe Puerum et Matrem ejus, et fuge in Aegyptum.*"

In nullo corde Christus nascitur per seriam vitæ emendationem, ut non statim adsit quoque Herodes quidam, qui occidere atque perimere cupit hæc nova vitæ perfectioris molimina; et si frustra quærit, occidit innocentes quam plurimos, saltem gladio linguæ, puta calumniis etc.— Ita plane, non quiescit mundus, caro, infernus, ubi videt prædam sibi eripi; maxime ubi exspectandum, quod conversus futurus sit per Christi gratiam Salvator quidam animarum. Et sic magnum exsurgit periculum, ne perfectionis tyro, in spiritus lucta deficiat, contra insultus vehementes nimis atque frequentes. Quare ne peream, fugiendum mihi est procul ab omni quod mihi meisque propositis recenter captis periculum creare potest. Reflectam quæ hæc sint, et fugiam illa; et ubi non potero, potius cum Innocentibus occidi præferam, quam Christo non testimonium præbere. Spectabo mente hanc cædem Innocentium, gratulando eisdem quod stolam innocentiæ cum purpura martyrii condecorarint, et plangam in me perditam stolam innocentiæ baptismalis!

PUNCTUM II.

"*Secundum, profectus est Aegyptum versus* (*Qui consurgens nocte, secessit in Aegyptum*)."

Non moratur Joseph, sed quamprimum de periculo edoctus fuit, statim sumit infantem cum matre, et fugit. Similiter et mihi faciendum, qua Socio Jesu. Nequaquam enim temere agendum, ubi de anima, de Christo agitur. Adhuc enim novitius sum in virtute. Etsi robustissimus essem, fugiendum nihilominus quodvis liberum peccandi periculum. Teste enim divino Spiritu, "*qui amat periculum peribit in illo*" (b). Res est omni attentione digna atque dignissima. Quot enim heu post ferventissima Exercitia tamen nihil profecere; quia retrahere se nolebant initio statim a pristinis occasionibus sociisque vitæ tepidæ. Ne itaque sim horum ex numero, audiam et sequar monitum divini Spiritus "*fuge dilecte mi*" (c).

PUNCTUM III.

"*Tertio, erat ibi usque ad obitum Herodis.*"

Perseverandum est idque usque in finem; maxime ubi de fuga gravissimorum periculorum peccati agitur: puta quæ repugnant innocentiæ, sivec astitati, quam virtutem tam amabiliter in occisis Innocentibus con-

spicimus coronatam, et quorum exemplum etiam dum comminus cum ingruentibus tentationibus pugnandum veniet, nos edocet, quomodo potius sanguinem fundere, quam peccato Christum prodere debeamus.

Da Domine, ut in tempore cognoscam pericula animæ, maxime quæ contra innocentiam angelicæ puritatis diriguntur, ut fugiam illa statim, et quam remotissime, et resistam omnibus illecebris sensualibus, atque impuris usque ad mortem et sanguinem, et perseverem in hac lucta fidelis usque in finem. Heu, quot sancti homines et in virtutibus senes, rediere ex nimia de virtute sui fiducia, ante obitum Herodis, et in pericula passionum sese iterum conjecerunt, et misere perierunt. Averte Domine iram tuam a me, et sancto timore præsertim quoad hæc pericula, confige carnes meas!

Instituam COLLOQUIUM amoris ad Jesum infantulum profugum, et ad benedictam ejus matrem, postulando hoc ipsum ne unquam ab eorum cosortio avellar per tam varia salutis pericula, commendando me imprimis Patrocinio purissimæ Virginis Matris.

---

a) *Matth.* 2. *b*) *Eccl.* 3, 27. *c*) *Cant.* 8, 14.

CONTEMPLATIO.

QUOMODO CHRISTUS DOMINUS NOSTER REDIIT EX ÆGYPTO.

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I. Erit memoria historiæ Evangelii (a).

PRÆLUDIUM II. Est compositio loci. Hic erit videre viam, in qua puerulus Jesus cum benedicta Matre et S. Josepho, cum gaudio et lætitia spirituali ex Aegypto in Palæstinam revertitur, et quomodo congaudet puerulus Jesus Matri de hoc reditu, et hæc vicissim eidem.

PRÆLUDIUM III. Erit petere gratiam, quam volo. Hic erit petere lumen discretionis, et cor docile ad motus gratiæ, ut Christum sequar ad quemvis locum ubi vult, ut agam, et qua ratione vult, cum indifferentia ad *locum*, et plena in Dei voluntatem resignatione, sequendo per omnia ductum obedientiæ.

PUNCTUM I.

"*Primo, Angelus monet Joseph, ut revertatur in Israel.* (*Surge, et accipe puerum, et Matrem ejus, et vade in terram Israel.*)"

Non sponte sua se illuc contulit Joseph, non sua sponte rediit; sed *jussus* et ideo semper securus. Securior nunc iterum in Israel, quam si in Aegypto mansisset. Ut securus sis Socie Jesu! tum in fuga periculi tum in omni agendi ratione, sequere viam obedientiæ, ne ulla ratione partem habere velis in dispositione, qua decernitur ubi versari atque laborare debeas; verum audi angelum monentem, vocem nimirum ejus, qui legatione Dei ad te fungitur; audi videlicet vocem superioris tui, cujus est tibi indicare locum in quo agas. Cave ne aliter facias seductus facie rerum, et sic ordinem Divinæ Providentiæ interturbes. Non eligas locum; sed exspecta ut tibi indicetur ubi debeas exequi, quæ ad majorem Dei gloriam, et proximi salutem exequi in animum induxisti. Num ita agere hucusque consuevisti?

PUNCTUM II.

"*Secundo,* (*Consurgens venit in terram Israel*)."

Venit itaque in terram promissam expletis prophetiis olim factis de profectione Messiæ, Filii Dei, ex Aegypto (b); venit in terram benedictam, in qua Christus Dominus perfecturus erat grande illud opus Redemptionis generis humani. Ubicunque Socie Jesu! obedientia te vocat, terra illa, terra Israel erit, hoc est: terra in qua videbis palam, quæ primum erant oculis tuis abscondita in consilio Divinæ Providentiæ, ita cursum tuum dirigentis, ut pervincas obstacula quævis. Laborabis cum Domino, et erit tecum, erisque particeps fructuum Redemptionis, longe majori cum benedictione, quam sperare potuisti. Confide itaque atque consurge cum Joseph, et vade quasi cœce quorsum obedientia te vocat; ibi autem in loco et munere quod ex obedientia administras conversator non ut cœcus, sed cum discretione atque prudentia, quia sic vult ipsa obedientia. Ivit Joseph non in Bethlehem sed in Nazareth, et prudenter et Divinæ voluntati convenienter.

PUNCTUM III.

"*Tertio, quia regnabat Archelaus filius Herodis in Judæa refugit in Nazareth.*"

Non excludebat jussio "*ut redeat*" consilium prudens, ut ibi quorsum ire jubebatur, etiam securius convenientiusque moraretur. Non exstinguit

obedientia lumen rationis, sed supplet atque dirigit ne aberret. In via itaque in qua ex ductu et jussu obedientiæ ambulas, ambula oculis non clausis, sed apertis; non ut viam mutes sed ut in via non ex imprudentia, quam obedientia neutiquam jussit, impingas. Ducis in via est tantum viam ostendere; viatoris autem gressus provide figere, lutum evitare, et non in lapides offendere. Profecto quodsi monente Apostolo fides ipsa rationabilis esse debeat, aut potius ut verba sonant: *rationabile obsequium vestrum* (c); nempe vivendo fidei conformiter; sic et obedientiæ obsequium; hoc ipsa vult obedientia, ne fine suo frustretur.

Da mihi Domine lumen discretionis, et cor docile ad motus gratiæ, ut agam semper ac ubique non quod ego volo, quomodo et ubi ego volo, sed quod tu vis Domine, ubi vis et quomodo vis, ne ulla ratione declinem a via veritatis et pacis, a via quam divinæ atque paternæ *Providentiæ* tuæ cursus mihi parabat, et in qua ipsa me dirigit per obsequium rationabile obedientiæ cœcæ. —

Fiant COLLOQUIA cum Jesu, Maria et Joseph.

---

a) *Matth.* 2. *b*) *Osæ* 11, 1. *c*) *Rom.* 12, 1.

CONTEMPLATIO.

DE VITA CHRISTI DOMINI NOSTRI

AB ANNO ÆTATIS DUODECIMO AD TRIGESIMUM.

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I, Erit legere historiam Evangelii (a),

PRÆLUDIUM II. Erit constructio loci. Hic erit mente videre in domo Nazareth locum laborum in quo Jesus puer cum S. Joseph conversatur eumque juvat in exercenda arte fabrili.

PRÆLUDIUM III. Erit petere gratiam, quam volo. Hic erit petere gratiam hanc, ut nempe per considerationem seriam amabilissimi Jesu mei, et vitæ suæ absconditæ, ad instar Mariæ et Joseph capiam fructum copiosum ad profectum in spiritu, imprimis per studium *humilis* obedientiæ, cupiens quantum ex me erit occupari *officiis* humilibus, et nesciri ab hominibus, ut Deo tantum placeam.

PUNCTUM I.

"*Primo, erat obediens Parentibus suis.*"

En lectionem quam mihi Christus Magister et Vitæ dux, per 30 plane annos legit. Lectionem dico de humilitate et obedientia. In his

enim duobus cardinibus universæ legis divinæ, charitatis nempe legitime ordinatæ et operosæ, firmitas pendet et observatio. In his duabus virtutibus itaque fundari debeo quam profundissime, si in altum fastigium perducere voluero ædificium perfectionis. Quare abhinc abscondi et nesciri amabo ; — præsertim per omne illud tempus quod præparationi impenditur ad officia vocationis apostolicæ. Non enim secure patet, nisi qui libenter latet, recte dixit devotus ille Asceta. Si socius Christi esse desidero, maxime in ministerio salutis, spiritus hic mihi adhuc magis necessarius est quam Carthusiano, ut non me, sed Christum quæram, et hoc non tantum initio, sed semper usque in finem. Humiliari — nesciri — contemni — hoc meum debet esse continuum suspirium, hoc unice in votis, ut Dominus mei utatur in operibus gloriæ *suæ* non *meæ*, et ut per humiliationem meam exaltetur gloria ejus. Ad hoc ergo me resolvam — in id cor totum meum inclinabo — ab hoc animo pendet totum, quod aptum me reddere potest ad Apostolatum Christi.

PUNCTUM II.

Secundo, proficiebat sapientia et ætate et gratia.

Non progredi in via virtutis, regredi est. Quare fideliter semper, — semper omni hora et momento aperiam cor meum gratiæ divinæ inspirationibus, eisdemque collaborabo. Tempus ecce transit — et veniet tempus et tempus non erit amplius! Recolam mente æternitatem!! Ecce pondus gloriæ meæ, quomodo secundum mensuram profectus mei crescit! Verum quid ad hæc conscientia mea? An cresco quotidie sapientia, gratia et meritis coram Deo et hominibus ; vel numquid non deferbuit in me jam dudum primus ille virtutis et perfectionis æstus atque conamen profectus? Resuscitabo itaque in me gratiam charitatis primæ et cum psalte corde dilatato, professione sincera atque fideli exclamo : "*Ego dixi – nunc cœpi – hæc mutatio dexteræ Excelsi* ;" ad perfectiora me extendam, ad perfectissima in omnibus status mei officiis – nec desinam donec perficiam (b).

PUNCTUM III.

"*Tertio, videtur exercitasse artem fabrilem, ut indicat S. Marcus: nonne hic est faber* (c)."

Mundum fabricatus est omnipotentia sua illumque conservat ; et tamen in humilitate humanæ conditionis volebat etiam externo officio docere humilitatem, et simul humanissimam affabilitatem, qua omnibus omnia fieri voluit. Vix enim aliud datur genus officii quod ex indole

sua sese aliis rebus ita accomodare debet, quam recte hoc oppificium *fabri lignarii ;* estque officium cujus materia lignum est. Novit utique quare sibi hoc oppificium in ligno elegerat, qui *lignum* elegit, quo mundi salutem operaretur. Priusquam autem exaltari voluit in ligno, humiliabat se in ligno, suumque affectum erga lignum crucis hac electione laborum manifestum nobis reddidit in vita sua occulta. Quoties ei non sponte in exercitio hujus opificii per segmenta ligni, memoria *crucis* obire debuit?! Etsi itaque ad maxima vocatus sum non ideo negligenda a me sunt minima et humilia, et hoc non tantum quoad affectum internum, sed etiam quoad actus *externos.* Sim sublimis et magna moliens, quantum ad celsitudinem vocationis meæ pertinet, haud degener a præcelsis cogitationibus filiorum Dei: verum ut hæc actu perficiam non alia datur via, quam mei abjectio. Omnia ad *majorem* Dei gloriam, sed etiam omnia ad *majorem* meam humiliationem ; hoc principium sit zeli virtutis ad quam adspirem, ut tamquam omnium minister et servus, minimum me reputem et geram, speciosa non affectans, sed quantum ex me est, quærens per omnia, quæ superbiam meam frangant. Sic vitam vivam cum Christo in Deo absconditam, sed operum meritis aliquando manifestandam.

Colloquium faciam cum Jesu et Maria quasi in Domo Nazareth. – In Fine dicam Pater et Ave.

---

r) *Lucc.* 2. 51-52. — b) *Os.* 76, 11 ; *Philipp.* 3, 13. — c) *S. Marc. c.* 6. —

CONTEMPLATIO.

DE ADVENTU CHRISTI IN TEMPLO CUM ESSET ANNORUM DUODECIM.

Oratio Præparatoria consueta.

Præludium I. Erit memoria historiæ de Christi ascensu in templum ex Evangelio (a).

Præludium II. — Est constructio loci. Erit videre templum Hierosolymitanum, et in specie eam partem, ubi puer Jesus in medio doctorum in templo consistat.

Præludium III. — Erit petere gratiam quam volo. Hic erit petere animi magnitudinem, et vocationis amorem quo provocamur absque ullo respectu *carnis* et cognationis quærere, quæ Patris cœlestis, quæ Dei, quæ Christi sunt, exuendo nos ab omni alia, licet alias bona, at humana nimis affectione erga notos ac consanguineos.

PUNCTUM I.

"*Primo, Christus Dominus natus annos duodecim, ascendit a Nazareth in Jerusalem.*"

Semel tantum apparet Christus in Evangelio per hos 30 annos vitæ suæ absconditæ, et tunc quidem in Templo. Erit ergo videre Templum Jerosolymitanum e longinquo, et Mariam et Joseph cum puero Jesu, quomodo videlicet devote ambulent in via, in se collecti atque repleti spiritu pietatis et internæ conversationis cum Deo, ascendant ad civitatem sanctam et Templum. Adjungam me eisdem mente, atque cor meum inspiciam, meque interrogabo, qua devotione, qua pietate, quo exemplo ædificationis ego ipse templa divinaque officia adire soleam? Erit tum videre quomodo sacratissimæ personæ Templum introeant. Ecce quale mihi puer Jesus in Templo externæ devotionis exemplum exhibet, — quale Maria, — quale Joseph! Quam instanter atque perseveranter orent! Profecto magna cura magnoque fervore pietatis officia a me obeunda sunt, ne ignis accensus in corde recollectionis tempore, dein defectu devotionis brevi iterum exstinguatur. Percontabor itaque ex me quantum orem – qua *devotione* externa atque interna – quomodo festa Ecclesiæ sanctificem — et quid in posterum hac in re mihi faciendum sit, quid emendandum, quid addendum?

PUNCTUM II.

"*Secundo, Christus Dominus noster mansit in Jerusalem, et nesciverunt parentes ejus.*"

Non enim necesse est, imo nec consultum, ut ea, quæ pro Deo facio et facturus sum passim communicem aliis, minime autem consanguineis, licet alioquin bonis; solent enim persæpe in rebus ad Dei gloriam pertinentibus impedimenta ponere; potissimum sicubi necesse erit ab eisdem discedere. Sane, quodsi puer Jesus non insciis parentibus Jerosolymis mansisset, illum utique secum abduxissent, et sic non habuisset copiam interrogandi Doctores in templo, sicque eos edocendi, nobisque exemplum illud relinquendi, quod in Illo hac occasione admiramur. Quanto magis parentes, qui de Spiritu Jesu parum aut nihil norunt, impedient opus Dei per me perficiendum, nisi consilia mea eisdem, aliisque, quorum non interest occultem. Summi momenti res est ejusmodi cautela ac providentia, maxime si adhuc tyro quasi et novitius sum in via Domini. Alios quidem prætereram consulto; interrogare autem atque consulere debeo Dei vicarios, Ecclesiæ Sacerdotes, qui utique Doctores sunt in templo. Cum his sincere consilia conferenda; cum aliis vero multa verba

haud miscenda, præsertim ubi de status electione agitur, et dum me ad altiora et perfectiora vocatum sentio, quem statum perfectionis recte innuit hoc mysterium vitæ Christi. – Num ita egi semper? Si egissem, fors multas gravissimasque difficultates evasissem, quas inimicus salutis mihi meisque consiliis opposuit. Non est omniscius diabolus, sed quæ ex inutili loquacitate percipit, his utique utitur atque abutitur in perniciem quantum potest.

PUNCTUM III.

"*Tertio, elapsis tribus diebus, invenerunt illum disputantem in templo, et sedentem in medio doctorum; et interrogantibus illum parentibus suis, ubi fuisset, respondit: Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse.*"

Hoc quoque meum responsum sit relate ad omnia, quæ mihi ab aliis piis licet, verum sæcularibus obmovéri poterunt, in iis quæ ad Dei gloriam et animarum salutem agam. Ad quæstionem nempe atque querimonias, quare nunc hæc agam, et non alia, et hæc tam frequenter; quare tam assidue orem, in templis verser, mundum amplius non curem, causam Dei tantum animarumque salutem unice zelando, nec ibi amplius inveniar ubi tepide vivendo prius versari consuevi? Ad hæc respondebo simpliciter at serio admodum: Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt oportet me esse, quæ *vocationis* meæ, quæ Christi; non autem in iis, quæ mundi, quæ carnis, quæ amoris proprii, quæ vanæ consolationis atque confabulationis. Quanto plenius, vocationis meæ memor, nuntium misero, quidquid mundum et affectus sæculares redolet, tanto utique liberius efficaciusque cum magna quiete et pace animi centuplum recipiam consolationis et gratiarum in ministerio vocationis sanctæ.

Postulabo hanc gratiam a Matre benedicta — a Filio et Patre cœlesti, colloquiis consuetis.

---

a) *Lucc.* 2, 42–50. —

CONTEMPLATIO.

DE DUOBUS VEXILLIS, ALTERO CHRISTI SUMMI DUCIS AC DOMINI NOSTRI; ALTERO LUCIFERI, CAPITALIS INIMICI NOSTRÆ HUMANÆ NATURÆ.

ORATIO PRÆPARATORIA sit solita.

PRÆAMBULUM I. *est historia. Erit hic, quomodo Christus vocat et vult omnes* (*congregare*) *sub suum vexillum, et Lucifer contra sub suum.*

Cogita quæso attente, qualis tibi consideranda proponitur oppositio, quam terribilis et tamen vera: *aut — aut*: aut *Christi* es aut *Luciferi* — non datur medium.

PRÆAMBULUM II., *compositio videndo locum. Erit hic, videre campum magnum totius illius regionis Jerusalem, ubi summus Dux generalis bonorum est* CHRISTUS *Dominus noster: — alterum campum in regione Babyloniæ, ubi caput inimicorum* (*dæmonum*) *est* LUCIFER.

Et quidem videndus est Christus in forma amabilissima, princeps pacis et pater futuræ gloriæ cum vexillo s. *crucis*, circumdatus Apostolis omnibusque horum Successoribus in munere apostolico, ad salvandas animas a Christo Duce missis et mittendis. Contra diabolus videndus forma terribili, superbiam horribilem atque vindictam spirans, et odium in Deum et Sanctos, cum vexillo suo cui inscripta verba leguntur: "*deliciæ hujus mundi*;" et ipse circumdatus legione innumerabilium dæmonum, quos in orbem universum mittit ad seducendos homines, ut peccent et pereant in æternum.

PRÆAMBULUM III. *rogare id quod volo; et erit hic, petere cognitionem fraudum mali Capitis, et auxilium, ut ab illis mihi caveam; et cognitionem vitæ veræ, quam ostendit summus et verus Dux, et gratiam ad illum imitandum.*

Imitandum dico amando atque eligendo paupertatem, atque amando opprobria et amplectendo profundissimam humilitatem, fugiendo plenissime divitias, honores, atque omnem superbiæ speciem, et hæc omnia ut fiam vas electionis ad salvandas *animas* per zelum indefessum atque nullis impedimentis frangendum in munere apostolico.

Sic juvat petere, siquidem socius Jesu hanc meditationem peragit ut supponitur, proxime enim in usum sociorum scriptus hic est libellus, destinatusque. Ut itaque statui jam electo conveniat magis meditationum fructus, illuc videlicet referendus est, non tam ut statum eligamus, verum ut in statu jam electo, perfectum eligamus atque sectemur. Hæc autem cum ea sit Meditatio in qua S. Pater *ideam* de Societate fundanda divinitus acceperat—hanc itaque et

ego qui huic Societati jam adscriptus sum, maxima diligentia peragam; ab hac enim probe in animum assumpta imprimis pendet, qualis *ego Ipse* juxta Divinæ Providentiæ decreta in hac Societate esse debeam, ut *salvus* fiam, et salvem *animas* ut bonus miles Christi.

PUNCTUM I.

"*Punctum primum est, imaginari ac si sederet* (*sedere viderem*). CAPUT *omnium inimicorum* (*dæmonum*) *in magno illo campo Babyloniæ, velut in magna quadam cathedra ignis et fumi, in figura horrenda atque terribili.*"

Habeo hic omnia, quæ diabolum et regnum ejus ad vivum depingunt. Babylonia est locus suæ residentiæ, quæ vox interpretatur: *Confusio.* Cathedra significat superbiam; ignis, commotionem absque pace,—fumus, tenebras et illusionem; ipse autem horrorem atque terrorem inspirans. Talis est dæmon, tale est regnum ejus; et tamen licet nihil terribilius, horribiliusque vel cogitatione fingi potest, tamen cum *alium* se fingit, ecce totus ferme mundus fraudibus ejus deceptus post ipsum abit, eique servit, et ducem sequitur ad peccatum, et infernum! Hæc attente considerabo, ut horrore replear et caveam a duce tam horribili et misero.

"*Secundum, considerare quomodo convocationem facit innumerabilium dæmonum, et quomodo illos spargit, hos in hanc civitatem* (*mittens*) *et illos in aliam; atque ita per universum mundum, nullas omittendo provincias,* (*nulla*) *loca,* (*nullos status*), *seu nullas conditiones hominum, nec personas ullas in particulari.*"

Consideranda hæc sunt atque zelus iniquitatis admirandus simul et detestandus! Considerabo in specie quomodo etiam in locum ubi nunc sum, ad *hoc* cubiculum, aut sacellum, verbo in locum in quo hæc lego et meditor caput dæmonum Lucifer satellites suos tartareos misit, qui curent, ut distractionibus aliisque tentationum adminiculis impediant, ne fructum capiam, ex *hac* ipsa meditatione! — Verum abhorrebo illos et exurgam statim ad debellandos illos, fugando atque supprimendo in primo instanti omnes malas suggestiones illorum, omnemque teporem animi, resistendo nunc et alias semper primis tentationum initiis, per contrarios virtutum actus; hoc enim quam maxime illos terret; quanto remissius agam, tanto audaciores erunt in me — quanto virilius militabo, tanto citius fugient. Bone Deus si oculos animæ meæ aperire liceret, atque videre vagantes et cursitantes per totum orbem has dæmonum larvas et Luciferi innumerabiles emissarios!—

"*Tertium, considerare concionem quam ad illos habet, et quomodo eos admonet* (*suadet*) *ad injicienda* (*hominibus*) *retia et catenas, ut prim-*

tentare (*eos*) *debeant cupiditate divitiarum, prout solet* (*ipse facere*) *ut in pluribus, quo facilius perveniant ad vanum honorem mundi, et inde ad magnam superbiam.*" Vult nempe tartareus inimicus ut superbia inflati homines nec Ecclesiæ obediant, nec Christo divinisque præceptis, sed vivant secundum desideria cordis aversi a Deo, atque conversi ad creaturas et harum in tempore delicias. Tres itaque præcipui sunt tentationum gradus quibus illaqueantur homines dæmonum fraudibus "*ita, ut primus gradus sit* DIVITIARUM: *secundus* HONORIS: *tertius* SUPERBIÆ: *et ex istis tribus gradibus inducit* (*Lucifer*) *ad omnia reliqua vitia.*"

Meum ergo est cavere ab hoc triplici seductionis fune, nisi a diabolo mancipari volo, et sub ejus vexillo perire ;— meum dico est contrariis virtutum actibus, me contra insidias diaboli munire, renuntiando ex corde et efficaciter cupiditati divitiarum et voluptatum, fugiendo honoris excellentiam, exspoliando me omni superbia ac humiliando quantum possum.

Quæram itaque ex me: num amem divites propter divitias? num consolationes sensuales et carnis illecebras? num cupiam honores? num glorier libenter? Væ si *amor proprius*, propriaque excellentia esset nervus atque motivum princeps actionum atque desideriorum meorum! — Ex parte Luciferi essem! – Sed adhuc tempus est, adhuc transire possum ad castra Christi.

Renovabo fœdus Baptismatis, et Vota religiosa atque ex toto corde *renuntio* Satanæ et omnibus operibus ejus, cum proposito firmo, hæc etiam in aliis destruendi quantum potero, eique animas eripiendi, ne pereant hisce perversis inclinationibus atque tentationibus et laqueis irretiti.

PUNCTUM II.

"*Similiter nunc ex opposito imaginandum est de summo et vero* DUCE, *qui est Christus Dominus noster.*"

"*Primum punctum est, considerare quomodo Christus Dominus noster se sistit in magno campo illius regionis Hierusalem in loco humili speciosus et amabilis.*"

Imaginabor mihi itaque quasi oculis viderem Jesum speciosissimum præ filiis hominum (a) — quomodo ex ejus vultu splendor divinæ Bonitatis et Majestatis simul effulgeat, et quomodo in me oculos suos conjiciat. In regione Jerusalem consistit, quæ interpretatur urbs pacis. In loco humili, qui innuit humilitatem, indicando mihi per has circumstantias, quomodo *pax* animi et cor *humile* mihi necessaria sint, siquidem Eum sequi et pro eo laborare cupiam, — ad reducendas ei animas!

"*Secundum, considerare quomodo universi mundi Dominus, eligit tam multas personas, Apostolos, Discipulos etc. et eos mittit per univer*

sum mundum spargendo sacram suam doctrinam per omnes status, et conditiones personarum."

Gaudeo utique magno animi jubilo me quoque inter hos esse delegatos Christi; sed – et conabor pro viribus ut officio hoc meo plene atque plenissime fungar, ne suo zelo me vincant emissarii diaboli, et minus solicitus, fervens atque indefessus et strenuus inveniar pro Christo legatione fungens pro anima et animarum salute: quam isti pro diabolo laborant in Dei contumeliam et animarum perditionem. Memento quæso socie Jesu fervoris apostolici, Apostolorum Christi et tot aliorum sanctorum verbi Dei præconum, et per orbem universum Missionariorum; – memento fervoris S. Francisci Xaverii, S. Francisci Regis S. Francisci de Hieronymo, atque innumerabilium filiorum S. Patris Ignatii qui merito ab igne hujus zeli tulit hoc Nomen, suosque mittere in Nomine Jesu atque pro Jesu solebat his verbis: "*Ite, atque incendite mundum*" — videlicet igne, quem Christus de cœlis tulit, igne divini amoris, quem in cordibus omnium accendi voluit (b) — ad laudem Dei, et ad salvandas animas! – Hic spiritus Societatis; hunc zelum totum ejus spirat Institutum.

"*Tertium, considerare concionem, quam Christus Dominus noster habet ad omnes suos servos et amicos, quos ad talem expeditionem mittit, commendando illis, ut omnes velint (studeant) adjuvare, adducendo illos primum ad summam paupertatem spiritualem, et, si suæ divinæ Majestati placuerit, et (ad hoc) eos eligere voluerit, non minus (etiam) ad paupertatem actualem; secundo, ad desiderium opprobriorum et contemptuum, quia ex his duabus rebus (paupertate et contemptu) sequitur humilitas: — ita ut sint tres gradus: primus* PAUPERTAS *contra divitias; secundus,* OPPROBRIUM *vel contemptus contra honorem mundanum; tertius,* HUMILITAS *contra superbiam et ex his tribus gradibus inducant (homines) ad omnes reliquas virtutes.*"

Has itaque virtutes ut mihi comparem totum pectus extendam necesse est, affectu cordis et effectu operis atque exercitio continuo eas amplectendo. Quod ut sine mora faciam, Christus invitat, et Sanctorum exempla ostendunt, et salus animæ urget et clamat

Ut autem libenti quoque animo amplectar arduum virtutum harum exercitium oculos primum figam in Christum ipsum, considerando *quis* sit qui me vocat, *quid* a me exigat perpendam, et *quid* promittat. Qui me vocat Deus et Salvator est Sanctissimus, Beneficentissimus, Amabilissimus. Profecto etsi difficilia sint, quæ a me exigit, nullumque aliud lucrum esset; pugnandum tamen mihi esset pro illo, propter *Ipsum* ejusque beneplacitum. Meretur id Christus; meretur thesaurus virtutum et merces promissa magna nimis, certissima et sempiterna. Terret contra damnum sempiternum. Non utique per se allicit paupertas, sed dura est; durum opprobrium; dura abjectio. At, quid dum oculos sursum elevo

et perpendo, quæ merces eisdem maneat, numquid non in summis votis mihi hæc ipsa esse debebunt. Pro modica enim paupertate possidebo divitias cœli in æternum; pro modico opprobrio erit mihi honor, laus et jubilatio sempiterna; pro modica abjectione, exaltatio inter choros angelorum, thriumphus, corona, atque imperium cum Christo sempiternum!

E contra divitiæ illæ omnes quas mundus et diabolus promittit, quamvis ut plurimum dare nec valet, nec vult; ecce nonne *pulvis* sunt et in pulverem mecum brevi revertentur? Et quid si paupertatem specto, egestatem, nuditatem, damnatorum?! et damnandus utique sum si divitiis cor affigo (c).

Et quid honor ille mundi? nonne *fumus* est vanitatis, qui mox ut comparuit, evanescit, et sæpe in opprobrium plane convertitur; et quid dein si opprobrium plane specto sempiternæ reprobationis, quæ et quanta confusio me operiet, quando clamare deberem coram mundo universo: montes cadite super me — colles operite me (d).

Et quid tandem superbia illa mundi in hac miseriarum valle, nonne *stultitia* summa est. Quid enim mihi veræ dignitatis accrescere poterit, si ab hominibus magnifio, qui pulvis sunt, et mox in pulverem revertentur? Superbiam fors ego, qui ex nihilo sum, et præter peccata nihil habeo, quod non acceperim, et quod non in hoc ipso momento Deus a me auferre potest. Et quid tunc plane si abjectionem considero, quæ me maneret in profundo miseriæ atque contumeliæ conjectum, in humiliationis abysso cum dæmonibus atque sceleratis omnibus, in carcere sempiterno damnatorum? (e).

Accedunt quæ de peccati effectibus tristibus nimis, in prima hebdomada meditatus sum, de effectibus dico quibus cor hominis peccatoris etiam his jam in terris affligitur, et vulneratur. Contra Christus Salvator etiam in terris jam centuplum (f) beatæ sortis promittit, per jucunditatem virtutis et per unionem atque consolationem et pacem, quam confert status gratiæ homini, qui *Ei* servit, cui servire regnare est.

Necesse ergo omnino est ut serio eligam, quod eligendum ratio suadet, fides imperat, salus exigit, ad quod tua gratia Domine me tam vehementer movet. Non ergo est quod differam et dubius quasi hæream. "*Regnum cœlorum vim patitur.*" "*Militia vita hominis super terram.*" "*Qui mecum non est* ait Christus *contra me est — et qui mecum non colligit — spargit*" (g). Absit hoc a me Domine; sequar te quam proxime, et colligam tecum quantum valebo faciamque ut alii quoque tecum sint et salvi fiant. Quidni permittam fors ut solertius satellites inimici laborent in animarum perniciem, quam ego in illarum salutem — absit! Pretiosissimæ enim sunt, quia Dei imago, quia pretio mortis et sanguinis tui redemptæ, quia immortales et ideo vel aliquando in æternum beandæ, vel in æternum damnandæ. Quare toto cordis affectu jam ad te clamo

Domine: "*Ecce mitte me*" (h). Fugiam divitias, honores, omnemque superbiam vitæ, et sequar te cum tua gratia in amore paupertatis, contumeliæ, et in spiritu veræ humilitatis; sic enim tantum me recipies in opus ministerii apostolici, mihique benedices.

COLLOQUIUM *faciam ad Dominam nostram, ut mihi obtineat gratiam a filio et Domino suo; ut ego recipiar sub ejus Vexillum: et primum quidem*, ut tu Domina mea clementissima "*in summa paupertate spirituali, et si divinæ suæ Majestati placuerit, et me* (*ad hoc*) *eligere ac recipere voluerit, non minus* (*etiam*) *in paupertate actuali*", ut tu Virgo pauperrima "*Secundo, in tollerandis opprobriis et injuriis*", ut tu Virgo afflictissima "*ad magis in illis eum imitandum, dummodo possim eas tolerare absque ullo peccato, et* (*absque*) *disgustu suæ divinæ Majestatis;* et fiam sic humillimus in forma humilitatis tuæ o purissima atque humillima Virgo et Mater. O clemens, o pia, et piissima Virgo, monstra te esse *Matrem* in hoc summo negotio salutis ac vocationis meæ. Per amorem te rogo, qua amas animas Regina Apostolorum! anima in me ignem hunc zeli apostolici. — Ave Maria.

"*Petere eadem a Filio, ut mihi obtineat à Patre.*"

Tuus sum ego, o Jesu, Salvator mi; accipe me Domine. Ecce Mater tua me ducit ad te. Ecce me servum tuum, et filium ancillæ et matris tuæ (i). Sim servus tuus ac miles, utere me pro beneplacito tuo; et da quæso Domine, da animam salvare et da mihi *animas!* ut eripiam eas per gratiam tuam a laqueis divitiarum, deliciarum, vanæ gloriæ, atque superbiæ vitæ. Da animas — animas! ita ad te clamo cum servo tuo S. Francisco Xaverio. Pro stipendio sufficit mihi divinum tuum beneplacitum, cum gratia tua et amore; de cætero fac mecum sicut vis et scis, modo totus sim tuus et tibi conjunctus aliquando in perpetua requie et pace. Hic vero Domine sim in labore, in egestate et tribulatione, in opprobriis et confusione, ut in spiritu humilitatis fiam instrumentum ad magna et maxima, quo utaris ad amplificandum regnum tuum super terram, et sempiternam *majorem* tui Nominis gloriam. — Da quæso in hoc ipso desiderio atque proposito fidelitatem; da vires, da gratiam, et dein da pugnas et da perseverantiam; ut incipiam viriliter et perficiam heroice, omnino prout desideras et optas a me Domine.

Exaudi quæso o piissime ac misericordissime Jesu, exaudi has preces meas, et illas tuis precibus ac meritis conjungendo offer quæso ex corde tuo æterno Patri. Ne despicias opus manuum tuarum, per illam misericordiam id a te flagito per quam Pater te misit in hunc mundum, ut *salves* illum; per amorem illum, quo homo factus es, id a te flagito, et per quem in cruce *animam* posuisti ut salves *animas*. Per dulcissimum cor tuum in ara crucis apertum, per omnia suspiria, quæ in vita traxisti,

per omnes gressus et actus tuos, quos unice in hunc finem posuisti in terris, ut destrueres regnum inimici et ejus opera (k), et regnum Dei induceres, quæso Salvator mi, recipe me ad opus ministerii tui, et gratiam uberem mihi in hunc finem clementissime impertire: "*Anima Christi.*" —

"*Petere eadem a Patre, ut ipse ea mihi concedat.*"

Tu vero Pater cœlestis, qui Filium tuum unigenitum in hunc mundum misisti, ut nemo pereat sed ut omnes salvi fiant, et qui quos elegisti ad præmium, conformes fieri voluisti Filio tuo pro animarum salute hic pauperrimo, contumeliis afflicto, passo et crucifixo: da mihi quæso per omnes gradus humilitatis atque humiliationis conformem fieri ejus sanctissimo exemplo. Non parcas Pater, sed emenda ac perfice quem diligis, ut serviam tibi in opere ad quod perficiendum misisti Filium tuum in mundum. Ita per eum precor, qui juramento interposito asseverabat omnibus in Nomine suo petentibus: "*quidquid petieritis Patrem in Nomine meo dabit vobis* (l). Non oro divitias — non honores — non mundi gloriam, sed potius his contraria, et hoc *unicum* ut sequar vestigia Christi tui, ut me ipsum salvem, et salvem animas — animas ad majorem Tui ipsius Gloriam, o Pater Deus et Creator! Dicam in hunc finem plenus fide verbis, quibus nos orare docuit Filius tuus: Pater noster.

"Hoc Exercitium fiet media nocte, et dein iterum summo mane; et fient duæ repetitiones ejusdem ad horam Missæ et ad horam vesperarum, semper finiendo cum tribus Colloquiis supradictis ad Dominam nostram, ad Filium et ad Patrem: et illud (Exercitium) de Binariis (Classibus hominum) quod sequitur (fiet) hora ante cœnam."

---

a) *Ps.* 114, 3. — *b*) *Lucc.* 12, 49. — *c*) *Matth.* 13, 22. — *d*) *Lucc.* 23, 30. — *e*) *Jsaias* 14, 11. — *f*) *Matth.* 19, 29. — *g*) *Matth.* 11, 12; *Job* 7, 1; *Matth.* 12, 30. — *h*) *Jsaias* 6, 8. — *i*) *Ps.* 115, 16. — *k*) *Hebr.* 2, 14; 1. *Joann.* 3, 8. — *l*) *Joann.* 16, 23.

CONTEMPLATIO.

DE TRIBUS BINARIIS SEU CLASSIBUS HOMINUM UT AMPLECTAMUR OPTIMUM.

Oratio Præparatoria solita.

Præambulum I *est historia, quæ est de tribus Binariis* (*Classibus*) *hominum, et unaquæque earum* (*Classium*) *acquisivit decem millia ducatorum, non pure ac debite* (*unice*) *propter amorem Dei et volunt omnes se salvare, et invenire in pace Deum Dominum nostrum, tollendo a se pondus et impedimentum, quod in affectione rei acquisitæ habent* (*quominus*) *ad hoc* (*i. e. ad salutem et ad Deum in pace inveniendum*) *perveniant.*

Tu quidem Socie Jesu, de ejusmodi auri summa non occuparis, verum quod æquivalet, aut etiam quod prævalet, affectionem videlicet quamdemumcunque inordinatam, seu quod idem est rei inordinatæ retines cui affectioni adhæsionique nisi renuntiare velis, non habebit anima tua pacem ad Dominum, et cui fors renuntiare plane debes, si salvari vis, et venire cum pace ad Dominum tuum.

Præambulum II *compositio, videndo locum. Erit hic, videre me ipsum quomodo sto coram Domino Deo nostro, et omnibus ejus Sanctis,* (*eo animo*) *ut desiderem et cognoscam id quod gratius sit divinæ suæ Bonitati.* —

Locus ipse in quo es, sit terra illa sancta, in qua exuas calceamenta terrenarum affectionum, et te in conspectum Dei ponas atque Sanctorum ejus, ut sic probe perpendas, quis tamen Ille sit, propter quem omnibus aliis rebus renunties, quæ tibi impedimento esse possint in Ejus servitio; et quid *Sancti* ante te propter Deum egerint, agantque, quorum exemplo inciteris. —

Præambulum III, — petere id quod volo. Hic erit, postulare gratiam ad *eligendum* id quod magis sit ad gloriam divinæ suæ Majestatis, et salutem animæ meæ; atque ad volendum hoc ipsum non cum mera quadam veleitate, sed efficaciter prout decet et necesse est, ut res in effectum deducatur.

PUNCTUM I.

"*Primus Binarius* (*prima Classis*) *vellet tollere* (*excutere*) *affectum, quem habet erga rem acquisitam, ut inveniret in pace Deum Dominum nostrum, et salvare se sciret* (*posset*), *et non ponit media usque ad horam mortis.*" —

Ponitur hic et in sequentibus punctis binarius probabilius ideo, quo sic electionis ratio diversitasque magis in oculos incurrat; quatenus unus ex duobus a prima classe eligentium ad secundam, ab hac ad tertiam perveniat sequendo gratiæ ductum; dum alter inhærendo affectui inordinate in statu misero suo hæreat. Sic in Evangelio ubi de electione ad vitam sermo est etiam *binaria* classis hominum a Christo ponitur, quo electionis ratio diversitasque clarius in oculos incurrat. Videlicet: *tunc duo erunt in agro; unus assummetur, et unus relinquetur. Duæ molentes in mola; una assummetur, et una relinquetur* (*a*); ubi ob dictum finem etiam *duo* et quidem ejusdem sexus sibi opponuntur.

Examinabo itaque affectus meos inordinatos; quinam sint? num, et quæ media adhibeam, ut illos corrigam aut tollam. Quodsi præ nimia tepiditate nulla media adhibeo et necque ad inordinatos affectus *cognoscendos* solertiam adhibeo, ad hanc primam Classem pertineo. Christum revera non sequor; et si affectus meus graviter inordinatus est, non in via salutis, sed perditionis sum. O stultitia atque segnities cordis humani. "*Vult et non vult*" (b). Vide quomodo in periculo incendii statim media quævis adhibentur, qua solertia, quo studio, quo labore, qua constantia, ad servandas regulas quasdam et haliones: et ecce animæ non succurritur in periculo ignis, et incendii sempiterni. Morbi corporis exquisitissimis mediis tanta cum solertia curantur, membra ipsa amputantur: et ubi agitur de morbis animi, de morte sempiterna, de amittenda beatitudine cœlesti, divina, æterna, torpescunt corda hominum. O cœcitas magna, et lamentabilis, et tam inexcusabilis! Scit homo, scit *religiosus*, et non ponit media usque ad horam mortis!! Numquid et ego in numero horum persistam? Avertat Deus; examinabo affectus quosvis serio, cum sincera atque sincerissima voluntate cognoscendi earum inordinationem, et media, quibus corrigantur eaque adhibebo omni cum spiritus alacritate atque constantia.

PUNCTUM II.

"*Secundus binarius* (*secunda Classis*) *vult tollere affectum, sed ita vult eum tollere, ut* (*tamen*) *maneat cum re acquisita, ita ut Deus veniat eo quo vult ipse, et non resolvit se ad rem relinquendam, ut ad Deum eat, etiamsi hic status sibi esset optimus.*" —

Est hoc limites gratiæ ponere, ut tantum ad certum gradum et certo modo sequi Dei vocem velimus; non committendo nos perfecte arbitrio et beneplacito divino. Heu, quam periculosa res et aleæ plena! Quis enim scit quem ordinem gratiæ mihi Deus præordinaverit, ut nisi fors fiam eximie sanctus, nec salvus fiam sed peream; et tanto me peri-

culo committam?! Durum erit mihi Domine contra stimulum calcitrare. Scrutabor itaque cor meum, quomodo me geram et habeam ad gratiæ illustrationes et motus:

Num obstacula gratiæ pono? num gubernare me sino ad ea quorsum Deus vult, quæ vult et quomodo vult. — Vellem fieri perfectus, sed hæret adhuc animus illaqueatus desideriis vanis et mundanis, et nondum eis renuntiavi perfecte, omnimode.— Ad hanc itaque secundam Classem pertineo et in statu periculoso versor. Quare iterum iterumque mihi acclamabo atque cordi inscribam axioma hoc: "*Sunt, qui nisi Sancti fiant, damnantur.*" Nescio, num non ego ipse ex hisce sim. Partem tutiorem eligam, et semper beatiorem. Itaque in conspectu ipsius divinæ Majestatis atque totius curiæ cœlestis in hac ipsa meditationis hora oculos in crucifixum meum Salvatorem figendo, renuntio et abrenuntio omnibus, quæ non sunt Deus, ut veniam cum pace ad Deum, et me ipsum in Illo inveniam possideamque.

Audiam spiritu verba tua adhortatoria, o S. Pater Ignati, quibus toties amicum atque discipulum sociumque tuum S. Xaverium adhortatus es; videlicet: Vince te — "VINCE TE." Utique *vincam me* et abrenuntio omnibus omnimode, quæ inordinate diligo ac possideo, quomodo Christus vult, et inveniam Deum meum in pace, et ero ut Sancti et tot genuini Socii Jesu plenus quoque gratia ac meritis.

PUNCTUM III.

"*Tertius binarius* (*tertia Classis*) *vult tollere affectum, sed ita illum vult tollere, ut etiam non teneatur affectione ad rem acquisitam retinendam, vel non retinendam: sed vult solum velle illam, vel nolle, prout Deus Dominus noster ipsi dabit velle, et* (*prout*) *personæ tali melius videbitur ad servitium et laudem divinæ suæ Majestatis: et interea vult reputare* (*ita existimare*) *quod omnia relinquat in affectu, vires intendendo, ut necque illam rem, necque ullam aliam velit, nisi ipsum moverit solum servitium Dei Domini nostri, ita ut desiderium, ut melius possit servire Deo Domino nostro, illum moveat ad rem sumendam vel relinquendam.*" —

Et hic est status ad quem elevare animum debeo, ad quem contendam in omnibus, et in quo fundari studeam per omnia. Est hæc conditio princeps, ut sub vexillo Christi ut verus probusque et fidus miles militari incipiam, persistam et proficiam. Conditio est essentialis, ut nempe *sola* voluntas Dei et *majus* ejus servitium, et *major* animæ meæ ac animarum salus omnes cogitationes meas, desideria et actus dirigat, non vero amor rerum, non cupiditas, non affectus ullus terrenus. Hoc

est velle tantum, quod Deus vult; hoc vere est Christi esse et illum sequi; non *præcurrere* non *retardare*. Et quid quæso melius facere possum, quam Dei voluntati me penitus committere. Ad hoc itaque æquilibrium electionis componam animum cum propensione ad ea, quæ magis ad Christi imitationem me inclinant, videlicet: paupertatem, contemptum, abjectionem, humiliationem. Profecto, modo hæ virtutes animo meo insint et contraria his vitia ex illo eradicata, sponte sua ero totus in manibus Dei cum omnibus, quæ sum et habeo. Quod ut in me perficiatur, qui ex me non valeo ad quidquam, faciam iterum Colloquia suppliciter ad Dei Matrem, ad Filium et Patrem.

COLLOQUIUM ad benedictam Dei Matrem. O Domina et Mater mea, Mater Christi, quæ nullum aliud verbum in corde et ore habuisti quam illud: "*fiat mihi secundum verbum tuum*"; per viscera misericordiæ tuæ maternæ te oro, impetra mihi hanc a Filio gratiam, ut sine ulla tergiversatione illum per omnia et in omnibus sequar, nullaque alia re afficiar, quam ejus beneplacito, nec aliud verbum in corde et ore habeam quam illud: fiat mihi, o Jesu, secundum verbum tuum. Hoc, o Maria, ut mihi impetres cum ingenti suspirio animæ a te flagito: Ave Maria.

Postulabo eandem gratiam a Filio, cujus hæc erat semper oratio, etiam summis in angustiis: "*Verumtamen non mea sed tua voluntas fiat.*" Ecce quam pulchre hoc: "*fiat*" responsum Virginis ad angelum incipiat, Christi vero precationem ad Patrem claudat. Sit hæc efficax et plena in beneplacitum Dei voluntatis quoque meæ conformatio, initium et finis omnium votorum meorum et operum absque ulla affectione vitiatæ meæ voluntatis propriæ. Per agoniæ istius labores, o Jesu, quos tunc pertulisti, quando verbum illud protulisti, renuntiando omni affectui naturali ad vitam ipsam, rogo Te, qui Patris voluntatem unice executus es: inclina cor et voluntatem meam ad hunc perfectæ conformitatis cum divina voluntate statum, ut huic conformiter eligam semper optimum, nempe non quod ego vellem, sed quod vult Deus. — Anima Christi. —

O Pater cœlestis cujus voluntas sanctissima, voluntas Filii est et Spiritus Sancti, et in cujus potestate corda sunt omnia, compelle quæso, compelle omnipotentia gratiæ tuæ meam toties rebellem adversus tuum beneplacitum voluntatem; ut in posterum jam non aliud habeat velle, quam tuum, ad cujus nutum, agam, relinquam, destruam, plantem sine respectu ad affectum mere humanum, sed totus sim tuus in perfecta imitatione Christi Filii tui. — Pater noster.

"*Notandum est quod quando nos sentimus affectum vel repugnantiam contra paupertatem actualem, quando non sumus indifferentes ad paupertatem vel divitias, multum juvat ad exstinguendum talem affectum inordinatum, petere in colloquiis etiamsi sit contra carnis sensum, ut Dominus ipsum eligat ad paupertatem actualem, et (protestari) se (id) velle, petere, et supplicare, dummodo sit servitium, et laus divinæ ejus Bonitatis.*" —

Ponit autem hic et in Contemplatione de Vexillis S. Pater semper *paupertatem;* quoniam reapse in hoc sensu et affectione comparet ingens discrimen spiritus mundi et spiritus Christi. Qui enim mundum amant et sequuntur, volunt habere et possidere in hac terra; contra qui spiritu Christi aguntur exuentes se hoc possidendi desiderio, quærunt quæ sursum sunt. Habeo hic etiam rationem et admonitionem quare Societas cui adscriptus sum, paupertatem tam sancte colat, et a me quoque coli servarique velit. Non potero sat cautus esse ne hic spiritus evangelicæ paupertatis in me enervetur, ex quo reliquæ virtutes vitæ apostolicæ exsurgunt, sine quo vero subsistere nequeunt.

---

a) *Matth.* 24, 40—41. *b*) 1. *Proverb.* 13, 4.

CONTEMPLATIO.

DE PROFECTIONE CHRISTI DOMINI NOSTRI A NAZARETH AD FLUMEN JORDANEM ET QUOMODO FUIT BAPTIZATUS.

Oratio Præparatoria consueta (a).

Præludium I. — Memoria historiæ hujus Baptismi (a).

Præludium II. — Constructo loci. Erit videre flumen Jordanem, et ubi obviam venit S. Joannes præcursor et salutabat Christum Filium Dei. Exhibent mysteria quæ sequentur modo mirabiliter ordinato formam virtutum vitæ apostolicæ, quæ cum sit forma vocationis nostræ magna cum assiduitate et solertia erunt expendenda; vide Socie Jesu et fac secundum exemplum quod datur tibi.

---

*) *Offer hic et in omnibus sequentibus Mysteriis Vitæ Christi in oratione hac præparatoria, omnia Deo in unione cum meritis, quæ Christus in ipso illo actu promeritus est. Atque in Præludio III semper per hæc ipsa merita Salvatoris valde convenienter fructus meditationis a Deo petitur.* —

PRÆLUDIUM III. — Erit petere gratiam quam volo. Hic erit petere virtutes, quas Christus suo exemplo in hoc mysterio vitæ suæ, quando nempe Apostolatus munus *auspicatus* est, suos in hoc munere ministros docuit. Petam nempe a Domine cor liberum ab omni affectu carnis, cor purum a sæculi desideriis, ut conjungatur unctione Spiritus Deo.

PUNCTUM I.

"Primo, Christus Dominus noster, vale dicto benedictæ Matri suæ, venit a Nazareth ad flumen Jordanem, ubi erat S. Joannes Baptista.

Matri itaque Christus Dominus valedicit, ut Patris adimpleret voluntatem, dum ad munus Apostolicum jam sese præcingeret.

Matri valedicit sanctissimæ, ut Patri cœlesti obsecundaret perfectissime. Quale exemplum perfectæ abnegationis sæculi, præsertim carnis et sanguinis atque inordinatæ affectionis ad consangineos et propinquos, pro omnibus iis, qui Christum sequuntur et munus apostolicum auspicantur! Ita, renuntiandum est curis terrenis, etiam consortio matris sanctæ aut patris, sororum et fratrum. Nemo enim ait Apostolus serviens Deo, *sæcularibus se implicet negotiis* (*b*). Quamdiu familiaritas sæcularis cum propinquis et notis manet, impossibile est, ut non ejusmodi tyro vitæ apostolicæ implicitus sæculi desideriis aut negotiis et curis hæreat. — Charitatis rite ordinatæ vinculo, utique quod bonum præsertim animæ attinet, diligendi sunt propinqui, at de cætero renuntiandum est omni cum eisdem sæculari familiaritati, si strenui ac inimpediti milites Christi esse cupimus ministerio apostolicæ vitæ adscripti. Et non tantum propinquorum consuetudini sæculari renuntiandum, sed quidquid sæculum redolet ac sæcularium *familiaritates*. Ad Jordanem enim se contulit Christus, ad Joannem prædicatorem pœnitentiæ in deserto. Utique, nisi quis penitus se a laqueis desideriorum sæculi extricet, non poterit alios de mundo et sæculi periculis rete apostolico ad pœnitentiam, et sic demum ad Christum trahere.

Num liber sum ab ejusmodi cura propinquorum magis carnali et terrena? et num revera liber sum, a sæculi spiritu, qui vanæ gloriæ inhiat æstimationem quærit inter homines, commoditates vitæ, munera splendida? Num compedes sæculi adhuc captivum aut multis impedimentis irretitum me tenent, qui tamen pro vocatione mea religiosa, omnibus, quæ mundi sunt, jam penitus renuntiavi; et qui votorum sacratissimorum vinculo soli Deo vivere tam stricte obligor imitando quam perfectissime Christum! Examinabo serio totius vitæ meæ rationem; reflectam ad passionem meam dominantem; inquiram remedia; disrumpam vincula.

PUNCTUM II.

"*Secundo, S. Joannes baptizavit Christum Dominum nostrum, et volenti illi excusare se, reputando se indignum qui ipsum baptizaret, dicit Christus: Sine modo: sic enim decet nos implere omnem justitiam.*"

Baptizatur Jesus! o stupendum humilitatis exemplum. Ecce Dominus, cujus Nomine populi omnes baptizantur, submittit se Joanni baptizanti—baptizanti homines, quos initiabat ad pœnitentiam, ut præparent corda adventanti Messiæ. Ecce quomodo Christus suam dignitatem, quodammodo abscondit et abnegat, ut ostentationis vitium a corde nostro tollat, et observa certamen humilitatis. Excusat se Joannes primo attonitus dicens: "*Ego debeo a te baptizari et tu venis ad me?!*" Compulsus tamen verbis Christi: "*Sine modo, sic enim decet nos implere omnem justitiam*" cedit — vicitque humilitas Salvatoris ad nostram institutionem, docendo suos in munere apostolico successores, — *humilitatem.* Hæc enim prout juxta doctrinam S S. Patrum omnis virtutis fundamentum constituit, sic quoque omnem justitiam implet, i. e. implere facit et adjuvat, præsertim in viris apostolicis. Ubi enim humilitas desinit, ibi superbia incipit, a qua gratia fugit, sine qua nihil, cum qua vero omnia possumus, ut monet Gentium Apostolus (c). Merito itaque S. Augustinus, quærenti quid sit virtus, respondit: humilitas; et si secundo quæsieris et tertio, respondet: humilitas, humilitas. Quanto autem magis adhuc humilitatis sinceræ fundamentum et quam copiosissima mensura atque profunditas in illis requiritur, qui pro vocotione sua ad ministerium sacrum multiformis gratiæ debent esse dispensatores; "*Resistit* enim superbis Deus et *humilibus dat gratiam*" ut monet Petrus Princeps Apostolorum (d); quam necessarium dico solidum humilitatis fundamentum in illis est, quorum virtus non tantum propriam perfectionem sed etiam aliorum sustentare debet, qui collaborant in opere promovendæ divinæ gloriæ, per regni Dei exaltationem in terris, quam gloriam Deus, non dat alteri (e). Ut itaque fidelis quis inveniatur operarius in regno Dei humilis valde sit oportet, alias fur erit, et gloriam Domini sibi arripiet, et ideo Dominus illo non utetur, subtrahendo eidem gratias, vires, et occasiones promovendi Ejus gloriam; et licet occasiones quasdam ad id nanciscatur, vana gloria, æmulatio turpis, contentio, et complacentia vana, omne ab operibus suis tollet meritum.

Hoc ne mihi contingat et crescam in ministerio et nequaquam arescam, humiliem me necesse est quantum possum, et tunc baptismo gratiarum inundabor et superinundabor. Sit mihi virtus hæc primaria, memor effati S. Bernardi: omnes virtutes absque humilitate non salvabunt te — rues in fine. Est hæc virtus quasi *nota* prædestinationis ad vitam; contra

vero superbia atque invidia *nota* reprobationis. In his frequenter et quotidie mente versabor et in actibus humiliationis sedulo me jam exercebo, donec robustus ac fortis evadam per hanc virtutem verus Socius Jesu, qui mihi acclamat: "*Disce a me quoniam humilis sum corde*" (f). Non potero esse vir apostolicus, non Socius Jesu humilis atque humiliati, nisi sim humilis et quidem ex corde humilis, non affectione tantum sed *corde*, non verbis tantum, sed et re et veritate humilis, ut reapse, nulla tamen ad id data per me occasione, gaudeam ab hominibus contemni, et haberi novissimus et ultimus in domo Domini a sociis et confratribus; a mundi sectatoribus vero spectari ut *peripsema*, quemadmodum Apostolus, de se et in munere suo apostolico commilitonibus contestatur (g); ut peripsema dico quod pedibus calcatur et foras ejicitur.

Nobis profecto e Societate Jesu viris, speciali ratione verba Apostoli dicta existimemus: "*Hoc enim sentite in vobis quod et in Christo Jesu, qui cum in forma Dei esset exinanivit semetipsum*" (h). In quademumcunque enim forma itaque sim, donis naturæ et gratiæ auctus, per veram exinanitionem humiliationis formam servi assumam necesse est, ut socius evadam Jesu, legatione pro eo fungens ad salutem aliorum. Humiliationis formam dico, qua inveniar vere humilis. Est enim *humiliatio* humilitatis comprobatio. Humiliabo me itaque libenter plene, atque in omnibus, sub potenti manu Dei, et exaltabit me in die visitationis gratia sua Dominus (i).

PUNCTUM III.

"*Tertio, descendit Spiritus Sanctus super eum, et vox Patris de cælo, attestans: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.*"

Tertia his verbis innuitur virtus præparatoria ad vitam apostolicam auspicandam; sed non tantum auspicandam, verum et cum benedictione et fructu centuplo producendam, et hoc perseveranter.

Est hæc *conjunctio* cum Deo magna per exercitium orationis tale ut Spiritus Sanctus non tantum descendat in cor, sed *maneat*. Fructus hic obtinetur per exercitium meditationis frequenter atque perfecte institutæ. Hæc enim *unio* orationis animam Deo unit atque conjungit, ut ita dicam in *fundo* sui Esse; maxime si aliquo modo contemplationis altius genus ingreditur, illamque unctione Spiritus delibutam et in se collectam Deoque unitam relinquit, etiam dum ex oratione egreditur medio inter occupationes et turbas hominum; manet tunc anima amore Deo ut centro omnium desideriorum suorum conjuncta, cujus præsentiæ se ut dixi in intimo suo Esse unitam sentit, ita ut semper quoque maneat in habituali oratione, et dispositione simul ad actualem orationem.

Quodsi conjunctio hæc cum Deo anachoretis necessaria est, ut cum fervore et fructu se in vitæ asceticæ studio exerceant, haud minus, immo magis adhuc viris apostolicis necessaria est, propter dissipationes externas muneri suo adnexas, et propter operis et ministerii quod pertractant divinam indolem. "*Divinorum enim divinissimum* ut monet S. Dionysius, *cooperari Deo in salutem animarum.*"

Tandem nisi quis Deo valde conjunctus sit, nunquam cum unctione Spiritus Sancti loquetur, qua fit, ut verba non tantum auditum percellant, sed cor quoque tangant, ut in animum penetrent; nec in se habebit puteum aquarum sacræ eloquentiæ et doctrinæ, sed ad instar canalis erit, qui aliorum ferme cogitata dictaque referat, et ideo in continuo versatur periculo, ne fons institutionum et eloquentiæ sacræ tam necessaria in omni genere functionum apostolicarum, in ipso exsiccetur.

Quam probe id intellexerunt Apostoli eligentes diaconos in quos partem transferrent solicitudinis ministerii externi, ut ipsi protractius orationi insisterent (Act. 6, 4). *Instanter* itaque et ego quoque insistam orationi, donec ad familiaritatem et conjunctionem intimam cum Deo perveniam, qui status reflexica quædam imago unionis istius est, qua humanitas Christi Divinitati juncta est, sicque etsi non natura, gratiæ tamen unione Filius Dei effectus, ad me quoque verba Patris de cœlis dirigantur: "*hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui,—hunc audite.*" Ita plane, quemadmodum Filius Dei hypostatice Deo conjunctus Deo dilectus erat propter ejus naturæ dignitatem et merita virtutum: ita nos per orationis et gratiæ vinculum Deo uniti, dilecti ejus filii simus oportet, per virtutis solidæ studium Christo Filio Dei similes effecti, pro quo legatione fungentes, divinæ complacentiæ haud deerunt nobis documenta, sed commitabuntur et nostram apostolicam missionem verba de cœlis: "*hunc audite.*" — Quot e genuinis Societatis Filiis hoc jam in se fuere experti, quemadmodum Vitæ eorum testantur.

Fiant Colloquia ad B. V., ad Christum et Patrem.

Hæc contemplatio fiet semel media nocte, et iterum in aurora et duæ repetitiones super eadem (fient) ad horam Missæ et Vesperarum, et ante cœnam applicantur ad eam quinque sensus. Item notandum de Exercitiis sequentium dierum. Supponit S. Pater, exercitantem jam contraxisse per Exercitia præcedentia majorem in meditando facilitatem, et vult simul, ut per has repetitiones forma virtutum vitæ apostolicæ, plenius cordi nostro imprimatur tenaciusque inhæreat.

---

a) *Matth.* 3, 17. — *b*) 2. *Tim.* 2, 4. — *c*) *Phil.* 4, 13. — *d*) 1. *Pet.* 5, 5. — *e*) *Isaias* 28, 11. — *f*) *Matth.* 11, 20. — *g*) 1. *Cor.* 4, 13. — *h*) *Phil.* 2, 7. — *i*) 1. *Pet.* 5, 6.

CONTEMPLATIO.

QUOMODO CHRISTUS DOMINUS NOSTER IVIT A FLUMINE JORDANE AD DESERTUM, ET QUOMODO FUIT TENTATUS.

ORATIO PRÆPARATORIA.

PRÆLUDIUM I. — Memoria historiæ, quæ habetur (a).

PRÆLUDIUM II. — Constructio loci. Erit repræsentare mihi desertum in quo Christus jejunans versabatur, præparans se ad obeundum munus apostolicum vitæ suæ

PRÆLUDIUM III. — Erit rogare a Domino gratiam, quam volo, nempe spiritum poenitentiæ et robur ad pervincendas *tentationes* quasvis fideliter, feliciterque.

PUNCTUM I.

"*Postquam Baptizatus esset, secessit in desertum, ubi jejunavit quadraginta dies et quadraginta noctes.*"

Contemplabor itaque in deserto Christum, quomodo dies noctesque orationi insistendo Deo Patri animas, sua legatione in æternum salvandas, et in specie omnes sibi in munere apostolico administros futuros Patri suo commendat—nihil comedens nec bibens, sub diu agens, cubansque in summo rigore pœnitentiæ. Capiam exinde fructum. Vita apostolica, vita est, quæ medio inter turbas hominum ducitur, unde etiam spiritus solitudinis et pœnitentiæ, viris apostolicis tamquam sæculo mortuis, tam necessarius, facile exstinquitur. Ut nobis itaque suo exemplo Christus Dominus exercitium harum virtutum impense commendaret, petit desertum, ibique manet solus solissimus dies noctesque orans jejunansque. Imo per apostolicæ vitæ suæ decursum legimus Eum sæpius solitudinem petisse, et orando integras noctes posuisse?—Alioqui per 30 annos in solitudine magna vixit in Domo Nazareth. Jam si Christus Filius Dei, æterna Dei sapientia ita fecerat, quid me facere oportebit? Sane nisi *solitudinis* atque *pœnitentiæ* magno desiderio affectuque tenear, et quantum per vocationis officia licet libenter solus cum Deo verser, et abnegationi studeam, dissipabitur virtus mea et alieni commedent robur meum (a), et cum perversis agendo identidem paulatim perverterer et ego (b) nec potero tentationes multifarias et magnas superare quæ munus apostolicum comitantur, ut mox contemplaturus sum. Examinabo itaque vitam meam. An libenter solitarius sum—in cubiculo? an pœnitentiæ externæ

quoque opera cum fervore perago – et quæ? – Vel contra, num libenter et multum extra cubiculum et domum versor, et externorum familiaritatem quæro et æstimo? An obiturus varia muneris apostolici exercitia rem Domino commendo sacrificiis, precibus, variisque operibus pœnitentiæ. Sic tantummodo benedictio divina illa comitatur, et alios sanctificando et ipse sanctior evadam.

PUNCTUM II.

"*Secundo, tentatus fuit ab inimico tribus vicibus. Accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant: Mitte te deorsum: Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.*"

O stupendus occursus! Diabolus accedit ad Christum — Tentator Satan — inimicus salutis ad Salvatorem. In tentatore quanta perversitas diabolica, nequitia, dolus atque astutia plena invidia, plena odio in Deum et Christum et Sanctos ejus: contra in Christo amor Dei et hominum purissimus et Sanctitatis norma absoluta, quam sed frustra expugnandam aggreditur Satan; potius provocavit sic exemplum Christi quod sequentes et nos superabimus tentationes quasvis.

Attendam ad tria principalia tentationum genera quibus inimicus homines tentare solet, et in specie ministros Christi in munere apostolico.

Prima tentatio est horror *incommoditatis* in animarum cura exantlandæ; et contra studium fruendi vitæ commodis et delectamentis; verbo, tentationes sensualitatis, ut a cœptis resiliamus, nempe ab renuntiatione desideriorum sæculi, ut heri meditatus sum, ut non quæ Christi sunt quæramus, sed quæ carnis et ejus voluptatis. Dic ut lapides isti panes fiant ita malet diabolus; nempe omnia illa quibus renuntiavi, quando manum ad aratrum ministerii sacri posui, et quæ nunc mihi esse debent ad instar lapidum, quos procul a me abjeci; vult tentator ut mihi iterum panes fiant ad exsatiandum concupiscentiæ carnalis appetitum. — Vincenda tentatio est magnanimitate ad excelsa erecti animi, et sedula cura, ut statim initio absque ulla mora impetus tentationis hujus frangatur; consideratione imprimis mortis, novissimorum, fœditatis intrinsecæ voluptatum carnalium: mox enim omnia quæ sunt hujusmodi putrescent cum corpore et in pulveres sepulchri vertuntur lapides hi offensionis et scandali; — interim divina promissa sunt nobis gaudia, eaque æterna; et sicubi guttam sentinæ sprevimus, potabimur torrente voluptatis divinæ, et lætabimur sine fine ut Apostolus monet — lætitia *inenarrabili* (*c*); sed et his in terris jam vita pura a terræ pulvere et sordibus libera, Christo dedita in novitate vitæ, spiritus deliciis abundat puris, quæ animam, teste Augustino converso, infinite jucundius recreant, quam omnia reliqua bona sæculi. Non enim in solo pane vivit homo, sed in omni

verbo, quod procedit de ore Dei, per eloquia veritatis fidei, quibus dispensatur *manna* de cœlis animabus fidelibus, et præprimis per eloquia et verba quibus alloquitur divinus Spiritus divinis affatibus ineffabiliter suavibus et gustu cœlesti refertis, animas sibi gratiæ et amoris vinculo conjunctas, sibique orationis usu intime unitas. Fastidit utique nauseatque anima panem hunc angelorum gustans, porcorum siliquas, quæ teste Salomone non valent unquam vere reficere multoque minus satiare cor hominis pro Deo creatum. "*Vanitas, vanitatum et omnia vanitas et afflictio spiritus* (*d*)." Manebunt semper lapides hi, etsi in speciem panis conversi, lapides duri, insipidi, aggravantes animam; cui contra Christus ubi generose vicerit tentationes, parabat verbo omnipotentiæ sub specie panis in terris manna de cœlis in SS. Altaris Sacramento, cujus usus frequens et dignus teste concilio Tridentino frangit vim concupiscentiæ in membris nostris.

Ad æternas itaque veritates verbo Dei revelatas, et quæ per illud in terris perficiuntur identidem reflectendum est, sicque animus contra tentationes præmuniendus. Quodsi nihilominus inimicus nos aggreditur absque mora, statim corde magnanimo rejicienda est tentatio in ictu oculi, pronuntiando imprimis cum devotione et fiducia magna, identidem sanctissimum Nomen *Jesu*. Recedet profecto et fugiet confusus tentator.

An tali ratione cum tentationibus pugno, et tentationem statim frango? Da mihi Domine quæso per meritum victoriæ qua tentatorem vicisti, ut et ego primo statim momento resistam et primum tentationis impetum semper plenus fide frangam.

Secundum tentationum genus in viris apostolicis præsertim, est tentatio *ostentationis* vanæ, et confidentia in se justo major, dum nostræ imbecillitatis et imperfectionis haud memores, cum superbia quadam Dei bonitate donisque abutimur. Vincendum hoc genus tentationum est diffidentia sancta de semetipso, et salutari timore judiciorum Dei. — Quodsi enim Apostolus omnes monet: "*in timore ac tremore operamini salutem vestram*" (*e*), monitum hoc præ cæteris illos spectat, qui cum salute propria aliorum quoque salutem operantur, et qui non pro unica sed pro tot animabus Domino Deo rationem reddituri sunt. Magna utique confidentia et maxima in Deum ponenda est, nec potest illa in se spectata unquam esse nimia, modo ex parte nostra omnia faciamus, quæ possumus. Verum quis scit num hoc ultimum reipsa ita se habeat; semper itaque magna cum discretione procedendum et cum salutari in nos diffidentia; procedendum dico non præcipitandum, et sic in Deum ductorem spes omnis figenda. Monet enim Divinus Spiritus "*non tentabis Dominum Deum tuum.*"

Examinabo iterum me, quomodo hoc respectu agam procedamque. An spiritus timoris salutaris, et sanctæ discretionis zelum meum mode-

rátur? An non dum aliorum salutem curo, propriam negligo, ostentatione opus Dei corrumpo, et me aperto lapsus discrimini expono? Da mihi quæso Domine cum sancta diffidentia de me, meisque viribus per continuatos actus humilitatis et humiliationis, justam summamque in te tuumque auxilium confidentiam, non tam ut a lapsu me eripias, sed ut ab illo me serves, ad cujus semper præsentem opem tentatus in spiritu humilitatis promptus confugiam, et nulla me vincet perturbatio.

Tertium genus tentationum est *ambitionis* et superbiæ vitæ. Ecce ait, hæc omnia dabo tibi – si cadens adoraveris me. O qualis ac quanta Superbia! Adorari vult Lucifer a Christo Filio Dei! Eum, in cujus Nomine omne genu flectitur, vult ad pedes suos provolutum videre adorabundum! – Repellit illum Christus unico dicto: *Vade Satana!* — Verum heu, quot sunt ex discipulis ejus, qui nequaquam ita agunt, sed qui tentationi succumbunt, etsi non omnia regna mundi eisdem promittat Satan, sed vix horum minimam partem et umbram. Quærunt etiam in ministerio sacro quæ sua sunt, non quæ Dei — non quæ Christi (g) ambiunt honores, terræ bona, gloriam mundi, spes fallaces. Dabo tibi ait Satan. Nec tamen habet, quod promittit: "*Domini enim est terra et plenitudo ejus* (*h*)." Nec si haberet — daret; fallit enim suos amatores deceptor mundus et diabolus. Etsi omnia daret terræ bona, novimus — novimus quid sint. Pulvis qui dissipatur, fumus qui levi fortunæ casu solvitur, abripitur. Noli decipi anima mea – sed disrumpe fallaces hosce laqueos. Et si spes lucri allicit; sursum corda! — Audi Dominum asseverantem: "*Omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter Nomen meum, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit* (*i*)." O quis mihi det ut videam et intelligam probe atque efficaciter vanitatem inanitatemque omnium quæ mundus mihi promittit, si illi serviam et non Deo, qui talia ac tanta promittit, et qui, quæ promittit habet dabitque. o Deus cordis mei da mihi hanc practicam cognitionem vanitatis rerum omnium, et tui amorem super omnia, ut nunquam succumbam fallacibus promissionibus mundi. Quare sicubi tentator posthac accedet, mihique in aures immurmurabit: hæc et hæc tibi dabo, cum S. Aloysio memor hæreditatis sempiternæ cœlestis illi acclamabo constanter: *Quid hæc ad æternitatem!* — Vade – vade post me Satana, Deum solum adorabo illique serviam. Instabit fors Satan, et tentationes iterabit. Noli ideo nimium angustiari anima mea. Apprehendit plane Tentator — Christum; etsi itaque ita me tentet diabolus, ut videar quasi esse in ejus potestate, si modo resisto sine mora et sine titubatione, non sum in potestate inimici sed scriptura in me adimplebitur, quæ dicit: "*Quoniam Deo acceptus eras, accepit te tentatio, ut probaret te* (k)." Pugnabo ut Christus, et faciet Deus ex tentatione proventum.

PUNCTUM III.

"Tertio, Angeli accesserunt, et ministrabant ei.

Hic fructus superatæ tentationis, et hæc conditio solatio plena rite gesti apostolici muneris. Angeli plane ministrabunt mihi post superatas tentationes affluamque deliciis angelicis, si mundi illecebras fortiter sprevero. Et non modo Angeli, sed Dominus ipse cui servio ministrabit mihi (l), i. e. pascet nutrietque me dulci et forti cibo, quo mihi conjungitur in mensa eucharistica, quæ nulli jucundior, quam ei qui legitime certavit pugnam Domini et tentationes superavit. Sed et alius horum verborum sensus mihi expendendus est. Videlicet, non laboramus soli, sed angeli Dei et Sancti nobiscum, dum prœlia Domini gerimus. Est vero res hæc summi momenti atque fiduciam præbens, medio inter tot difficultates quibuscum luctandum est, ad debellandos a nobis, nostræque curæ comissis, insultus inimici. Præsertim Angelus custos, Angelique custodes aliorum atque Patroni suppliciter invocandi sunt, ad obtinendum prosperum operum nostrorum in sacro ministerio successum; præprimis dum ad Concionem sive Missionem vel ad administrandum Pœnitentiæ Sacramentum accedimus. Aderunt profecto et ministrabunt nobis, Angeli Dei; utpote missi in ministerium propter eos qui hæreditatem capient salutis (m). Juvabunt nos suo auxilio supplicationibusque ad Patrem cœlestem; procurabunt occasiones opportunas juvandi eos quorum custodiam tenent; repellent tentationes, postulabuntque et obtinebunt gratias efficaces nobis aliisque, sicque plures pro nobis erunt et pugnabunt, quam qui nobis adversantur, et his longe potentiores (n).

Invocabo itaque in posterum auxilium Angelorum, potissimum S. Michaelis et SS. Angelorum tutelarium, urbium, provinciarum ad quas accedam, et Angelos custodes singulorum hominum quibuscum agam, magna devotione atque fiducia in omni negotio salutis, præsentesque eos spectabo et salutabo frequenter. Erat hoc S. Xaverio, erat beatæ memoriæ Fabro aliisque apostolicis viris Societatis solemne, sit et mihi in posterum. —

COLLOQUIUM ad B. V. M., ad Christum et Patrem.

---

a) *Matth.* 4, 1—11. — *b*) *Ps.* 17, 27. — *c*) 1. *Petr.* 1, 8. — *d*) *Eccl.* 1, 17. — *e*) *Philipp.* 2, 12. — *f*) *Deut.* 6, 18. — *g*) *Philipp.* 2, 21. — *h*) *Ps.* 23, 1. — *i*) *Matth.* 19, 29. — *k*) *Job* 12, 13; 1. *Cor.* 10, 13. — *l*) *Lucc.* 12, 37. — *m*) *Hebr.* 1, 14. *n*) 4. *Reg.* 6, 16.

CONTEMPLATIO.

DE VOCATIONE APOSTOLORUM.

Oratio Præparatoria, consueta.

Præludium I — Memoria historiæ Evangelicæ. Legitur autem apud Evangelistas diversis in locis. Et quidem primo videntur S. Petrus et S. Andreas ter vocati fuisse. Primum ad quamdam *notitiam* solum. Id constat ex S. Joanne (a). — Ait enim S. Andræas, qui verba Joannis Baptistæ audiebat: "Ecce agnus Dei" invenimus ait Messiam et abduxit secum S. Petrum ad Christum. Secundo ad *sequendum aliquo modo* Christum, cum proposito revertendi ad possidenda ea, quæ reliquerant; ut dicit S. Luccas (b). Tertio, ad *sequendum in perpetuum* Christum Dominum nostrum, ut habetur apud S. Matthæum (c). Ambulans enim Jesus juxta mare Galilææ vidit duos fratres Simonem, qui vocatur Petrus et Andræam fratrem ejus mittentes rete in mare, et ait illis "*venite post me et faciam vos fieri piscatores hominum. — At illi continuo relictis retibus secuti sunt eum.*" — Et sic vocavit filios Zebedæi Jacobum et Joannem illi autem *statim* relictis retibus et patre secuti sunt eum (d). Postea vocavit Philippum et Bartholomæum (e), et Matthæum a telonio, ut ipse S. Matthæus narrat (f), et cum transiret inde Jesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine. Et ait illi: *sequere me. Et surgens secutus est eum.* Et sic vocavit et reliquos, licet Evangelium de singulorum vocatione non explicitam mentionem faciat. Recolam itaque mente quomodo Christus sic ambulans inter turbas innumeri populi, suos discipulos vocat, quos vult (g), et quomodo illi audito simplici: sequere me — surgunt et relictis omnibus illum sequantur.

Præludium II. — Constructio loci, quæ erit narrationi conveniens. Erit hic videre regionem ad mare Galilææ, urbes et compita, in quibus Christus Apostolos obviam habuit, illosque ad munus apostolicum vocat.

Præludium III. — Erit petere gratiam quam volo, nempe ut intelligam inenarrabile donum *Vocationis* ad munus apostolicum, et ut mihi probe applicem *modum*, quo Apostoli ad id munus vocati, secuti sunt Christum.

PUNCTUM I.

"*Considerandum est primo, quomodo Apostoli erant rudis et abjectæ conditionis.*"

Plurimi ex Apostolis ut modo legi, erant tantum simplices piscatores, unus publicanus. Homines itaque simplices, incultos, illiteratos, hos elegit, ut illos ad summum apostolicæ dignitatis elevaret fastigium. Non enim respicit Dominus personam, nec statum nec conditionem, sed ani-

mam, et hoc gratuito ex solo beneficio Misericordiæ suæ. Elegit paucos ex innumeris. Applicabo hoc ad me; quærendo: quis sim et fuerim aliquando? Vocavit tamen me Dominus — sine meis meritis — imo cum tantis demeritis. O quam abjecta sors mea erat, jacendo in sordibus peccati. Non ab aquis, sed a vitiorum luto vocavit me, prætermissis innumeris aliis terrena dignitate fulgentibus. Vocavit me ad veram fidem, ad veram suam Ecclesiam, et in Ecclesia ad Sacerdotium, ad Religionem, ad Societatem atque ad Apostolatum eidem adnexum. Quid putas anima mea qualenam sacrificium laudis ac gratiarum actionis Deo tuo debeas pro dono gratuito talis ac tantæ vocationis. Confundam me coram Divina Majestate, quod hæc tam raro, aut tam exiguo cum fructu mente recolam. Saltem vero hac hora et deinceps memor ero beneficii vocationis meæ cum effusa ac continua gratiarum actione. Unam petii a Domino hanc requiram, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ (h), et ut vita mea respondeat vocationi tam sanctæ atque excelsæ! —

PUNCTUM II.

"*Considerandum est secundo, ad quantam fuerint dignitatem et quam suaviter vocati.*"

Vocavit enim illos in amicos et commensales suos Christus, in socios operis a Patre sibi commissi, in Sacerdotes, fundatores et principes Ecclesiæ, in Apostolos et sui ipsius vicarios, et divinæ legationis. Cum eis etiam ego participo de dignitate hujus muneris, quæ quanta sit in conspectu Dei et totius curiæ cœlestis, audiam S S. Patres de dignitate Sacerdotali loquentes.

Sic S. Ignatius (i) ait: "*Omnium* (nempe dignitatum) *apex est Sacerdotium*" S. Dionysius (k). "*Excedit omnem cogitationem donum dignitatis sacerdotalis.*"

S. Ephrem Syr.: "*Miraculum est stupendum, magna, immensa, infinita Sacerdotii dignitas. Genus divinis ministeriis mancipatum,*" appellat sacerdotes S. Cyrillus Alexandrinus (l).

S. Ambrosius sacerdotale munus appellat: *deificam possessionem* (m). Et iterum: "*Major est hic principatus quam regis, propterea rex caput submittit manui Sacerdotis.*" "*O sacerdos Dei*" exclamat Cassianus: "*si altitudinem cœli contemplaris altior es, si dominationum sublimitatem, sublimior es. Soli Deo et Creatori tuo inferior es*" (n).

"*Prætulit vos, præ regibus, et imperatoribus, prætulit angelis,* — ita S. Bernardus alloquitur Sacerdotes in Synodo. Ita quoque S. Bonaventura ac S. Thomas Aquinas, cujus ratio patet, quoniam omnibus infinite altior, quam ulla alia cœlestis atque terrestris, est dignitas Christi

Regis regum, Regis angelorum et Summi Sacerdotis sempiterni, cujus munus adeoque et dignitatem, tam eminenti ratione participant Sacerdotes Christi. Quare merito S. Chrysostomus (o) ex ipsis verbis Christi infert: "*cum sua legatione fungantur et dignitate Christi præfulgeant; qui honorat Sacerdotem honorat Christum, et qui injuriat Sacerdotem injuriat Christum.*"

Ecce itaque munere sacerdotali excelsior factus sum Regibus, excelsior Angelis, Archangelis, Principatibus, Potestatibus, Dominationibus atque Virtutibus angelicis, excelsior Thronis et Cherubim et Seraphim; quia Sacerdos sum, idque in Societate cui Christus Nomen et cor suum speciali ratione dederat, et in qua tot mediis munior, ne ab excelso hoc vocationis sanctæ fastigio infelix ruam.

Vocatus autem, o quam *suaviter!* Recordabor vias vitæ præteritæ, quomodo divina Providenta gressus meos tam mire ac misericorditer atque tam suaviter feliciterque direxerit ad apicem hunc sublimem, qui cœlorum vertices superat. Numquid non recordatione tali cor meum totum colliquescere debet, gratitudinis dulcissimæ sensu perfusum? et quid pro tam beneficentissimo erga me Domino non agere paratissimus esse deberem, ut Ei placeam. Agnosce — agnosce anima mea, pretium vocationis tuæ sanctæ, et qualis tandem esse deberes: *Christiformis*, Deiformis, cogitatione, verbo, opere; ne in vanum thesaurum hunc inæstimabilem gratiarum recepisse reperiaris!

PUNCTUM III.

"*Considerandum tertio, quibus gratiæ donis supra omnes Veteris Novique Testamenti Patres evecti sint.*"

Exigit divina sapientia ut gratiæ mensura, mensuræ dignitatis atque officii accommodetur. Tanta itaque quum sit dignitas muneris apostolici, Deus quoque mensuram talem cuilibet elargitur, ut condigne possit fungi in carne mortali tanto munere; quis itaque gratiæ copiam et mensuram satis æstimet, quæ Sacerdotibus destinatur, et quæ imprimis Apostolis ipsis contigit; et quis, quod exinde sponte sequitur, gloriæ pondus mensurabit quod aliquando tanta mensuræ gratiæ in cœlis respondebit. Quæ itaque beata sors et inæstimabilis felicitas, quod cum aliis propter muneris dignitatem et privilegia ob arctissimam cum dignitate Christi conjunctionem, longe simus prælati in terris, etiam longe simus præferendi in cœlis, ad cujus gloriæ augmentum etiam meritum functionibus Apostolatus adnexum mirum in modum juvat. "*Qui enim multos eruditiunt ad justitiam, sicut stellæ in perpetuas fulgebunt æternitates*" (p). Quid enim munus Patriarchale cum Sacerdotali N. T. comparatum si munus in se et non sanctitatem personarum et merita spectamus? Greges

illi pecudum pascebant, immolabantque in sacrificium carnes earum, et taurorum ac vitulorum sanguinem litabant. Nos Sacerdotes Christi animas immortales pascimus, corpus et sanguinem incarnati Filii Dei litamus et libamus, offerendo Sacrificium laudis gratiarum actionis, impetrationis ac propitiationis — magnum illud Sacrificium a Prophetis prænuntiatum, cui cessere omnia reliqua antiquitus oblata, velut umbra veritati (q). Plus Deus per illud solum honoratur, quam per omnia quæ vel Angeli in cœlis Deo offerre possint in ejus laudem et gloriam; et insuper in consecratione eminentissima ratione miracula Creationis ac Redemptionis per incarnationem Verbi Dei factæ, quodamodo renovantur. O quale munus, o quanta dignitas! non Angeli consecrant, sed consecranti Sacerdoti adsistunt admirantes atque præ reverentia trementes. Et quid si reliqua omnia munia considero — Sacramentorum administrationem, præprimis peccatorum absolutionem, et omnem reliquam œconomiam sacram ministerii sacri? Vere quantum cœlum a terra distat, tantum elevatur dignitas sacerdotalis Novi Testamenti præ illa Antiqui Fœderis.— Salutantur Patriarchæ patres familiarum carnalium; constituuntur Sacerdotes Novi Testamenti Patres et Patriarchæ generationum cœlestium. Quodsi his privilegia insuper accedant status religiosi, votorum nuncupatione statui vitæ angelicæ in cœlis cognati, vere nihil præstantius, præclarius nihil vel ab ipsis Angelis desiderari potest; et quodsi invidiæ sanctæ apud ipsos locus esset, inviderent merito talem statum ac vocationem adnexamque illi gratiæ copiam, ac gloriam futuram in omnem quæ manebit æternitatem. Etiam mihi ejusmodi fons gratiarum, aut ut rectius dicam mare apertum est. Numquid non totis cordis mei affectibus exclamem: "*Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi*," qui ante paucos annos nihil fui, et qui tanta nunc possideo, et ampliora adhuc spero. —

PUNCTUM IV.

"*Considerandum quarto, quomodo beatus Andreas et alii Apostoli Christum sint secuti.*"

Responderunt vocationi prompte, et statim relictis omnibus responderunt vocanti integre, et secuti sunt illum fideliter atque constanter.— "*Nemo enim mittens manum ad aratrum et respiciens dignus est regno cœlorum*" (r). Premebant vestigia Magistri abnegatione sui ipsius, imitatione virtutum, participatione laborum donec fidem et munus suum passionibus, tormentis et sanguine confirmarent. O si etiam mihi fidem vocationemque liceret sanguine confirmare! Tu Domine qui corda nosti omnium tu scis quantum hoc desidero. Est hic spiritus Martyrii omnino de essentia spiritus vere *apostolici*. Unus tantum ex Apostolis præ-

varicatus est — Judas; non Martyrium passus, sed diffidens ac desperans, non occisus sed semetipsum occidens. Abiens enim laqueo se suspendit, et ruptus medio effudit viscera (s). Talis finis eorum vel similis interitus, qui Christum ad ministerium sacrum vocantem vel non sequuntur, vel non integre, non fideliter, non perseveranter. Curabo itaque omni conatu ut potius ex numero illorum sim, ad quos Christi verba diriguntur: "*beati estis qui mecum permansistis in tentatione*" (t). Manebit promissio: "*Sedebitis aliquando super thronos judicantes tribus Israel*" (u). Satagam itaque omni qua potero cura per bona opera, per exactissimam officiorum et regularum observationem, per zelum vere apostolicum certam reddere vocationem meam et gratiam (v).

Hanc a B. V., Christo et Patre cœlesti Colloquiis frequenter atque ardenter implorabo. —

---

a) *Joann.* 1. — *b*) *Lucc.* 5. — *c*) *Matth.* 4; *Marc.* 1. — *d*) *Matth.* 4. — *e*) *Matth cap.* 9. — *f*) *Joann.* 15, 18. — *g*) *Ps.* 26, 4. — *h*) *Ep. ad Smyrn.* — *i*) *De cœlesti Hierarch. cap.* 3. — *k*) *Libr.* 13 *de adoratione.* — *l*) *Libro de dign. Sacerd. cap.* 2 *et* 2. — *m*) *Hom.* 4 *de verb. Is.* — *n*) *Catal. glor.* — *o*) *Hom.* 17 *in Matth.* — *p*) *Daniel* 12, 3. *q*) *Hebr.* 10, 1. — *r*) *Lucc.* 9, 62. — *s*) *Act.* 1, 18. — *t*) *Lucc.* 22, 28. — *u*) *Lucc.* 22, 30. — *v*) 2. *Petr.* 1, 10.

CONTEMPLATIO.

DE PRIMO MIRACULO FACTO A CHRISTO IN NUPTIIS CANÆ GALILÆÆ.

Oratio Præparatoria consueta.

Præludium I. — Memoria historiæ Evangelicæ (a).

Præludium II. — Constructio loci. Erit videre pauperem domum et cubiculum in quo Christus cum B. V. assidet cœnæ nuptiali.

Præludium III. — Erit orare ut mihi Dominus elargiatur gratiam, ut sicut Christus atque Apostoli "*omnibus omnia fiam, ut omnes Deo lucrifacerem*"(b), spiritu affabilitatis, compassionis et sanctificationis etiam in negotiis occupationibusque vitæ temporalis.

PUNCTUM I.

"*Primo, fuit invitatus Christus Dominus noster cum suis discipulis ad nuptias.*" —

Considerandum primo, Christum non sponte sua ivisse ad nuptias, sed invitatum fuisse, et quidem nec tunc *solum* ivisse sed cum matre et discipulis. Quantum ex me est, abstinebo ab omni consortio sæcularium,

imprimis a conviviis eorum, similibusque occasionibus. Quodsi invitus invitor et circumstantiæ persuadentes urgeant et obedientia jusserit vadam sed non solus. Adsint semper testes domestici conversationis meæ. Nec passim id fieri debet; etenim semel tantum de Christo legitur eum nuptiis adstitisse, nec absque magna ratione, videlicet, ut nuptias, quas ad Sacramenti dignitatem evecturus erat, sua præsentia sanctificaret. Virtus autem, quam imitandam hic Salvator præbet est affabilitas apostolica, et facilitas sese aliorum desideriis innocuis accommodandi, ut conciliando nobis illorum animos et affectionem eos *non nobis* sed *Christo* lucrifaciamus. Magnam utique spiritus soliditatem hoc exigit, ut quin ipsi mutemur, omnibus in quantum licet conformemur, ut sic in illis *formetur* Christus (c). Requiritur nempe ad id magna charitas, humilitas rara, zelus ardens et inextinguibilis, dominium passionum suarum plenum, prudentia denique eximia et donum discretionis. Habeo exemplum hujus conversationis Christiformis inter homines in S. Francisco Salesio, Xaverio aliisque. Petam a Deo gratiam hanc virtutem et gratiam, ut etiam vitæ meæ quotidianæ usus totaque conversatio, omnes ad Christum trahat, atque sanctificet. Quid vero hucusque egi et quomodo conversatus sum? fors quoties inter homines fui minus homo, minus religiosus redii. Aut vero numquid non ex altera parte peccans in officii mei occupationibus volui, ut omnes se mihi per omnia etiam in adiaphoris accommodent, non vero ego illis. Si ita, longe essem a spiritu apostolico. Lapides tunc quasi e navi projicerem — aufugient pisces! — non traherem rete apertum sed clausum, procul dubio non intrabunt pisces. Hamum purum et durum non deglutient; quare cavendum mihi a zelo ferreo et acuto; sed quantum licet hominum indoli accommodabo me, sicque ero capiens illos ad salutem.

PUNCTUM II.

"Secundo, Mater indicat Filio defectum vini, dicens: Vinum non habent. Et mandavit ministris: quodcumque dixerit vobis, facite."

En alter affectus, sine quo virtus prior consistere nequit, et quem mater Christi hic nos tam pulchre docet: *Compassionis* nempe, relate ad indigentias temporales quoque hominum, ut *pauperibus* quantum fieri potest succurramus (d). Ut vero Dominus nobis in hoc aliisque indigentiis auxilio sit, audiamus matris monitum: Quodcumque dixerit vobis, facite. Modo quantum ex nobis est faciamus, quæ possumus, et quæcumque a nobis postulat Christus, etiam ab ipso postulare licet, quod facere non possumus, eritque nobis auxilio aliisque per solicitudinem nostram. Recurrendum autem ad Christi auxilium est per Matrem Misericordiæ, ad quam specialis atque specialissima devotio habenda

est. — Omnia enim potest apud Filium. Habeo hujus rei in hoc ipso Mysterio evidentissimum argumentum. Neque ipsa Virgo et Mater rogat, sed tantum indicat Filio; et ecce patrat in ejus gratiam atque ad ejus quasi nutum, *miraculum*. Et quidem etsi res per se non esset tanti momenti nec tempus prorsus acceptum, ut patet ex verbis illis: "Quid mihi et tibi mulier; quasi diceret: non est cur de hoc defectu angaris; nihilominus patrat miraculum, et quidem *primum* in vita sua publica, et hoc ad *nutum* Mariæ. Num amo hanc Matrem ita ut omni ejus nutui obsecundem? —num illam imitor præsertim in commiserationis affectu? — "*Beati misericordes, quoniam et ipsi misericordiam consequentur*" (e). Imitabor imprimis in hac virtute S. Franciscum Regis. O quam tenerrimum erga pauperes affectum gerebat? et quomodo innumeris auxilium tulerat Domino cooperante quoque signis atque portentis; et quam largam exinde in muniis apostolicis ad salvandas animas Divinæ misericordiæ tulerat benedictionem!

PUNCTUM III.

"*Tertio, convertit aquam in vinum et manifestavit gloriam suam et crediderunt in eum discipuli ejus.*"

Aquam in vinum convertit Dominus. Argumentum exinde capiam sobrietatis convivarum, qui meruerunt ut Christus in gratiam ipsorum miraculum patraret, utique præsciens eos copia vini non abusuros; alias sane potius vinum mutasset in aquam. Quantum ad spiritualem autem hujus miraculi significationem hic debet esse fructus, dum cum hominibus dicto modo in rebus sæcularibus conversamur. Aqua in vinum mutanda est; nempe affectus, occupationes, negotiaque terrena sanctificari debent nostris consiliis, exhortationibus, vitæ exemplo; ut per hanc demissionem ad hominum infirmitates indigentiasque terrenas, non ipsi terreni et imbecilles reddamur, verum illos corroboremus et in spiritu erigamus. Sic homines in alios, quam erant, reformati, manum Dei per nos super se factam agnoscent et manifestabitur gloria Dei modo mirabili conversione peccatorum ad justitiam, et aquæ compunctionis in vinum lætitiæ spiritualis, credentque alii, videntes hanc mutationem mirabilem, ac contra nostram medio inter turbas et vitia earundem vitam semper eandem et immaculatam. An conversatio mea cum proximo hunc effectum habet ut mutatis affectibus sæculi toti in Deum trahantur spiritualesque efficiantur vel num non potius illi me ad vanitates sæculi pertrahunt et vinum gaudiorum et lætitiæ spiritus in aquam teporis convertunt?

Colloquium ad B. V. M., ad Christum et Patrem.

---

a) *Joann.* 2, 1--11. *b*) 1. *Cor.* 9, 22. *c*) *Gal.* 4, 19. *d*) 2. *Cor.* 11, 29. *e*) *Matth.* 5, 7.

CONTEMPLATIO.

DE FUGATIS E TEMPLO NEGOTIATORIBUS.

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I.— Erit recolere historiam Evangelicam (a).

PRÆLUDIUM II. — Constructio loci. Erit videre Templum, et quomodo Christus flagello facto exturbat ementes ibi atque vendentes, et quomodo omnes fugiant. Et ecce post tantum strepitum negotiationis in Templo Dei silentium sacrum prout domo Dei decet.

PRÆLUDIUM III. — Erit orare gratiam, quam volo: nempe intrepidam ac vere apostolicam *libertatem* in arguendis tollendisque peccatorum scandalis, et simul sensum profundissimæ venerationis in loco sancto et relate ad omnia, quæ illic geruntur officia, ne quotidiana quasi vilescant ex defectu fidei vivæ et contemplationis.

PUNCTUM I.

"*Primo, ejecit omnes eos, qui vendebant, e Templo, flagello facto ex funibus.*" —

Ostendit dominium, exercet potestatem. Avaritia ipsorum Sacerdotum induxit in Templum mercaturam, oves, boves etc. et sic locus Dei, et orationi destinatus, factus est quasi stabulum. Erat res plane intolerabilis; quare Christus flagello facto omnes inde exturbat cum ovibus et bobus. *Unus* omnes ejicit et nemo se opponit. Res admiranda! Fulgebat utique ex ejus vultu splendor quidam et Majestas Judicis divini, ut S. Hieronymus jam observabat. Etiam mihi auctoritatem irresistibilem communicat Christus pro Templo Dei, quod est anima, Templum vivum Spiritus Sancti, sed ubi in ea vitia grassantur, fit stabulum. Ejecta ut spes est turba hac passionum ex Templo propriæ animæ, utar jam libere apostolica auctoritate, nec respiciam personas, sed flagello verbi Dei vehementer, graviterque invehar in vitia sæculi grassantia. Dabit Dominus verbis meis vim et efficaciam ita ut resistere non valeant nec audeant homines ejusmodi, sed cedent veritati (b), si non libenter saltem coacte; si non pœnitentia cordis, saltem assensu mentis, propter evidentiam necessitatis, quod ipsum aliis dein dabit tranquillitatem et pacem ad serviendum Deo in spiritu et veritate. — An hoc modo honorem Dei et veritatis atque Ecclesiæ sanctæ tueor zelo intrepido, et respectum humanum generose calco et apostolica libertate utor: vel an potius ex respectu hoc vitioso et damnabili ut canis mutus (c) versor in domo Dei vitiis

favens, et animarum salutem mea ignavia prodens? Num fors non ipse ad vendentes negotiantesque in Templo pertineo, *lucrum* honoris et temporalis commodi ex sacro officio procurare mihi studens, vertendo sic domum Dei in speluncam latronum, et quidem divini honoris rapinæ reus, ut temporali emolumento gaudeam? Si merces has spurias amo ac quæro vere mercenarius essem non pastor (d). Legam quæ habentur apud Prophetam (e), et nisi ex officio sacro mihi procurare volo damnationis sempiternæ flagellum, ejiciam ex corde meo et aliorum necesse est passionum bestias, imprimis *avaritiam et habendi cupiditatem.*

PUNCTUM II.

"*Secundo, evertit mensas et pecunias nummulariorum divitum, qui erant in Templo.*"

Habeo hic alterum contra quod zelum exerceam. In sensu literali advertendum hic quam parum Dominus affectum se ostendit erga divites. Cavendum itaque mihi quam plurimum ne his præ pauperibus faveam; et legam, quæ S. Jacobus in sua epistola scribit (e), de iis qui divitibus parcunt eosque in Templis honorant, spretis pauperibus. Non est hic spiritus Christi.—In sensu mystico autem ostenditur mihi hoc facto, quo zelo insurgam necesse est contra doctrinæ spuriæ commenta, et mendaciorum nundinationem, qua fit ut nummularii hi in Templo Dei, puta pseudodoctores et pseudoprophetæ, in Ecclesia Dei convertunt aurum fidei in æs adulterinum ementitæ veritatis. Horum spuria commercia in domo Dei aggrediar oportet et falsitatem opinionum talium palam ostendam, increpem, refutem et principia errorum funditus evertam, potens verbo et doctrina (f). Quid sane aliud sunt illa systemata falsi nominis doctrinæ et scientiæ pseudophilosophicæ (g), quam mensæ nummulariorum mendacium vendentium, quam virtute verbi Dei genuini, in ostensione spiritus et virtutis subvertam, potius quam in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis (h), memor verborum quibus Dominus in persona Jeremiæ omnes prædicatores veritatis evangelicæ alloquitur dicens: "*Ego constituo te hodie ut dissipes*" (*i*). Hac itaque potestate utar doctrina solida, et errorum quorumvis figmenta e Sanctuario revelatæ veritatis in quod se intruserunt exturbabo cum Dei auxilio.

Num hac ratione veritatem catholicæ fidei in Templis et ubique locorum annuntio, vel num non potius ad prædicatores illos pertineo, de quibus Apostolus scribit et amare conqueritur: "*prurientes auribus audientium*" (k), parcendo saltem eis eorumque fidei orthodoxæ contrariis principiis, quibus innixi nefando commercio vitam sæculi cum officiis fidei et pietatis miscere et componere nituntur, mundo et Deo

simul servire cupiunt. Audiam Dominum quid prædicatoribus talibus acclamet per Prophetam suum: "*Hæc dicit Dominus Deus: Væ, qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis*" (*l*), qua fit ut parcendo et patrocinando vitiis, a veritate fidei auditum avertant homines et ad fabulas convertantur, longe aliam viam sibi imaginando, quam qua revera in cœlum itur, quod vim patitur et violentiam ut dicit Dominus. Profanant utique prædicatores tales Templum catholicæ veritatis, non *animas* quærendo hominum sed *animos*, i. e. illorum affectus et applausus, absque ullo solido et genuino pietatis fructu. Habeo hic utique quod caveam sumopere. O quam longe alia ratione et exemplo prælucent mihi prædicatores Societatis, quorum opera vitasque legam diligenter; et tunc faciam secundum exemplar.

PUNCTUM III.

"*Tertio, pauperibus qui vendebant columbas, mansuete dixit: Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis.*"

Advertenda hic moderatio Christi in flagrantis zeli apostolici fervore et æstu. Columbarum caveas non subvertit. Nihil enim fecerunt mali animalculæ hæ mansuetæ, nec turbarunt adeo quietem et silentium Templi quam mugitus boum et strepitus nummulariorum. Est modus in rebus. Convenientius longe erat ut a suis auferrentur potius caveæ hæ, quam ut subverterentur. Notandum porro quod ex pia mente S. Patris pertinuerint columbæ hæ pauperibus, de quibus sperare poterat Christus obedituros solo mandato, quod non item a divitibus sperari licuit. Apparet itaque etiam hic prædilectio, qua Christus pauperes divitibus præfert, agendo cum eisdem etiam in hac ejectione mansuete. In significatione morali autem exhibetur hic objectum *tertium* zeli. Columbæ videlicet animalia mansueta quidem sunt, at tamen animalia sunt. Significant autem illa hominum etiam piorum affectus nimis humanos sensualesque; imperfectiones imprimis *amoris proprii*, quæ tamen a domo Dei, e Templo animæ nempe, procul sunt amandandæ; quoniam etiam hæ domum hanc Patris cœlestis efficiunt quasi stabulum, et domum negotiationis sensus terrestris.—O quot adhuc ejusmodi columbas amoris proprii Christus in Templo suo quod est anima mea, inveniet et quotics mihi jam ab illo mansuete dictum est per gratiæ impulsum suavem: *aufer* ista hinc — omnia nempe hæc sæculi et veteris hominis vestigia, et noli facere domum Patris mei cœlestis, domum hanc meam, habitaculum Spiritus Sancti, columbæ cœlestis amoris et affectus spiritualis, noli eam facere per affectus amoris erga creaturas domum negotiationis amoris proprii et affectus *sensualis*. — Sed neque in aliis connivendum est hisce

imperfectionibus, sed contra affectus inordinatos amoris proprii et creaturarum etsi non peccaminosi tamen non satis ordinati, qui haud raro etiam in animis cæteroquin piis nidificant, invehendum strenue quidem at mansuete ne conturbatione præpostera, augeatur malum potius quam tollatur. Pervestigabo etiam quoad hoc punctum sedulo et serio cor meum et emundabo illud hisce in exercitiis totum, ut sit Templum quietum et virtutibus solidis probe ornatum Dei ac Domini mei.

Colloquium ad B. V. M., ad Christum et Patrem cœlestem.

---

a) *Joann.* 2, 13—18. — *b*) *Ps.* 67, 12; *Lucc.* 21, 15. — *c*) *Isaias* 56. 10. — *d*) *Joann.* 10, 12. — *e*) *Jac. cap.* 2. — *f*) *Tit.* 1, 9. — *g*) 1. *Tim.* 6, 20. — *h*) 1. *Cor.* 2, 4. — *i*) *Jerem.* 1, 10. — *k*) 2. *Tim.* 4, 3. — *l*) *Ezech.* 13, 18.

CONTEMPLATIO.

DE SERMONE, QUEM FECIT CHRISTUS IN MONTE, QUI EST DE OCTO BEATITUDINIBUS.

Oratio Præparatoria consueta.

Præludium I. — Erit recolere historiam Evangelii (a),

Præludium II. — Constructio loci. Erit hic videre montem amoenissimum, arboribusque consitum sub cœlo sereno, in quo, corona discipulorum circumdatus, Christus Magister et Doctor humani generis divinum illum sermonem dixit, cujus capita principalia præsentis meæ meditationis constituent objectum.

Legam autem singula puncta; quasi propriis auribus ex ore ipsius Christi vocem et verba audirem.

Præludium III. — Erit oratio, qua a Domino postulabo ut fiam speculum vivum omnium præceptorum, quæ hic divinus nobis suggessit Magister, præsertim prout expletio eorum in statu perfectionis vitæ religiosæ et apostolicæ, quam profiteor, exigitur.

PUNCTUM I.

"*Primo, ad dilectos suos discipulos separatim loquitur de octo Beatitudinibus. Beati pauperes spiritu, mites, misericordes, qui lugent, qui esuriunt et sitiunt justitiam, mundo corde, pacifici, et qui persecutionem patiuntur.*"

Considerandæ hic primum ex ordine *virtutes* eæ sunt, quas Christus laudat et quibus mercedem atque coronam promittit cœlestem.

Secundo consideranda in specie *beatitudo* est quæ hisce virtutibus promissa sit: — nempe qui virtutes has exercent, talium ait est regnum cœlorum; hi possidebunt terram, corda nempe hominum; hi consolabuntur, consolatione ineffabili in terris, ac inenarrabili in cœlis; hi saturabuntur beatitudine ipsius Dei; misericordiam consequentur; Deum videbunt; filii Dei vocabuntur, et magna nimis erit merces eorum sempiterna in cœlis. O beatum os, quod tales virtuti promisit beatitudines.

Quis status cordis mei relate ad singulas virtutes has: — an pauper sum spiritu; an vero dives i. e. divitias amans æstimans, divitibus favens, arrogans ipse et superbus? An mitis sum, an vero asper? An lugens in hoc exilio terræ per pœnitentiæ exercitium et suspirans ad patriam; an vero hic consolationem meam propriam quærens? — An esuriam et sitiam justitiam; vel an tepidus agam de omni quasi gradu perfectionis contentus? an misericors sum, an vero duriusculus? an mundi cordis sum, vel vero immundi et concupiscentiis pravis pleni? an pacificus, vel vero rixosus? an persecutiones patiens propter justitiam, vel fors alios propter justitiam illorum molestans, eis detrahendo variarum passionum affectu. Ex his jam concludam, num in me sit et vigeat spiritus Christi? —

Tanto magis autem virtutes hæ in me lucere deberent, et quidem non quomodocumque, sed in gradu eximiæ perfectionis, cum pro munere apostolico eorundem exercitium strenuum aliis commendare et exemplo prælucere debeam; et quoniam tam speciali ratione, et ex parte etiam voti obligatione ad me pertineant propter status vitæ religiosæ professionem. Nemo autem dat, quod non habet ut proverbium affirmat; nec alios ad virtutis amorem et exercitium excitabit potenter, qui eisdem ipsus destituitur. Si alios sanctificare volo, sim primum *sanctus* ipse oportet, hæc prima et principalissima conditio. Quare sic mecum serio statuo, ut comparem mihi omni possibili fervore virtutes solidas, maxime has, quas hic Christus commendat; quoniam hæ potissimum ad munus vocationis *apostolicæ* me paratiorem efficient. Et licet Divinæ Majestati propter se ipsam serviam oportet, tamen quoniam magna est carnis fragilitas et certamen magnum diversarum tentationum, juvat quoque ad mercedis coronam identidem oculos intendisse, ne a proposito unquam desiliam (a). Profecto quodsi tanta jam in se sit virtutis jucunditas, ut ex Stoicorum sententia propter se ipsam jam sectanda esset superando difficultates gravissimas, quæ eidem in statu naturæ legis opponuntur; habeatque quo suos cultores compenset: quidni si ad talem mercedem respicimus?!

O vos omnes in cœlis jam hoc momento beati, orate pro me ut dignus efficiar promissionibus Christi, digne pro virtute certando laborando

tolerando agonizando (b); orate quæso pro me præprimis hac hora, ne transeat sine copioso fructu virtutis et justitiæ, sed ut sanctificer, ascendendo in montem virtutis, proposito, desiderio, opere.

PUNCTUM II.

"*Secundo, hortatur illos, ut utantur bene suis talentis. Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.*"

Nempe non sufficit tantum uti talentis divinitus datis, sed recte illis uti oportet, videlicet in gloriam Dei et nostram aliorumque salutem provocando nos aliosque ad indefessum virtutis studium. Væ nobis si non ad usuram hanc æternam cœlestem, sed ad temporalem scelestem illis usi fuerimus. Sic itaque luceat lux præclara operum meorum, ut glorificent homines Patrem in cœlis, – non *me* in terris, qui nihil ex me sum, nec aliud mereor quam nihil, id est contemptum. Non enim meum est *lux* illud quo luceo, sed gratia divina in me et mecum hæc operatur; nec propria sola vi virtutem ullam aut opus vere bonum patrare possum independenter a Deo, sed erit et est semper omnis sufficientia in me (c), non ex me sed ex illo, ex quo, per quem et in quo sunt omnia, cui itaque soli laus et honnor (d), et cui merito ac semper acclamabo: "*Non nobis, non nobis, sed Nomini tuo da Gloriam* (e)." Porro advertendum, Christum non dicere: "Sic *facite* lucem splendescere" sed loquitur tantum permissive, dicens: "Sic *luceat* lux vestra." Non ostentationem sed ædificationem operis commendat. Luceat ait i. e. ne abscondatis studio, sed permittite; videant, nec subtrahatis aliis bona exempla; videant, non ut vos videant sed opera bona, ut glorificent Patrem in cœlis, et ad similia patranda excitentur; videant nec invideant, sed sitis per opera vestra bona bonus odor Christi, in omni loco in vitam videntis (f). Neqauquam itaque duo hæc sibi opponuntur, nempe intentionis puritas et proximi ædificatio sed apprime conspirant, ut pulchre S. Gregorius M.(g) indicat his verbis: "*Hoc autem dico, non ut proximi opera nostra bona non videant cum scriptum sit: Videant opera vestra bona et glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est: sed ita, ut per hoc quod agimus, laudes exterius non quæramus. Sic autem sit opus in publico quatenus intentio maneat in occulto, ut et de bono opere proximis præbeamus exemplum, et tamen per intentionem, qua Deo soli placere quærimus semper optemus secretum.*" Tales potissimum esse debent illi, qui aliis semitam justitiæ ostendere debent. "*Justorum autem*" ait Scriptura "*semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem* (*h*)."

An hoc modo gratia Christi in me splendet per opera bona? — An revera tendo ad perfectionem? An quæ alios doceo, ipse primus facio?

Et si opera verbis repugnarent, nonne contra me verba Domini dirigerentur: "*Quid tu peccator cum sis enarras justitias meas* (i)?!" Et Christus ipse monet: "*Primum ejice trabem ex oculis tuis, dein videbis quomodo festucam ejicias ex oculo fratris tui.*" Porro "*si sal evanuerit, ad quid ultra valet nisi ut ejiciatur et conculcetur ab hominibus* (*l*)."

Eliciam itaque statuamque propositum emendationis seriæ, ut aliis optimo exemplo prælucens, et odor bonus sim Christi in omni loco ac omni tempore ad ædificationem præsertim in his quoque Exercitiis confratribus meis — et quando exiero ex illis — omni populo.

PUNCTUM III.

"*Tertio, se ostendit non transgressorem legis, sed consummatorem, explicans præceptum de non occidendo, non mœchando, non pejerando, et de diligendis inimicis. Ego dico vobis: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos.*"

Non solvit legem Christus sed adimplevit explicando præcepta additis insuper *consiliis*, quæ si adimplevero longe ero ab omni transgressione legis. Attendam itaque quomodo explicet Dominus præcepta hæc, et quæ consilia addat.

Non tantum non occides; sed si bonus pastor es, *da animam* pro ovibus; salva animas licet zeli defatigationibus corpus tuum conteratur (m).

Non furtum facies; sed si vis perfectus esse, *da quæ habes* pauperibus et veni sequere Christum et habebis thesaurum in cœlis quo fur non appropiat (n).

Non adulterium committes, imo nec uxorem ducas, sed *virgo* permane (o) alias enim non poteris esse de Societate Apostolorum et Christi.

Non pejerabis; absit, sed nisi necessitas cogat, nec juramentum ullum proferas: *sit autem sermo vester est — est — non — non* (*p*).

Imo abstinendum quoque ab omni exaggeratione in verbis et ab usu superlativi qui facile abusus fit et a veritate avertit.

In specie adfert Christus præceptum de diligendis inimicis. Præceptum viris apostolicis imprimis memorabile. Dictum enim et prædictum ab eodem Christo est: "*Odio eritis propter me et Nomen meum omnibus gentibus* (*q*)". Et Apostolus monet: *omnes qui volunt pie vivere in Christo Jesu persecutionem patientur* (*r*)." Sane non potero esse ex ministris Christi quin habeam adversarios et inimicos. Quid ergo? sustinendi sunt in omni patientia, diligendi sunt in charitate Christi et propter Christum. Orandum pro ipsis est cum Christo: *Pater dimitte illis, nesciunt enim quid faciunt* (*s*). Quantum ex nobis est benficiis devincendi sunt (t).

An hic spiritus mansuetudinis Christi in visceribus meis vivit? An præcepta hæc Christi servo, an consilia? et quomodo? — Possumne dicere: non veni solvere quæ promittebam, quæ vovebam, sed exequi, sed adimplere! — Qui enim "ait Christus in eodem sermone de monte "*qui enim solverit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno cœlorum; — qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum* (*u*).

Colloquium ad B. V. ad Christum et ad Patrem cœlestem.

---

a) *Matth.* 5, 7—12. — *b*) *Ps.* 118, 12. — *c*) *Eccl.* 4, 33. — *d*) 2. *Cor.* 3, 5. — *e*) 1. *Tim.* 1, 17; *Eph.* 4, 6. — *f*) *Ps.* 113, 1. — *g*) 2. *Cor.* 2, 15–17. — *h*) *Hom,* 11 *in Evangelio.* — *i*) 1. *Prov.* 4, 18. *k*) *Ps.* 49, 15. *l*) *Matth.* 5, 13. *m*) *Joann.* 10, 11. *n*) *Lucc.* 12, 33. *o*) 1. *Cor.* 7, 38. *p*) *Matth.* 5, 37. *p*) *Marc.* 12, 13. *r*) 2. *Tim.* 3. 12. *s*) *Lucc.* 23, 34. *t*) *Matth.* 5, 44. — *u*) *Matth.* 5, 19. —

CONTEMPLATIO.

QUOMODO CHRISTUS SEDAVIT MARIS TEMPESTATEM.

Oratio Præparatoria consueta.

Præludium I. — Erit recolere historiam Evangelii (a).

Præludium II. — Constructio loci. Erit videre mare Galilæum; quomodo mare jactari incipiat, et discipuli in navicula laborent et navis jam-jam mergatur fluctibus. Erit videre ex parte una metum discipulorum, ex altera somnum quietum Christi, ad quem currunt clamantes; qui dein surgens imperat vento et mari quomodo tranquillitas statim facta sit magna et navis placide litus adpellat.

Præludium III. — Erit pétere gratiam, quam volo; hic erit orare Dominum Jesum, ut det mihi *intrepidum*, atque *pacatum* et quietissimum animum in adversitatibus excitatis et excitari solitis, in omnibus ubi propter ipsum et animas strenue laboratur; ut quiescam fretus divina ope repositus inter brachia divinæ Providentiæ quietus.

PUNCTUM I.

"*Primo, dum Christus Dominus noster dormiebat in mari, facta est magna tempestas.*"

Oriuntur utique et frequenter quidem in vita Deo et animarum saluti dicata, tempestates, dum Christus auxilio abesse videatur, quasi nesciret

quid rei agatur, veluti dormiens non cogitat, aut advertit quid fiat.— Adversæ interim potestates quasi die noctuque in id vigilantes, fundum animæ vento dicteriorum, et incriminationum, ventis passionum, judiciorum et affectuum humanorum commovere non cessant; qua suborta tempestate, *navi*, id est propositis nostris, iisdemque quæ ad gloriam Dei agere cœpimus, nostris consiliis, imo et nobis ipsis, periculum interitus minatur. Ita nunquam non agitatum est, et idipsum nunc obtinet, et identidem redibit. Positus est enim cujus causam agimus ut jam de puero Christo Simeon propheta Matri dixit: "*positus est hic in signum cui contradicetur* (*b*)." Et ipse Christus testatur: *si me persecuti sunt et vos persequentur; non enim est discipulus super magistrum* (*c*). Ad ejusmodi itaque tempestates perferendas, animus parandus est; de eisdem quando exoriuntur, non multum mirandum, et eo minus desperandum; sed potius magna cum fiducia ad Dominum clamandum.

Est enim luctatio cum adversitatibus propter Christum potius lætum prædestinationis signum, et nostræ cum Christo conformitatis argumentum.

Quid ad hæc? An omnia prospere mihi succedunt? Num consiliis meis nemo adversatur? Haberem si ita res mecum ageretur quod timerem; nam esset indicium non habere diabolum quod de operibus meis timeat, et potius cortices laborum apparere et flores, parum vero fructus solidos intus latere.

PUNCTUM II.

"*Secundo, discipuli ejus territi excitarunt eum, quos ob exiguam fidem, quam habebant reprehendit, dicens illis: Quid timidi estes, modicæ fidei.*"

Quod ad Dominum auxilium flagitando se receperint discipuli bene utique fecerunt; tamen modum quod attinet, quo id egerunt, non bene fecerunt. Heu, quoties etiam in meis bene factis hæc macula reperitur! Erat autem primus defectus, exiguitas fidei; quatenus cum animi perturbatione et timore nimio clamantes crediderint dormientem non posse salvare; ideo merito a Domino arguuntur: quid timidi estis modicæ fidei? In tentationibus et adversitatum procellis currendum quidem ad Christum, per orationis refugium; sed animo pacato, mente serena, confidentia plena, Illi nos nostraque omnia commendando, et sine timore agendo quæ nostra sunt tranquille, fortiter, prudenter, commendando exitum Domino; non deerit auxilium petenti. Fides viva timorem ejicit, quoniam charitate animatur (d). Curabo itaque sedulo ut ex fide tali vivam,

totus Divinæ Providentiæ traditus, et non tantum non in obortis perturbationum tempestatibus clamabo anxie nimis, et quasi desperabundus, sed potius in ulnis *spei* quæ non confundit (e) dormiam suavissima quiete cum Christo in pace.

Reflectam hic, quæ mea in Divinam Providentiam sit devotio, quæ fides, quod spei firmamentum?

PUNCTUM III.

"Tertio, præcepit ventis, et mari, ut cessarent; et ita illis cessantibus factum est tranquillum mare, de quo mirantur homines, dicentes: Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei?"

Non est potestas contra Dominum; Omnipotenti servio — hæc cogitabo frequenter. Omnipotonti confido, cui utique omnia obediunt, maria et venti omniaque elementa et tempestates rebelles humanæ voluntates, angelicæ potestates, et tartarus ipse. Quare si Dominus nobiscum, quis contra nos? nam quis ut Deus (f)? — Unico verbo oris sui dixit et facta sunt omnia quæ voluit in cœlo et in terra (g); unico nutu si vult sistuntur cœli in motu suo, si vult dissipantur momento (h). Itaque non timebo in quacunque demum adversitate fuero. Hæc meditabor, et pace fruar. Potens est enim Omnipotens ut brachio suo me eruat ex profundo adversitatis cujuscumque, et fiet tranquillitas magna. Cessabunt quasi momento, si illi acceptum est pericula persecutionum maxima ad verbum Domini, et obstupescent homines. Cessabunt tandem aliquando omnes ejusmodi procellæ, quando ad portum beatæ æternitatis pervenerit navicula vitæ meæ, et dabit mihi Dominus sempiternam requiem tranquillitatem et pacem, et non audietur amplius vox clamoris (i). Noli itaque turbari anima mea etsi omnia perturbentur, modo ita vivas ut in corde tuo Christus quietem inveniat; bene sunt omnia.

COLLOQUIUM ad B. V. ad Christum et Patrem.

---

a) *Matth.* 8, 23—28. *b*) *Lucc.* 2, 34. *c*) *Matth.* 10, 24. *d*) *Joann.* 4, 18 *e*) *Rom.* 5, 5. *f*) *Rom.* 8, 31. *g*) *Ps.* 113, 3. *h*) *Ad Heb. I.*, 11 *et* 12. *Ps.* 103, 29 *i*) *Apoc.* 1, 4.

CONTEMPLATIO.

DE AMBULATIONE CHRISTI SUPER AQUAS.

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I. — Memoria historiæ Evangelii (a).

PRÆLUDIUM II. — Est constructio loci, juxta tria puncta seorsim instituenda. Erit videlicet ad punctum primum, videre oculis mentis Christum quomodo solus ascendat de nocte montem, ibique oret Ad punctum secundum erit videre naviculam fluctuantem in qua sunt discipuli, Dominum vero super mare ambulantem et appropinquantem. Ad punctum tertium attendam, quomodo Petrus ad verbum Christi pedes super aquas e navicula ponit et ei obviam eat, donec timidus factus mergi incipiat et Dominum inclamet.

PRÆLUDIUM III. — Erit petere fructum, quem in hac meditatione ex hoc mysterio intendo ; nempe *attentionem* mentis ad percipiendos quosvis gratiæ motus, et ut ad omnia ad quæ me provocant plenus fide contendam oculos in Christum et non in propriam infirmitatem figendo.

PUNCTUM I.

"*Primo, cum Christus Dominus noster esset in monte, jussit discipulos abire in naviculam, et dimissa turba, cœpit orationem facere solus.*" —

Quid aliud hic me monet Christus, quam quod ipse nunc ago agamque solicite et satis frequenter recedendo ab hominum commercio, ut solus cum Deo in monte meditationum et contemplationis sacræ converser.— Interrumpendi utique interdum sunt labores apostolici et cum Deo solo agendum, ne per dissipationes ministerio nostro adnexas, ipsi dissipemur. Et hoc omnino de necessitate medii est, ut quilibet propria experientia edocetur. Nisi enim renovetur vigor spiritus per arctiorem communicationem cum Deo sensim sine sensu elanguescit. Unde Christus nobis ad exemplum a se in monte non solum dimittit turbam, sed vel ipsos discipulos et altius ascendens montem, solus orat. Jam erat in monte et tamen montem ascendit, ut narrat Evangelista. Id est, quamvis semper Deo unitos et elevatos a terrenis concupiscentiis nos esse oporteat, tamen statutis temporibus magis magisque contendendum est, ut anima arctius Deo jungatur, familiariusque agat cum Eo solis Angelis testibus de anima et animabus nobis commissis.

Fecerunt hoc nunquam non viri Dei, præprimis autem a nobis hoc sedulo faciendum, utpote quibus Deus per servum suum et Patrem nostrum S. Ignatium præstanti adeo medio exercendi spiritum donabat. — Et quidem quotidie per meditationem hoc modo mons ascendendus contemplationis mons, in quo legis perfectionem considerem, et me omniaque mea velut in speculo, nempe in vitæ Christi exemplo contempler, atque ejus opem divinam pro me aliisque implorem. Summo autem fervore medio hoc orationis tum utendum, quando felicissimum exercitiorum tempus mihi divinitus conceditur.

Quomodo, et quo fructu *meditor?* Num vere quotidie montem contemplationis ascendo? spiritu ad Deum elevato? et num solus atque solissimus eum ascendo; vel num potius turba simul cogitationum temporalium mecum pergit, aut de rebus cogito licet per se bonis verum hoc tempore orationis præposteris et meam cum Deo conversationem interturbantibus? Quomodo, quo fervore, quo fructu imprimis *Exercitia* ipsa obire assueveram? Non essem *genuinus* S. Patris Ignatii filius, non spiritu Societatis animatum membrum, nisi eisdem libenter, ferventer, et quam exactissime utar? Quomodo in specie *hæc* Exercitia perago?

PUNCTUM II.

"*Secundo, navicula jactabatur fluctibus, ad quam Christus venit ambulans super aquam; et discipuli putabant phantasma esse.*"

Præmittam constructionem loci — dein expendam factum. Fluctuat navicula et Christus apparet non vocatus, licet desideratus. Interim discipuli putant esse merum phantasma. Quoties mihi Christus apparuit per sanctas inspirationes, quæ ferebantur super mare quasi affectuum meorum, et ecce illas phantasmata esse judicavi, timens quasi de eisdem, et tamen satis attendens ad responsum Christi in me — Ego sum. O qualis essem, quantusque Sanctus siquidem omnes inspirationes gratiæ admisissem et fideliter easdem secutus fuissem! Profecto si omnes sequerentur gratiæ vocantis illustrationes, tunc omnes quoque converterentur ad fidem ad veram pœnitentiam et procederent de virtute ad virtutem obviam Christo ad Sanctitatis apicem et destinatum gradum cœlestis gloriæ. Verum illustrationes divinas phantasma ut plurimum judicant, et contra phantasmata vitiatæ suæ imaginationis manifestam arbitrantur veritatem; sic *iniquitas mentita est sibi*, et continuo mentitur sibi (b). Quare attentum deinceps, vigilem, et alacrem omnino me præbebo motibus gratiæ ad perfectionem me vocantis. Imprimis vero cavebo, ne quas Deus hisce diebus mihi immisit immittetque illustrationes et motus gratiæ, phantasmata reputem et velut phantasmata rejiciam; sed cum Samuele confidenter dicam: "*Loquere Domine audit servus tuus*"

(c). Et cum Saulo converso: "*Domine, quid me vis facere*" (d). Nihil tibi denegabo; veni Domine Jesu, et dic ut ad te veniam.

PUNCTUM III.

"*Tertio, dicente illis Christo: "Ego sum nolite timere." Sanctus Petrus ejus jussu venit ad illum, ambulans super aquam, qui dubitans cœpit mergi: sed Christus Dominus noster illum liberavit, et reprehendit eum de modica ejus fide, ac postea intrante illo, in naviculam cessavit ventus.*" —

Deberem utique præ cordis jubilo exilire, quando me Deminus per inspirationes suas manifestat et ad se vocat; et fors terrefio! Quid quæso timebo? Ipse est, qui vocat; dabit etiam vires, ut gradiar super undas et fluctus hujus sæculi, et tentationum ejusdem; modo plenus fide, Christi vocem audiam et sequar cum plena fiducia. Quamprimum vero ab hac fiducia deficerem propter defectum fidei vivæ, etiam statim mergerer.

Postulanda itaque a Domino fiducia magna et maxima in Eum.— Felix, qui ita agit; intrabit cum Christo de nocte quoque, id est spe omni humana derelictus, naviculam salutis et successus, et cessabit ventus adversitatum, quas potestates aereæ, i. e. diabolicæ, et rectores hujus mundi in metuentes et deficientes excitant, ut mergantur cum suis propositis et successibus incœptis.

O Domine quoties cum Petro aquas tribulationum primo gressu, securo calcabam pede, sed dein conturbatus timore humano defeci. — Auge quæso in me fidem, eroque securus.

COLLOQUIUM ad B. V. M., ad Christum et Patrem.

---

a) *Matth.* 14, 23—33. *b*) *Ps.* 26, 12. *c*) 1. *Reg.* 3, 9. *d*) *Act.* 9, 6.

CONTEMPLATIO.

QUOMODO APOSTOLI FUERE MISSI AD PRÆDICANDUM.

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I. — Memoria historiæ Evangelicæ (a).

PRÆLUDIUM II. — Constructio loci. Erit videre quomodo Christus sitiens salutem omnium gentium, discipulos vocat et alloquatur, quos missurus erat, et non tantum eos sed omnes in eorum persona, qui illos in munere prædicationis erant successuri, inter quos etiam me positum video.

PRÆLUDIUM III. — Erit petere gratiam, quam volo; erit nempe postulare a Domino instanter spiritum apostolicum, et virtutes illas, quibus insignitos *prædicatores* Evangelii sui voluit, et quidem ut eas possideam, ad instar Sancti Xaverii aliorumque Patrum nostrorum in gradu eminenti et heroico.

Unam petii a te Domine, hanc requiram, hanc dico gratiam, ut sim instrumentum gloriæ Nominis tui o Jesu; operarius talis in vinea tua qualem desideras, minister fidelis in opere tuo, pastor bonus, ut animas salvem pretioso sanguine tuo redemptas.

PUNCTUM I.

"*Primo, vocat Christus dilectos suos discipulos, et dat illis potestatem ejiciendi dæmonia ex hominum corporibus, et curandi omnes infirmitates.*" —

Dedit Dominus Apostolis a se mittendis potestatem salvandi homines tum quoad corpus cum quoad animam. Prior potestas magis extraordinaria, modo extraordinario nempe per dònum miraculorum viris apostolicis divinitus conceditur, potissimum quando de introducenda fide res agitur. —

Altera longe præstantior et ordinaria salvandi et sanandi animas, manet penes quosvis legitime missos, et missione hac legitime utentes.— Nempe prædicatione, exemplo, sacramentorum administratione ejicienda sunt, et ejici possunt ex hominibus dæmonia, quibus homines obsidentur per peccata et peccatorum consuetudines, ex quibus innumera genera morborum animi et haud raro etiam corporis exoriuntur. Et hi morbi sanandi sunt, exhibitis peccatorum remediis, consiliis, precibus, admonitionibus, atque intercessionibus ad Deum.

An hoc modo, per verbum Dei fervore apostolico annuntiatum, et Sacramentorum assidua administratione jam multa dæmonia ejeci ex hominibus, et eorum morbos animi sanavi? Vel num non in ipsa anima mea ejusmodi dæmonia aut dæmoniuncula pravarum consuetudinum resident, ut sic langueam morbis animi haud paucis nec exiguis? Ecce Domine, quem amas infirmatur. Sana me, ut sanem alios per te Domine.

PUNCTUM II.

"*Secundo, instruit illos de prudentia et patientia: Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum. Estote ergo prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbæ.*"

Virtutes socias, atque vitæ apostolicæ in Societate apprime necessarias, me hic docet divinus Magister.

Prudentiam contra astutiam et fraudes innumeras mundi; est enim in *maligno* positus (b), *progenies viprarum*, ut Christus filios sæculi compellat, (c) qui fraude serpentes, crudelitate lupi, undique nos circumdant atque circumeunt, ovibus Christi interitum machinantes. Vetuit Christus ausus eorum *violentia* reprimere; quanta ergo *prudentia* opus est, ne noceant sed potius prosint, ad vigilantiam et zelum nos excitando, ut si fieri potest, et haud raro reapse fit, ipsi lupi hi per nostram prudentiam, zelum et patientiam in agnos convertantur. Prudentia dico sed et *simplicitate* ad hoc opus est. Serpentes lupos latent, columbæ avolant: sic itaque oportet nos securos reddi ab insidiis inimicorum salutis, et laqueis, quibus capere intendunt incautos, uti, ad capiendos ipsos Christo.

Sed et cum bonis agendum magna cum prudentia et magno simul cum candore animi, ne fors oves convertamus in lupos. Cogita vel solum tribunal Pœnitentiæ. O quam prudentes simul nos esse oportet, et quam simplices et patientes. Est enim ovis etiam symbolum mansuetudinis et patientiæ. Vere quam necessaria virtus hæc est pro operariis in vinea Domini ad patiendum pro Christo. "*Ego enim ait ostendam illi quanta oporteat eum pati pro Nomine meo*" (d). Ut taceam molestias et ærumnas cum ipso exercitio laboris apostolici passim conjunctas ex propria et aliena imbecillitate. Da mihi o Jesu pastor bonus et simul agnus Dei hanc apostolicam mansuetudinem et patientiam, simplicitatem et prudentiam, sine quibus nil magni nil stabile agitur in regno Dei. Sim quoque ego, qualis ille fuit, de quo dixisti: "*Ecce verus Israelita, in quo non est dolus*" (e).

PUNCTUM III.

"*Tertio, tradit illis modum eundi: Nolite possidere aurum, necque argentum: gratis accepistis, gratis date. Deditque eis materiam prædicandi: Euntes prædicate, dicentes: quia appropinquavit Regnum cælorum.*" —

Utique multum alienos ab omnibus terrenis lucris et commodis oportet esse, qui regnum cælorum annuntiant. Apostolatus non sit *mercatus;* ob timorem amittendi terrestria, a se repellent homines cœlestia. Valde, valde vel ab omni specie vitii istius liberi inveniamur oportet, et ab omni umbra exempli eorum de quibus S. Paulus scribit: "*prædicantes Christum, sed turpis lucri gratia; quærentes quæ sua sunt, non quæ Christi*" (f). Agam Deo gratias, quod in Societate vivam, quæ de verbo ad verbum hoc mandatum apostolicum exequitur, nihilque recipit pro exercitio muneris sacri, et licitis renuntiat, ne illicitis via poteat, et ne habeat adversarius quod inique criminetur (g). Gratis

date, non tantum gratis relate ad aurum et argentum; sed gratis omnimode — nullam mercedem affectionis, laudis et existimationis ab hominibus quærentes. Ipse, qui nos misit, sit et erit merces nostra magna nimis! —

Ad hæc materiam prædicationis expressit dicens: *appropinquavit regnum Dei.* Hæc synopsis prædicationis apostolicæ, in his vis et vigor apostolici verbi. De iis nempe, quæ regnum cœlorum spectant, de veritatibus æternis præ cæteris, et de omnibus aliis nonnisi propter has ipsas verbum crucis prædicandum est; non autem dicenda, quæ tantum curiositatem hominum excitant et vanos plausus (h). Non sic, sed veritas Evangelii, i. e. *lœti nuntii*, nempe de sempiterna nostra destinatione, et mediis ad eam datis et paratis, auribus hominum ingerenda est, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ ac eloquentiæ verbis, sed in *ostensione spiritus* et *virtutis*, ne evacuetur virtus verbi crucis (i). O qualis, quantusque esset prædicationis fructus, si omnium Prædicatorum sermo, quoad argumentum et modum dicendi hic esset: loqueretur ex nobis Spiritus Sanctus, et miram tribueret verbis virtutem ad convertenda et inflectenda corda hominum a terrenis ad cœlestia (k). Appropinquaret utique in nos regnum cœlorum, quoniam conversatio nostra ipsa esset quasi in cœlis (l).

Colloquium ad B. V. M., ad Christum et Patrem.

---

a) *Matth.* 10, 1—42. — *b*) *Joann.* 5, 19. — *c*) *Matth.* 3, 7. — *d*) *Act.* 9, 16. — *e*) *Joann.* 1, 47. — *f*) *Tit.* 1, 11. — *g*) *Tit.* 2, 8. — *h*) 2. *Tim.* 4, 3. — *i*) 1. *Cor.* 2, 4. *k*) 2. *Cor.* 5, 20. — *l*) 1. *Philipp.* 3, 20.

CONTEMPLATIO.

DE CONVERSIONE MAGDALENÆ.

Præludium I. — Memoria historiæ Evangelii (a).

Præludium II. — Constructio loci. Erit hic videre cœnaculum in quo Magdalena ad pedes Domini peccata sua deflet.

Præludium III. — Erit petere quod volo, nempe per intercessionem Mariæ Magdalenæ orabo instanter, ut mihi quoque perfectam cordis *contritionem* largiatur, et per sinceram et plenissimam peccatorum meorum confessionem remissionem eorum omnimodam impertiri dignetur. Audi Domine gemitum cordis mei et illud per pœnitentiam, qualis fuit Mariæ Magdalenæ, ab omni macula emundatum amore tui imple, ne amplius offendam te, sed potius sequar usque ad crucem.

PUNCTUM I.

"Primo, intrat Magdalena ubi Christus Dominus Noster accumbit mensæ in domo Pharisæi, quæ ferebat vas alabastri, plenum unguento."

Quantum solatium pro anima peccatrici! non venit Christus Dominus propter justos, sed ad salvandos peccatores, quales fuimus omnes, et præ omnibus *ego*. Verum patet accessus ad divinum Salvatorem omnibus, quavis hora etiam mihi, etiam et imprimis *hac* ipsa hora.

Discam autem a Divino Salvatore quomodo peccatores suscipiam; discam a Maria Magdalena quomodo ipse peccata fleam.

Venit ipsa tempore haud opportuno. Erat enim Christus invitatus et mensæ accubuit, et tamen illam non repellit. Ita sim et ego erga peccatores comparatus, id est semper paratus illos excipiendi libenter et expiandi patienter, quodemumcunque tempore veniant, etsi cum Nicodemo veniant media nocte, quantum nempe ad me attinet et bonam voluntatem et zelum, semperque maxima cum affabilitate eos recipiam, quodemumcunque tempore veniant. Habeo exemplum pulcherrimum in S. Patre Ignatio, qui si quis confiteri volebat, de nocte statim excitari fecit sacerdotem, quem pœnitens volebat, nec expectari voluit diluculum.

Exemplum habeo in S. Philippo Nerio, quem nullum negotium impediebat, quominus paratus esset accedentibus ad Tribunal pœnitentiæ; imo eos ad fores Ecclesiæ transeuntes præstolabatur.

Idem de S. Francisco Regis observare est, qui in lectulo mortis positus, usque ad extremum ferme vitæ halitum pœnitentes expiabat. Etiam de Suario nostro legitur, mandasse ædituo, ut nulla habita ratione studiorum et laborum suorum in conscribendis libris, si quis eidem confiteri vellet, quantocyus vocaret.— Num semper hoc zelo flagrabam pro tribunali pœnitentiæ et non distinxi inter personas? an pro omnibus æque semper paratus sum? —

Ex parte vero Mariæ Magdalenæ considerandæ conditiones animæ vere pœnitentis. Vicit nempe prorsus omnem respectum humanum; non differt, nec expectat tempus; sed sequens impulsum gratiæ Christum quærit, tenens vas alabastrinum plenum unguento, quod significat significatione spirituali effusam ejus in Christo *devotionem*, quo unguento longe pretiosissimo in corde et anima sua perfundebatur tota; nempe unctione Spiritus Sancti, qui gratiæ suæ diffusione per veram et perfectam contritionem amoris divini hanc animam Christo uniebat corde, quando pœnitens ad pedes ejusdem provolvebatur. Sequar itaque et ego pœnitentem Magdalenam. Vincam generose omnem vitiosum respectum humanum, et adferam unguentum devotionis copiosum æque ac pretiosum.

PUNCTUM II.

"*Secundo, stans penes Dominum circa pedes ejus, lachrymis cœpit eos rigare, et capillis capitis sui eos tergebat, et osculabatur, et unguento eos ungebat.*"

Non audet ad Christum vultum convertere, sed declinans ejus aspectum pedibus ejus advolvitur, et vehementi cordis dolore concussa, solvebatur in amaras et tamen super mel et favum spiritui dulces lachrymas, quibus non solum rigabat pedes Christi, sed abluebat plane, et capillis capitis tergebat, et deosculabatur pœnitens, et ungebat.

Hoc ergo primum est, lachrymis rigare pedes Christi per veram contritionem ; dein abstergere per exactam confessionem ; dein osculari per plenam reconciliationem et gratiarum amoris plenam actionem ; tandem ungere, per veram satisfactionem et vitæ emendationem.

Petam a Domino pro me meisque pœnitentibus gratiam contritionis perfectæ ; gratiam ut numquam sacramentum pœnitentiæ recipiam nisi cum affectu contritionis seriæ, nequaquam vero cum defectu præparationis ; et ut nunquam ex mea culpa quis imparatus, aut indignus plane abutatur Sacramento reconciliationis. Commendabo etiam me meosque pœnitentes sæpius S. Mariæ Magdalenæ pœnitenti.

PUNCTUM III.

"*Tertio, cum Pharisæus accusasset Magdalenam, Christus loquitur in ejus defensionem, dicens : Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Et dixit ad mulierem : Fides tua te salvam fecit; vade in pace.*"

Pœnitentium gerenda est cura, et dum diffamantur propter vitæ immutationem, tuendi sunt.

Et ad ipsam ait : Remittuntur ei peccata multa, quoniam *dilexit* multum. Hoc medium reconciliationis, et hæc conditio sine qua non contritionis perfectæ : Amor a creaturis ad Creatorem transferendus est, et quidem diligendus multum et super omnia est, ex toto corde, ex tota anima, et viribus omnibus. Nec difficile est ita amare Dominum, qui charitate æterna dilexit nos, et *miserans attraxit* nos, et semetipsum tradidit pro nobis (a). Vere qui serio perpenderit, *quis* sit quem offenderat, et *quisnam* ipse qui eum offenderat, facile amabit, et dolebit multum, et dolendo amabit amplius. Nec tamen in hanc nostram contritionem, verum in Christum ejusque merita spes omnis atque fiducia figenda est, ut Christus ipse indicat Magdalenæ dicens: "*Fides tua te salvam*

fecit." Nec potest quis vere credere et cum bona voluntate quæ credit perpendere, et non *amare* et multum quidem, et reflectendo ad tot et tanta delicta quibus amatum offenderat non *amare* flere.

O felix Maria, quæ ab ipso Christo meruit audire: "*Remittuntur tibi peccata. Vade in pace.*"

O Jesu qui Mariam absolvisti mihi quoque gratiam elargire, ut perfecta charitate possim dolere de erratis meis, et plenam in hisce Exercitiis inveniam animi pacem.

COLLOQUIUM ad B. M. Magdalenam et Christum Dominum.

---

a) *Jerem.* 31, 3; *Oseas* 11, 4 *ad Gal.* 2, 20.

CONTEMPLATIO.

QUOMODO CHRISTUS DOMINUS NOSTER DEDIT AD MANDUCANDUM QUINQUE MILLIBUS HOMINUM.

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I. — Memoria historiæ Evangelii (a).

PRÆLUDIUM II. — Compositio loci. Erit videre multitudinem illam, et quomodo ad mandatum Christi missis ad eos discipulis, consideant et cum summa gratiarum actione et cordis gaudio per miraculum panibus reficiantur.

PRÆLUDIUM III. — Erit petere, quod volo; petam a Domino gratias virtutesque vitæ apostolicæ necessarias et hac refectione præsignatas; videlicet dispositionem animi a *curis temporalibus* liberi et in usu rerum temporalium moderatissimi, et omnia ad solius Dei servitium referentis.

PUNCTUM I.

"*Primo, Discipuli, cum jam sero fieret, rogant Christum, ut dimittat multitudinem hominum, qui cum ipso erant.*"

Ratio quæ discipulos movebat cur Christum urgerent, ut dimitteret populum hæc erat, solicitudo nempe ne tot homines fame perirent in deserto. Desertus est locus ajunt et hora jam præteriit, dimitte turbas ut euntes in castella emant sibi escas. Haud vituperabilis prudentia, sed longe majorem laudem meretur multitudinis in Christum confidentia,

et verbi divini fames. Hæc, non autem discipulorum anxietas pusillanimis exemplo nobis sit. Quærendum primum est regnum Dei; reliqua a Deo magna cum confidentia exspectanda sunt, projiciendo omnem curam in ipsum, quoniam solicitus est de nobis (b).

Utique si Christus non ibi adfuisset, et si non Christi causa illuc ivissent, et illuc mansissent, desertus fuisset locus et hora præteriisset; verum cum Dominus ipse adesset, qui 40 annis populum longe numerosissimum pavit in deserto, et qui initio temporis, cum tempore creabat omnia ex nihilo, locus non erat desertus, nec hora præteriit. O vere quam metuenda Christi sectatoribus est nimia solicitudo, de vitæ quotidianæ subsidiis. Quodsi anxietatibus ejusmodi indulsissent homines illi, nec in desertum ivissent, nec Christum ibi audivissent, nec tandem per miraculum pasti fuissent. En quot damna tulissent, et in quot alia pericula fors domi detenti interim cucurrissent; qui enim sæculi curis inhiant in *laqueos diaboli* incidunt, ut monet Apostolus (c). Discam exinde quo spiritu animatus debeat esse, qui totus Christi vult esse. Procul sit ab eo necesse est solicitudo nimia aut præpostera de necessitatibus temporalibus vitæ, quæ toties in tot hominibus suffocarunt germina conversionis, et seriæ emendationis vitæ. —

Eo magis autem ab his curis liberos eos esse convenit, qui aliis panem vitæ cœlestis frangere, semitasque vitæ spiritualis per desertum hujus vitæ ostendere debent (d). Utinam non passim cura de victu impedimento esset, quominus verbum prædicationis ubique jam personaret. Non ita nos quod attinet. Prompti simus oportet etiam non petito viatico usque ad fines orbis prædicatum ire, quemadmodum voto speciali se obstringunt qui Professionem in Societate emittunt.

Num liber sum a solicitudinibus pro indigentiis corporis aut ejus commoditatibus? Num fors curæ hæ mihi impedimento sunt in ministerio sacro et zelum imminuunt atque infringunt? Non erit abs re circa hoc examen aliquando instituisse, ut videam num in his laqueis fors hæream, quos abrumpam necesse est, si vir apostolicus et fidelis minister in domo Dei esse cupio! —

PUNCTUM II.

"*Secundo, Christus Dominus noster mandavit* (*discipulis*) *ut sibi afferrent panes, et jussit ut* (*turbæ*) *discumberent, et benedixit, et fregit, et dedit discipulis suis panes illos, et discipuli multitudini.*"

Ecce quomodo Christus solicitus sit etiam non rogatus ad sustentandos eos, qui ipsum solicite audiunt, quærunt et apud ipsum perseverant.

Suos panes populo distribuit et quidem omnes. En quæ bonitas Domini et beneficentia, et quam efficax pro discipulis exemplum. Distribuit autem panes nonnisi præmissa *benedictione*. Nisi enim Dominus ædificaverit domum ut Psaltes jam canit, "*frustra laborant qui ædificant eam*" (e); atque eodem modo nisi Dominus benedixerit laboribus meis frustra desudo, non proficiam nec alios reficiam, sed quoad corpus et animam commedent alieni robur meum. Ego damnum patiar, et alii non saturabuntur. Contra vero cum benedictione quæ bene in Christum sperantibus, et pro illo laborantibus semper præsto est, bona spiritus et incrementum fructuum justitiæ dabit Dominus, imo et de bonis corporalibus providebit Ipse, et ea speciali Providentia apponet nobis. Habeo utique hujus rei propriam experientiam testem. — Nonne enim quod sæculi curis renuntians Christum secutus sim, ejus mensa in pace fruor, omniaque mihi quasi adferuntur vitæ necessaria, et apponuntur, quæ si in sæculo mansissem, ipse mihi procurare debuissem. Gratias agam, et statuam majori semper cum diligentia insistere spiritualibus vocationis meæ ministeriis, quia Christus me liberavit a curis temporalibus.

PUNCTUM III.

"*Tertio, manducaverunt et saturati sunt, et tulerunt reliquias duodecim cophinos.*"

En benedictionis divinæ effectus. Commedunt et saturantur. Profecto illi tantum, qui corde libero utuntur temporalibus, saturantur; contra, qui illis inhiant, et Christum deserentes temporalia non tam ab ipso expectant et accipiunt aliorum quasi ministerio, sed toti ipsi in eo sunt, ut hæc sibi procurent, nunquam saturantur, sed semper famelici sunt; plus semper desiderant, nunquam non indigentias sentientes etsi omnia habeant. Contra vero apud eos, qui utuntur his rebus, quasi non uterentur (f), abundant reliquiæ, quia ex usu ipso rerum harum a caducis et transitoriis eriguntur ad desideranda cœlestia et sempiterna, et omnia ad gloriam Dei referentes, et cum gratiarum actione bonorum omnium largitorem laudantes, ampliorem benedictionem sibi procurant. Da mihi Domine Jesu cor tale, ut ubi sit thesaurus meus, nempe tu Domine Jesu tuumque ministerium, ibi sit quoque semper cor meum omnisque cogitatio et cura. Amen.

COLLOQUIUM ad B. M. V., ad Christum et Patrem.

---

a) *Matth.* 14, 14--22. *b*) *Matth.* 33; 1 *Petr.* 5, 7. *c*) 1 *Tim.* 6, 9. *d*) *Luec.* 22, 35. *e*) *Ps.* 126, 1. *f*) 1 *Cor.* 7, 31.

CONTEMPLATIO.

DE TRANSFIGURATIONE CHRISTI.

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I. — Erit recolere historiam Evangelii (a).

PRÆLUDIUM II. — Constructio loci. Erit hic videre montem Thabor, et in specie amœnissimam planitiem illam in cacumine montis ubi transfigurabatur Dominus.

PRÆLUDIUM III. — Erit petere gratiam, quam volo. Petam videlicet, transfigurationem in hominem alium quam qui modo sum ; similem nempe Christo, per unionem cum ipso et *novos habitus* agendi, non terrenis sed supranaturalibus, sed coelestibus.

PUNCTUM I.

"Primo, assumens comites Christus Dominus noster dilectos suos discipulos Petrum, Jacobum et Joannem, transfiguratus est, et resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus sicut nix."

Non vacat mysterio *tres* tantum discipulos ad spectandam Transfigurationem a Domino fuisse assumptos, et quidem ad montem ductos. Innuuntur videlicet per numerum discipulorum tres virtutes theologicæ, tresque principales animæ facultates : intellectus, voluntas memoria, quas recte facultates, fide spe et charitate elevari et quodamodo transfigurari necesse est, ut cœlestis ille Adam in nobis deinceps vivat. Media autem ad has virtutes exercendas, ut in anima nostra hac ratione Christus formetur, ipsaque in eum transfiguretur sunt sequentia: Primum *conjunctio* cum Deo per orationis studium haud vulgare, sed tale, ut facies animæ ex consortio Divini Numinis resplendeat, nempe supernis illustrationibus, quemadmodum facies externa quoque Moysis, propter consortium divini colloquii lumine externo quoque radians filiis Israel visa est, ita ut in eam intueri nequirent (b). Indicatur hoc solis splendore imprimis etiam puritas *intentionis* omnia cogitando, desiderando, agendo, patiendo solius Dei gloriæ gratia. Ut solus Soli vivam, hic *sol* sit intentionis meæ. Et tunc vestimenta quoque animæ meæ albescent sicut nix. Per vestimenta hæc alba figurantur *opera* virtutis perfectæ, candorque animi absque omni fumo et fuco simulationis et vanæ gloriæ. Hæc si in me obtinent transformabor utique et quidem brevi in hominem alium.

Quid itaque, num orationi ita sum deditus, ut ex consortio divini alloquii facies animæ meæ coram Deo et Angelis ejus propter intuitum contemplationis divinorum mysteriorum revera splendeat? num sentio animam meam impleri illustrationibus gratiæ? et num pure in omnibus et per omnia Dei gloriam specto, ut opera mea sint *alba* et non potius multiplici affectu diversarum intentionum variegata et pene fumo amoris proprii offuscata? —

O bone Jesu quam procul adhuc sum ab hac transfiguratione. Ut tamen cum gratia tua ad eam perveniam per cordis elevationem ab humili terræ desiderio ascendam Te duce montem sensus cœlestis, magnis passibus, agamque contra pondus concupiscentiæ, quæ non sursum sed deorsum tendit. Assume me Domine, et adjuva me, ut sequar te in hunc montem, et fruar tui consortii, similis factus tibi.

PUNCTUM II.

"*Secundo, loquebatur cum Moyse et Elia.*"

Habeo hic expressum quæ agam, ut fervens sim oratione et opere loquendum est cum Moyse et Elia; videlicet Lex et Prophetiæ mente sedulo volvendæ sunt. Exardescet utique in meditatione tali ignis et fervor orationis atque virtutis ardor. Hoc est quod Petrus ipse nos monet: "*Habemus*, ait, *propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat et lucifer oriatur in cordibus vestris*" (c). Ille dico Lucifer, qui ut canit Ecclesia, nescit occasum. Legem itaque scrutando et nos continuo ad eam comparando per sedulum et *peculiare* conscientiæ examen, et simul futuram promissam mercedem intendendo, quæ tunc nos manet, quando videbimus eum sicuti est, Christus in nobis transfigurabitur et nos in illo, testimonium ei vita nostra perhibente.

An hoc modo ago, an cum Psalte dicere possum: "*Lex tua Domine tota die meditatio mea est*" (d). An diligens et constans sum in usu examinis conscientiæ particularis: præterita investigans, futura respiciens? Hac et non alia via ad statum perveniam, ut cum Psalte exclamare valeam: "*Hæc mutatio dexteræ excelsi*" (e).

PUNCTUM III.

"*Tertio, dicente S. Petro ut facerent tria tabernacula, sonuit vox de cœlo, quæ dicebat: Hic est Filius meus dilectus: ipsum audite. Quam vocem cum audissent discipuli ejus, præ timore ceciderunt in facies suas, et Christus Dominus noster tetigit eos, et dixit illis: Surgite, et nolite timere. — Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis a mortuis resurgat.*" —

Quam facile vitio nostro humana divinis miscentur, et consilia Dei cum nostris confunduntur votis. Vellet Petrus statim frui super terram in pace deliciis cœli, et sic esse cum Christo. At non ita, verum audiendus est Christus, quid ipse dicat, de quo vox Patris de cœlo insonuit: *Ipsum audite.* Hic autem quid jubet: "*Si quis vult venire post me, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me*" (f). Ascendendus prius alius cum Ipso mons est, in quo alia plane ratione transfigurabatur. "*Consideravimus eum*, ait Propheta, *et non erat aspectus* (g). Et iterum: *quare* rubrum *factum est vestimentum tuum?*" (h). Procidunt Apostoli. Consternitur utique humana infirmitas ad crucis exspectationem; verum tangit nos Christus gratia sua, et timorem arcet.

Ipsi vero levantes oculos neminem viderunt nisi solum Jesum; ut agnoscerent, Eum solum voce illa de cœlis facta designari. Sic consolationes divinæ in hac vita fugiunt cito, semper tamen nobis bonum erit in eisdem fuisse, dummodo nunquam non intueamur in auctorem et consummatorem fidei nostræ Christum (i) — parati cum eo manere sive in consolatione, sive in tribulatione; in hac et illa, ex toto corde profitentes: *bonum est nobis Domine hic esse.*" Surgunt Apostoli et pergunt cum Christo; sed mandatum accipiunt nemini dicendi visionem, donec a mortuis resurrexerit Christus. Itaque de sublimioribus gratiæ donis, aut vitæ spiritualis gradibus non facile loquendum, nisi cum iis in quibus Christus ad hanc vitæ spiritualis consuetudinem jam resurrexerit; et qui ipsi gustant corde quam dulcis quamque mirabilis et ineffabiliter suavis sit Dominus quærentibus se (k). Monet enim ipse et alias Divinus Magister: "*nolite margaritas projicere ante porcos*" (l); et discedens a discipulis dixit: "*multa adhuc habeo vobis dicere sed nondum potestis portare modo*" (m). Est sane cautela hæc pro Verbi Divini præconibus et animarum directoribus longe momentosissima.

Petam a Deo amorem crucis in testimonium amoris Christi, et cor docile ad quodvis ejus alloquium; nec vellem diu et fruitive quasi inhærere deliciis, quas habet conversatio cum Christo per contemplationis elevationem cum dispendio laborum pro Eo; non enim est hoc vitæ genus, vocationi operosæ proprium, quam profiteor.

Colloquium ad Christum et Patrem.

---

a) *Natth.* 17, 1—10. *b*) *Exod.* 311, 29—35. *c*) 2. *Petr.* 1, 19. *d*) *Ps.* 77, 97. *e*) *Ps* 76, 11. *f*) *Matth.* 16, 24. *g*) *Jesaias* 53, 2. *h*) *Jesaias* 63, 2. *i*) *Hebr.* 12, 2. *k*) *Ps.* 33, 9. *l*) *Matth.* 7, 6. *m*) *Joann.* 16, 12.

CONTEMPLATIO.

DE RESURRECTIONE LAZARI.

ORATIO PRÆPARATORIA.

PRÆLUDIUM I. — Memoria historiæ Evangelii (a).

PRÆLUDIUM II. — Constructio loci. Erit videre sepulchrum Lazari atque eundem in illo jam præ corruptione foetidum.

PRÆLUDIUM III — Erit petere a Christo fructum hunc, videlicet zelum et gratiam *resuscitandi* peccatores etiam inveteratos et habituatos, quos Lazarus ligatus et computrescens repræsentat; — sed et ut ipse *surgam* a sepulchro imperfectionum mearum, quibus tamdiu jam jaceo ligatus, putrescentibus interim propositis licet firmissime aliquando conceptis.

PUNCTUM I.

"*Primo, certiorem faciunt Christum Dominum nostrum Martha et Maria de infirmitate Lazari, qua cognita, substitit per duos dies, ut miraculum esset evidentius.*"

Scit Christus Lazarum ægrotare; non venit. Scit ipsum moriturum; — non venit. Scit ipsum esse mortuum et sepeliendum; non venit, sed subsistit; ita ut ad adventum ejus Lazarus jam esset quatriduanus in sepulchro. Permisit eum mori et sepeliri, ut possit eundem resuscitare et ut evidentius esset miraculum. Novit siquidem Sapientia divina e malis bona producere, et ideo illa permittere. Admiranda quidem at simul tremenda permissio, qua Deus permittit lapsum in peccatum, ut ex lapsu ducat proventum pro lapso, qui nisi lapsus fuisset ad *emendationem*, lapsus tandem fuisset ad *condemnationem*. Novit etiam proventum ducere ex lapsu unius, nempe confirmationem pro aliis; prout hic innuit ipse Christus: "*Gaudeo propter vos, quia Lazarus mortuus est, ut credatis.*" Non desperandum est de salute labentium, etsi Christus nuntia, suspiria nempe et precationes bonorum pro conversione peccatorum non videatur exaudire; non est spes penitus abjicienda. O Domine Jesu vera hæc sunt, sed tamen oro te a morbo peccati serva me, ne sinas me ullo momento separari a te ut moriar tibi; quodsi in aliis id permittas, quæso ne sit infirmitas ad mortem sempiternam, sed resuscita illos sicut resuscitasti Lazarum de monumento fœtido, ex sepulchro nempe peccatorum in quibus corrumpuntur, et me ad id munus mittere dignare, ut evidentius fiat tuæ providentiæ miraculum, qui infirma eligis et contemptibilia mundi ut fortia confundas (a); *Ecce mitte me!*

PUNCTUM II.

"*Secundo, antequam eum resuscitet, petit ab una et altera (sorore) ut credant, dicens: Ego sum resurrectio et vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.*"

Considerandum hic quomodo tandem Divinus Salvator appropinquet castello ubi mortuus erat Lazarus, et quomodo ei occurrant Martha et Maria Magdalena; quomodo ad pedes Christi provolutæ lachrymentur, et quomodo Christus verbis solatio plenis earum fidem excitat: *Ego* ait *sum resurrectio et vita.* Resurrectio, pro omnibus in peccato mortuis spiritu, in me tamen credentibus, et gratiam admittentibus. Sum vita, pro omnibus gratia mea resuscitatis. Vita, per cognitionem et amorem in terris; Vita, per possessionem in visione beatifica imprimis post resurrectionem corporum beatorum. Vivet autem etiam ante hanc justus etsi corpus mortuum fuerit, vita beata, quia spiritus Christo per gratiam unitus, a corpore solutus, et plene purgatus, statim in cœlum recipitur. Jungit Christus mysterium mortui et resuscitati Lazari, quoniam figura erat tum resurrectionis spiritualis a peccatis, quam corporalis e sepulchro.

Insuper autem innuunt verba Christi etiam aliam veritatem imprimis memorandam, videlicet quomodo *fides* juvet lapsos ad conversionem, et quam difficile contra illi ad frugem meliorem redeunt, qui non fide firmissima cum Martha exclamare valent: *Utique ego credidi, quia Tu es Christus Filius Dei vivi.* Et iterum: *Scio quia resurget frater meus in Resurrectione — in novissimo die.*

Da mihi Domine donum *fidei apostolicæ*, mihique assiste, ut in cordibus omnium *fidem* imprimis resuscitem, vivificem ne cadant; aut si ceciderint, ut resuscitata fide a mortuis peccatorum resurgant (c).

PUNCTUM III.

"*Tertio, eum resuscitat postquam lachrymatus esset, et orationem fudisset: et modus eum resuscitandi fuit jubendo: Lazare veni foras.*"

Quid quæso efficacius cor meum ad pœnitentiam veram commovere possit, quid magis confidentiam et spem in Christi misericordiam excitare, quam *lachrymæ* Salvatoris, quibus plorat animam meam in peccatis mortuam aut in imperfectionibus quasi putrescentem. Exstinguit aqua ignem; hæ contra lachrymæ Christi ignem accendunt atque intendunt ignem zeli, ut et ego plorem peccata mea et aliena, et misericordiam Salvatoris pro me et aliis provocem. Etenim si me commovent lachrymæ dolentis Christi, etiam ipse movetur lachrymis pœnitentis mœrentisque animæ. Habeo hujus efficaciæ hic et alibi ex ipso sacro textu documen-

tum. Sic enim legimus: "*Jesus ergo, ut vidisset eam*", nempe Magdalenam "*plorantem et Judæos, qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu et turbavit seipsum, et lachrymatus est.*" O qualis conspectus! Lachrymatur Filius Dei præ cordis dolore. Nunquam risisse legitur, lachrymasse sæpius. Est cur ad hoc reflectam serio et fructum capiam. Insuper monent me lachrymæ Christi, quid mihi agendum, ut agam cum fructu zeli apostolici pro conversione peccatorum. Cor habeam *compatiens* necesse est, nec sim sine affectione ad aliorum miserias. Alias non ero sat mansuetus et deterrebo a me animas quas non tantum non a me ullo modo elongare debeo, sed potius *quærere*. Accessit Christus ad sepulchrum non venit ad ipsum Lazarus. O quot sepulchra peccatorum aperirentur, si illa per zeli apostolici labores et vigilantiam quæreremus.

Attendam nunc quoque reliqua utique et quidem singula quæ divinus Salvator in resuscitando Lazaro egerat, quia non carent mysterio. Elevatis nempe oculis ad cœlum precatur prius, additque: "*Ego autem sciebam, quia semper me audis, sed propter populum, qui circumstat dixi ut credant, quia tu me misisti*" — deinde *imperat*. Ut itaque cum Dei gratia convertam peccatores Salvatoris exemplum imiter oportet. Nimirum, ad cœlum oculi primum levandi et orandum, et totum quod fiet referendum ad gloriam Patris et Christi ejus, et fides adstantium confirmanda est; sic dabit mihi Dominus petitionem cordis, dabit potestatem magnam, ut quasi imperio flectam corda audientium et etiam non audientium, et compellam divina ope sæpe sæpius etiam induratas et rebelles voluntates; velut S. Bernardus compellebat Guilielmum Aquitanum et alios quam plurimos.

Jubendo resuscitat Christus Lazarum. Elegit autem hunc modum imperii ut ostendat, non opus humanæ industriæ sed vim gratiæ esse, qua resuscitantur a peccatis homines. Innuit porro hac ratione et monet ministros suos, ut in peccatores auctoritate divina fulti, ex ubertate Spiritus et ejus vi et potestate agant, non autem modo quasi politico; sed tamquam legatione divina ad homines in ipsorum salutem fungentes. Sic flectentur et suscitabuntur homines, qui si propter status conditionem cum respectu vitioso humano fuissent lenius tractati, in sepulchro peccatorum suorum computruissent utique.

COLLOQUIUM. Da mihi o misericordissime Jesu, per tuas lachrymas te oro, quas in Lazari resuscitatione fudisti, da mihi magnam cum peccatoribus commiserationem — zelum indefessum, ut quæram animas perditas. Utere opera mea ad eas suscitandas, sed ita ut omnia per te, propter tuam non meam gloriam agam; quod ut fiat, me ipsum quæso prius suscita e sepulchro fœtido imperfectionum et peccatorum meorum, consuetudinumque, quibus quasi putrescens, pedibus manibusque ligatus inhæreo. Verum in me tanta vis non est, ut ab eis liberer; tu *jube* — sed voce magna et imperio valido, jube Domine gratiæ tuæ magna vir-

tute; est enim magna miseria mea, ut tandem aliquando surgam et susciter ad vitam novam. Miserere mei, misericordissime Jesu! non tantum Maria Magdalena — sed Maria mater misericordiæ et Mater gratiæ lachrymis suis te deprecatur; nec quatriduanus tantum sed quaternianus et quod excedit — sepultus jaceo et consumor vermibus desideriorum quæ terræ pulveres generabant. Voca me Domine ut hisce in Exercitiis et *hac* ipsa hora surgam et sequar te, jam non amplius relapsurus.

---

a) *Jon.* 11, 1—45. — *b*) 1. *Cor.* 1, 27. — *c*) *Sess. VI.*

CONTEMPLATIO.

DE CŒNA IN BETHANIA.

Oratio præparatoria.

Præludium I. — Memoria historiæ Evangelii (a).

Præludium II. — Constructio loci. Erit videre locum Coenæ et pretiosum vas plenum unguento aromatico quod confregit Maria in Christi gratiam.

Præludium III. — Erit petere gratiam a Domino quam volo; videlicet applicationem fructus totius quasi hujus hebdomadæ, ut videlicet unguento virtutum Christi caput pedesque inungam — et odore virtutum in Christi sequela impleam domum quamcunque et locum in quo versor. — Da mihi Domine Jesu gratiam hanc, mihique propitius esto in hac hora.

PUNCTUM I.

"*Primo, Dominus cœnat in domo Simonis leprosi, simul cum Lazaro*".

Erit itaque primum videre Christum mensæ accumbentem, Martham etiam hic ministrantem pro sedulitate sua consueta, et Mariam cogitantem quid facere debeat quo Christo reverentiam suam et amorem contestetur. Ex omnibus his studiose capiam fructum. Novit Christus Dominus, qualem cœnam ipse brevi esset celebraturus, sed et quæ agonia eidem instaret, quid esset passurus, qua morte moriturus, et quis ex præsentibus eum esset traditurus; et nihilominus cœnat, facie serena, quin quis adverteret quænam brevi essent futura. Discam exinde moderare passiones, discam imperare naturæ motibus, sive gaudii sive tris-

titiæ; est hæc quies et pax ingruentibus magnis adversitatibus signum vere purgatæ, vere illuminatæ, et in voluntatem Dei ut oportet, plene resignatæ, et simul eidem per gratiam intime conjunctæ animæ; est itaque effectus et indicium obtenti fructus hebdomadæ hujus secundæ per exercitium earum virtutum, quæ in hac hebdomada imitando Christi exemplum imprimis a nobis exiguntur. Cœnat Dominus in domo Simonis leprosi et simul cum Lazaro resuscitato. Hic figura est resuscitati per meditationes primæ hebdomabæ hominis; alter figura est hominis a lepra quoque affectionum carnalium purgati per meditationes secundæ hebdomadæ, et cum Christo jam familiariter agentis et conversantis in domo hujus mundi absque periculo novæ infectionis, propter præsentiam Christi.

PUNCTUM II.

"*Secundo, effundit Maria unguentum super caput Christi.*"

Habeo in Maria imaginem animæ in via virtutum, gnaviter procedentis. Imitabor eam! Vas alabastrinum est cor et corpus nostrum; frangam illud, frangendo passiones meamque propriam et perversam voluntatem. Vincam me ipsum, sic unguentum pretiosissimum effundam jugiter super caput et pedes Christi i. e. per omnia consilio, intentione, et opere Christum quærendo, ad eum omnia referendo et nihili ducendo quidquid pro eo faciam sancta cum prodigalitate, ob ingentem æstimationem ipsius, qui omnia meretur et nunquam satis honorari potest. Eritque fragrantia hujus studii impensi, diffundens sese in omni loco in quo fuero secundum monitum Pauli: "*odor Christi bonus sitis in omni loco*" (*b*). An ita caput Christi, pedesque i. e. in maximis et minimis, in humilibus æque ac excellentissimis ministeriis honoro et glorifico, pro Ipso solo laborando, cogitando, procurando quæ Christi, non quæ mea sunt; generose me ipsum et perfecte vincendo et me et omnia mea Christo offerendo. Nescit amor tenuitatem et parcitatem erga amatum!

PUNCTUM III.

"*Tertio, murmurat Judas dicens: Ut quid perditio hæc unguenti? Sed ille excusat denuo Magdalenam dicens: Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me.*"

Murmurat traditor, ut quid perditio hæc unguenti? Murmurant cum illo omnes, qui generosam et perfectam quoad fieri potest Christi imitationem non curant, sed tepidi eum vel a longe sequi satis habent. Ejusmodi imperfecti et quidem voluntarie imperfecti et multo magis adhuc perversi et peccatores habituati, omnia *viæ illuminativæ* præcepta, *excessum* et perditionem calumniantur. Ut quid perditio hæc

ajunt *temporis*, quod in pietatis officiis insumitur; ut quid perditio hæc *famæ*, quando Christum arctius sequendo mundi contemptum incurrimus; ut quid perditio hæc *virium*, quæ consummuntur in strenuo muneris apostolici exercitio; ut quid perditio hæc *pecuniæ*, quæ in cultum Dei expenditur sancta cum prodigalitate. Verum quid prodest homini si mundum universum lucretur – animæ vero suæ detrimentum patiatur (c)! Et quid si anima plane perit, quid *perditio hæc!* Contra vero, quid si omnia perdimus, quid perditio hæc, si pro his animam Christo *lucramur*, ejus et nostram majorem gloriam adipiscimur?

Quare Christus Magdalenæ patrocinium in se suscipiens, dicit eis quos Judas sua murmuratione in partes avaritiæ et invidiæ traxerat "*quid molesti estis mulieri huic; bonum opus operata est in me.*" Vindicabat eam jam semel dum fleret et pœniteret, a calumniis *pharisæi hypocritæ* (*d*); vindicat illam iterum hodie, dum eum grata ungeret, a calumnia *proditoris hypocritæ:* quid molesti estis illi? Quodsi enim inimici pietatis nil aliud efficere possunt, saltem molestiam parant fervidis. Verum contemnam has tricas generose. Dominus ipse tuebitur causam meam, atque laus mea ab ipso erit, non solum ubicumque Evangelium prædicatum fuerit, sed aliquando coram ipsis angelis, omnique mundo confitebitur me Christus, eroque cum illo recumbens in domo Patris sui in cœlis, fruendo fragrantia unctionis istius de qua canit Psalmista: "*dilexisti justitiam et odisti iniquitatem, proptera unxit te Deus oleo lætitiæ præ participibus tuis* (*e*)." Nec caret mysterio eandem, quæ ex ore Christi audire meruit: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, eandem quoque esse quæ *pedes* Domini crinibus aliquando tergebat, nunc unguento ungat, et postmodum iterum ad pedes Crucifixi fleat, quæ demum gestiens lætitia in horto post resurrectionem pedes ejus amplectitur. Typum itaque gerit animæ progredientis per omnes vitæ spiritualis gradus, plena semper *amore* sed et *humilitate*, conjungendo suprema infimis in via perfectionis, quæ nisi amore cum humilitate conjuncto non obtinetur.

Nota etiam detestabilem hypocrisin et malam fidem, qua Judas et ejus imitatores librant et æstimant rerum pretium. Libram unguenti æstimat trecentis denariis; poterit ait venumdari unguentum hoc *trecentis* denariis! at Dominum ipsum vendit *triginta* denariis! Sic itaque eum, qui venerat ut eum *liberaret* a morte æterna non æstimat tanti quam *libram* unguenti; en libra passionis obcœcantis humanam libertatem, ut nesciat quid agat!

COLLOQUIUM ad B. V. M., ad Christum et Patrem cœlestem.

---

a) *Matth.* 26, 6—16. — *b*) 2. *Cor.* 2, 15. — *c*) *Matth.* 16, 26. — *d*) *Lucc.* 7. — *e*) *Matth.* 10, 32; *Ps.* 44, 8. —

CONTEMPLATIO.

DOMINICA PALMARUM.

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I.— Erit recolere historiam Evangelii (a).

PRÆLUDIUM II. — Constructio loci. Erit videre viam per quam a monte Oliveti ad civitatem Jerusalem triumphali pompa vehitur Christus Salvator.

PRÆLUDIUM III. — Erit petere a Christo gratiam quam volo; videlicet humilitatem in externa hominum *celebratione* festiva, quæ quidem non deest si Deus operi suo benedicit; sed necque deerunt qui invidia tabescentes parent crucem. —

Fac mihi Domine nota cordis tui sensa, in hoc triumphali ingressu, eaque meo pectori ingere.

PUNCTUM I.

"Primo, Dominus mittit discipulos ut adducant asinam et pullum, dicens: Solvite et adducite mihi; et si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet, et confestim dimittet eos."

Triumphum acturus erat Dominus, et quam *humilem* pompam elegit; humilitatem etiam in triumphali ingressu docturus. Interim hoc ipso augustior, solemniorque futurus erat ingressus ejus, quam Cæsarum ingressus in urbem Orbis, qui cœlum terramque movebant, ut haberent de quo glorientur; in qua tamen gloria omnia mysterio vacua erant atque inania, nec quidquam latuit quod non patuit: cum contra hic omnia erant plena sensu, significatione et merito. — Quare per omnia ad normam. Christi exempli devitabo excitantia strepitum inanem ad extra, sed sim per omnia humilis, mansuetus, pacificus — et minime turbulentus etiam in iis, quæ quid habent splendoris in ministerio Christi. Si quid opus habebo non ad meam sed Dei gloriam, non deerit ejus Providentia, quæ illud mihi procurabit.

Discam et illud, nihil prorsus Domino esse denegandum, quo ipse uti vult ad sui gloriam, quodque a me per suos discipulos, i. e. per suos in terris vicarios, puta superiores vel confessarios postulat, sive vero per internas inspirationes, quidpiam a me exigat. Verum curandum simul, ut id fiat *confestim*, i. e. absque mora et tergiversatione et absque *restrictione*. Felix anima, quæ ita cum Domino suo agit, ut quidquid ab ea postulet, nihil ipsi deneget. Non patitur Deus vinci donis sed vincit

dona coronis et novis donis. Vel, ut S. Pater nos monet: quanto quis liberaliorem erga summam Majestatem se præstiterit, tanto eum in se liberaliorem etiam experietur, et ipse in dies magis idoneus erit ad gratias et dona spiritualia uberiora recipienda. Felix utique, si quæ possum in terris conferre ad ea, quibus opus habet Salvator ad agendum triumphum; qua liberalitate hæc non compensabit mihi Ipse, ut triumphum agam aliquando in cœlis!

Consideranda hic simul atque admiranda a me est Dei providentia, quomodo nempe Ille, a quo omnia habemus, et cujus ope semper indigemus quodamodo nostra cooperatione opus habeat in procuranda salute animarum; ita autem voluit sapientissimus et amantissimus Deus, ut nobis præberet meriti præmiique occasiones. Numquid itaque retinebo, quod ipse vel nutu inspirationis a me habere postulat? Absit o Jesu a me talis defectus amoris erga te, utpote cui amori proprium est, ut se communicare alteri gestiat, idque eo magis quo plus sacrificii in oblatione inest. Cæterum haud minor apparet in oblatione etiam *minimorum* amoris sinceri testificatio, quam in oblatione rerum magnarum, et haud raro major quoque, quia signum est amoris erga dilectum super omnia, per omnia et in omnibus. — Num ita animo comparatus sum et nihil retineo affectu saltem inordinato, quo Salvator opus habet, ut plenum triumphum gratiæ de me agat? O Jesu illumina tenebras cordis mei, ut intelligam, quibus renuntiem, ut tibi plene serviam, et da, ut id faciam *confestim;* imprimis autem per seriam resolutionem et oblationem mei ipsius in hac ipsa hora, et hoc tempore horum Exercitiorum. Domine, quid a me postulas, aut qua re opus adhuc habeo, ut eam dimittam in tui perfectius obsequium? Non denegabo tibi quidpiam, sive parvum illud sit, sive magnum, sive solatium aut commodum, aut res, aut locus, aut persona. —

PUNCTUM II.

"*Secundo, conscendit asinam, coopertam vestimentis Apostolorum.*"

Consideranda primum summa *paupertas* Christi, qui non habuit quibus tergum asinæ cooperiret. Ita ergo ex amore suo erga me cum dives esset, factus est egenus et pauper; sed etiam ut mihi occasionem et incitamentum præberet, exhibendi erga ipsum pauperem officia pietatis et amoris. Habeo hujus rei exemplum practicum in facto Apostolorum. Ecce detrahunt sibi vestimenta, ut parent Magistro et Salvatori sedem. Magna alacritate et majori adhuc pietatis sensu id fecerunt, gaudentes quod servire ita atque succurrere poterant Christo indigenti. Exuam me Domine et ego amplectendo apostolicam paupertatem. Nullum dubium

quod quælibet rei quodammodo non necessariæ abalienatio voluntaria, triumphum gratiæ augeat. Exuam itaque me Domine, ut induam te; exuam non tantum vestimenta corporis, sed habitus quoque animi, i. e. quidquid desideras et a me exigis. Cedam tibi omnia Domine, etsi consuetudo peractæ hucusque vitæ velut vestimentum mihi adhæreat, et sese opponat renovationi perficiendæ, pervincam cum tua gratia difficultates et parabo tibi ex his meis propositis novis sedem in propria anima mea, ut quam commodissime et suavissime in illa resideas, triumphum festivum agens. Me ipsum autem cum psalte regio considerabo tanquam jumentum, quo tu Domine ad labores quosvis libere utaris in tui obsequium.

PUNCTUM III.

"*Tertio, exeunt ad excipiendum illum sternentes in via vestimenta sua, et ramos arborum et dicentes: Hosanna, Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis.*"

Considerabo hæc ita mente, quasi omnia oculis meis nunc fieri viderem: ingressum nempe triumphalem Domini nostri in urbem. Contemplanda autem primum augustissima Salvatoris ipsius persona; quanta Majestas, affabilitas et mansuetudo ex toto ejus vultu resplendeat, de cujus ingressu triumphali Propheta scripsit: "*Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusulem. Ecce rex tuus veniet tibi justus et Salvator*" (b), Contemplandus etiam zelus et studium plebis lætantis de adventu Jesu: audiam mente jubilum hunc et Hosanna festivum, quod longe lateque regionem illam personabat, et meam quoque vocem meamque operam iis adjungam, qui ibi Salvatori ingressum triumphalem parabant, et fide et amore plenus ex intimo corde clamo: *Hosanna* tibi o Jesu, *Salvator* mi. Profecto considerando opus divinissimum redemptionis, quod in mundo perfecturus venerat Filius Dei, et omnia quæ in specie pro mea salute fecerat, quo sensu amoris, gaudii et pietatis non acclamarem: Hosanna Filio David — Hosanna Filio Dei pro me homo facto! Benedictus ab omni creatura, benedictus ab omnibus angelis et hominibus, qui non tantum venit in nomine Domini, sed qui ipse est Dominus. Hosanna in altissimis! hic nempe in terris per studium summæ *perfectionis* et aliquando in cœlis in summo, quo fieri potest, *gloriæ* gradu, idque per omnem æternitatem. Utinam, utinam in cor meum omnem sensum gratitudinis, amoris et desiderii omnium SS. Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum et omnium de tuo, o Jesu Salvator, in mundo adventu lætantium assumere possem, tibique Hosanna adorationis, gratitudinis et obsequii acclamare! Faciam id optimo, quo possum, modo, in hoc ipso momento ex intimo fundo cordis mei, et audietur Hosanna hoc coram

throno tuo in altissimis in civitate Jerusalem cœlestis et triumphantis! Sternam et ego viam vestibus et ramis arborum virentium, nempe offerendo tibi o Jesu omnia et submittendo tuo arbitrio penitus quidquid possideo vel *sperare* potero in terris.

Considerandum tertio, quis animus Domini in hac lætitia gestientis populi fuerat. Id desumitur ex ipso sacro textu Evangelii, qui ita testatur: "*Et ut appropinquaret civitatem flevit super illam dicens: Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi*" (*c*). Itaque medio inter lætitiæ applausus et jubili documenta *flevit* Salvator; non tam de se, et triumphali suo ingressu, quam de miseria et interitu civitatis et animarum occupatus. Habeo hic exemplum quo pacto animo comparatus sim oportet, medio inter successus et applausus humani documenta. Videlicet animo semper humili, recollecto et de salute animæ et animarum sollicito. Esset utique malum signum conjunctionis internæ cum Deo, siquidem ut mundani homines possem de rebus prosperis modo mere humano gaudere, vel vero prorsus humana tantum ratione de adversitatibus affligi cum perturbatione animi, oblitus divinæ Providentiæ. Sed eo major debet affectus mei teneritudo esse relate ad ea, quæ meam aliorumque salutem attinent. In specie autem verba illa Salvatoris in hoc ingressu dicta mihi applicabo videlicet: "*Si cognovisses et* TU *et quidem in* HAC *die, quæ ad* PACEM *tibi.*" Sentio utique, sentio quomodo verba hæc imprimis ad hos dies salutis pertineant, ut plenam inveniam animæ pacem, hujusque pacis augmentum indies crescens.

Utar jam hac hora ad salutem, et ne etiam hanc exquisitissimam gratiam in vanum recipiam attendam, ad magnanimitatis exemplum, quod hic Salvator mihi dederat. Noverat utique, quæ post paucos dies eum in civitate manebant, quænam passurus esset, quam mortem obiturus et quis clamor vociferantis plebis eum ad crucem postulaturus sit; et tamen cum pompa triumphali urbem ingreditur. Ita ergo et ego animo comparatus esse debeo obviam eundo festivo cum gaudio omnibus adversitatibus, persecutionibus et passionibus, quæ certo me exspectant, si causam Domini sincere ago, etsi ad tempus applausus et approbatio hominum me sequi aut commitari videatur. Lubens et gaudens Christus suis passionibus obviam pergit. Fecit id amor ejus erga me; lubens et gaudens etiam ego obviam pergam omnibus apostolicæ vitæ probationibus et cruci mihi paratæ. Ingeret hanc dispositionem animi autem pectori meo amor erga Jesum Salvatorem. Felix anima, quæ proprio experimento jam novit, quis sitis crucis sit atque adversitatis ex amore erga Jesum sponsum sanguinis (*d*).

---

a) *Matth.* 21, 1--10. *b*) *Zach.* 9, 9. *c*) *Lucc.* 19, 41--42. *d*) *Exod.* 4, 20.

CONTEMPLATIO.

DE PRÆDICATIONE IN TEMPLO.

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I. — Memoria historiæ Evangelicæ (a).

PRÆLUDIUM II. — Constructio loci. Erit hic videre Templum et Christum Dominum per hos ultimos vitæ dies prædicantem in eo, omnemque multitudinem, quæ confluebat ad audiendum eum.

PRÆLUDIUM III. — Erit petere gratiam, quam volo. Hic erit petere gratiam, ut probe intelligam quænam imprimis *veritates* sint, quas ipse mediter et aliis prædicem, ut Christum *constanter* sequar.

PUNCTUM I.

"*Primo, erat docens quotidie in Templo*" (*b*).

Quotidie itaque concionabatur Christus Dominus in his ultimis vitæ suæ diebus. Dedit per hunc zelum prædicationis mihi incitamentum, ut et ego usque ad extremum vitæ halitum laborem in vinea Domini, imprimis per assiduam verbi divini prædicationem atque hominum instructionem, et regni Dei inter homines propagationem, etsi fructus non appareat: quemadmodum et Christus ibi concionabatur et docebat quotidie, sciens quod nihilominus paucos post dies ab hoc ipso populo ad necem et crucem sit postulandus. Hoc utique a Domino peto et petam; hanc gratiam requiram quotidie, ut habeam campum laboris pro Domino, et ut aliquando Dominus me in ipso labore ministerii sacri inveniat, quando me ex hac mortali vita assumet. Et utinam tanquam holocaustum persecutionis, propter hos ipsos labores ejus causa susceptos, vitam ponere liceret!! —

Reflectam secundo ad ipsum *argumentum* harum concionum Domini nostri, prout in Evangeliis legitur. Loquebatur nempe de *electione* ad regnum Dei, deque translatione ejusdem ad alios facientes fructus in tempore suo. Hoc confirmat duplici parabola dicens et asseverans simul: "*multi vocati pauci vero electi*" ob culpabilem nempe *neglectum* gratiarum. Loquebatur de futura hominis in cœlo conditione, et de mandato maximo *dilectionis* Dei super omnia et proximi propter Deum, qua via ad cœlum itur. Loquebatur de futura sua *exaltatione* in cœlis devictis omnibus inimicis suis, et *væ* intonat contra *hypocrisin* et malam fidem Pharisæo-

rum, omnia ex motivo proprii amoris et proprii commodi agentium.— Loquebatur tandem seorsim ad suos de futuris *persecutionibus*, et simul eis promittit adjutorium et victoriam; et tandem loquitur ad eos de *judicio extremo* illosque adhortatur ad vigilantiam per parabolam de decem virginibus, et ad *usum strenuum* concessorum divinitus talentorum, propter strictam rationem, quam de his omnibus exacturus sit judex futurus (c). De his itaque veritatibus concionem atque sermonem habuit Salvator in postremis diebus vitæ suæ; et hæc quam necessaria sunt, et imprimis digna, ut a me in meditationis argumentum frequenter assumantur, et in cor meum quam profundissime demittantur. Continent enim ea, quæ rite expensa ad indefessam Christi Salvatoris imitationem vehementer incitant, et ad quæ in fine hujus hebdomadæ utpote huic scopo imprimis destinatæ, perquam studiose reflectam; videlicet quomodo etiam *ego* speciali ratione ad regnum Dei vocatus sim per vocationem ad Societatem, quas gratias acceperim, sed etiam quod periculum immineat mihi siquidem fructus non feram, quos Deus a me expectat, et quomodo gratiæ obicem ponendo, periculo me exponam, ne has ipsas gratias mihi destinatas animæ alteri Deus concedat, quæ melius atque fidelius cooperando, fructus ferat uberiores et meliores. Quam necessarium itaque est ut memor semper sim exprobrationis Domini per servum suum Joannem: "*Habeo adversum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque unde excideris: et age pœnitentiam, et prima opera fac. Sin autem movebo candelabrum tuum de loco suo*" (d).

Quod ne mihi contingat, et ut me ad omnimodam sequelam et imitationem Christi excitem, quid magis movere atque disponere me poterit, quam recte argumentum amoris perfecti erga Deum et proximum; amor in Christum et spes in adjutorium ejus, detestatio porro omnis hypocrisis et simulationis, ut jam reapse vita et actu sim quod nomine Socii Jesu me velle et esse profiteor, paratus pro nomine hoc pati adversa quævis in hoc mundo; "*non enim est discipulus super magistrum*" (e). Sane quam quotidiana meditatione digna verba sunt, quæ Christus Dominus in his ultimis diebus discipulis et omnibus horum in vocatione Sociis dixerat: „*Eritis odio omnibus propter nomen meum*" Numquid enim non quotidie id experimur, præsertim in his ultimis calamitosis temporibus? "*Continget autem vobis in testimonium*" ita affirmat et prænunciat divinus Magister. Quam præclarum utique atque pretiosum et medias inter afflictiones dulce testimonium ex ipsis adversitatibus, quas propter Nomen Jesu patimur, accipimus, testimonium nempe quod revera "*Ejus*" simus. Sed ideo non præsumendum nec segnius agendum, memor periculorum salutis etiam in hac nostra sancta vocatione. Etenim "*cui multum datum est, multum quæretur ab eo*" (f). Memor sim imprimis futuri et appropinquantis judicii. Ad has itaque veritates identidem erit

reflectendum, ne unquam in studio imitandi Christum deficiam, sed novis semper augmentis proficiam, et ad hoc imprimis in hac ultima hujus hebdomadæ meditatione, propositis convenientibus quantum possum quam efficacissime me disponam et confirmem.

PUNCTUM II.

"*Secundo, finita prædicatione, quia non erat qui eum reciperet Hierosolymis, redibat Bethaniam.*"

Dum nasceretur Christus in mundo, non erat qui eum reciperet in pago Bethlehemitico "*quia non erat eis locus in diversorio*" (g) atque ita ingratitudo et durities hominum cum Salvatore etiam in his ultimis diebus vitæ suæ egit: non erat qui eum reciperet; obstabat nempe vel durities et malitia cordis, vel vero timor et respectus humanus. — Quam amarus Christo debuit esse repulsus hic, et incuria hominum erga ipsum. Acclamabant ipsi, audiebant concionantem, interrogabant, admirabantur, et tamen nemo eum in domum recepit, ita ut cogeretur quotidie Hierosolymas excedere et in Bethaniam redire. Significatur in hoc facto durities atque ingratitudo cordis erga inspirationes divinas, quæ hominem ad sequendum et imitandum Christum invitant, et quas tamen continuo repellit, nec in cor admittit. Quodsi autem repulsus hic amarus est Christo Domino a quavis anima, imprimis autem debet cordi ejus amarus nimis esse incuria talis, siquidem non invitatur et admittitur ab iis, quos cum specialibus prorsus donis gratiæ et vocationis prævenit, quales sumus nos, qui Societati ejus adscripti sumus. Utique Christo cor totum aperiamus eumque ad nos invitemus, ut per fidelitatem in ejus obsequio aliquod solatium ei adferamus, et ingratitudinem atque indifferentiam et teporem tot hominum compensemus, qui nil minus cogitant quam vitam suam Vitæ ejus conformari; nos dico, quos ex tot gentibus atque nationibus elegit, „*ut essemus cum ipso*" (*h*). Et quodsi ita semper debueram esse comparatus conculcato omni impedimento amoris proprii et vitiosi respectus humani; imprimis tempore hoc et in specie in his diebus ultimis hujus hebdomadæ cor meum late aperiam necesse est, ad invitandum et recipiendum Christum Dominum, videlicet per cordis docilitatem, vigilantiam et promptitudinem, ut quæ in contemplatione Mysteriorum Vitæ ejus in hac hebdomada intellexi mihique applicabam, efficaciter eo dirigantur, ut jam amodo perfectius studeam per omnem vitæ meæ rationem ei similis fieri. Et hæc utique cordis mei dispositio præsens, ut tu ipse noveris scrutator cordium, et discretor cogitationum et intentionum cordis, ante cujus conspectum omnia nuda et aperta sunt (i). Veni Domine et in corde meo jam requiesce! Nulla res locum in eo

occupet, tibi soli paratum sit; non turbabo amplius quietem tuam per concupiscentiæ inordinatæ tumultum, quæ hucusque potius mundo me conformari impulit, quam tuæ voluntati subesse. Reficiam quoque te optimo quo possum modo; novi enim quis cibus tuus, nempe, *„ut faceres voluntatem Patris* (k) Hic etiam cibus quem quæris in anima mea, et quo te reficiam; videlicet voluntas sincera et efficax, faciendo jam per omnia voluntatem Dei per studium imitandi te, prout eam per gratiæ tuæ lumen et *obedientiæ* ductum intellexi, atque magis semper ut spero intelligam. Obedientiæ dico ductu, non enim extra eam potero tibi placere quidquid agam, neque tibi sociari, nec te imitari, nec tibi similis fieri. *Domus obedientiæ* hæc significatio est literalis vocis *Bethaniæ*; (l) obedientia ad nutum et literam, hæc utique parabit tibi in corde meo quietem et cibum quo pascaris, ut in me ipso crescas et ego in te in virum perfectum, in unitatem agnitionis tui, Fili Dei, in mensuram ætatis plenitudinis tui, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, ad quod me vocare tam misericorditer dignatus es.

Colloquia, ad finienda Exercitia hujus Hebdomadæ

Colloquar primum tecum o S. Ignati, Pater mi! Audi quæso, quid dicam tibi! Per amorem illum, quo Jesum diligis et dilexisti in terris, per desiderium promovendi per omnia majorem Dei gloriam, quo imprimis ardebas quando ipse Exercitia hujus hebdomadæ finiebas, per desiderium tuum quo flagrabas, ut omnes, quos Deus tibi in filios dederat et socios in fundanda per te Societate, te oro et rogo sis mihi tu S. Pater intercessor in cœlis ad thronum gratiæ, ad ipsum Jesum Salvatorem, ut in me augeat roboretque *spiritum Societatis*, ut sim fidelis et genuinus filius tuus per studium efficax imitandi Jesum per omnia, et ut hoc ipsum studium in aliis quoque excitem promoveamque. Quodsi discipulo Eliæ licitum erat clamare: *"fiat in me duplex spiritus tuus"* (m), quid prohibet quin et ego ita clamem, magna a Domino sperando, ut majora adhuc recipiam! — Dicam in gratiarum actionem omnium divinitus tibi S. Pater in hac hebdomada concessarum gratiarum, ter Gloria Patri etc.

Per S. Patrem meum et servum tuum o B. V. et Mater Domini Nostri Jesu Christi ad te convertor Mater gratiarum, tibique ago gratias quam maximas, pro materna tua erga me sollicitudine et cura in his præsertim diebus. — Utinam utique, o dulcis Virgo et Mater mea, utinam eo cordis affectu tibi gratias referre valerem, quo S. Pater Ignatius in antro Manresiano in fine hujus hebdomadæ tibi gratias egit; sed et quo affectu te rogabat, ut sub tuo patrocinio et materno ductu quam clarissime mysteria Vitæ Christi cognosceret et quam perfectissime vitam suam eidem conformaret. Quis enim melius novit haec ipsa mysteria Vitæ Domini quam tu Mater? quis exactius eisdem utebatur ad imitandum Dominum

quam tu Ipsa? Ad te itaque cor et oculos levo tuamque intercessionem imploro apud Filium, ut cum tua fidelitate incipiam proposita mea executioni dare, quæ in hac hebdomada concepi, et ut cum fidelitate ea exequar usque ad supremum vitæ halitum. Tu quæ nil magis desideras, quam ut nos omnes Socii Filii tui quam simillimi eidem reddamur, exaudi preces meas, meque Filio tuo commenda. Ave Maria.

Per Matrem ad te convertor Jesu Salvator mi. Cum Apostolo tuo jam toto cordis affectu clamo: "*Sequar te quocunque ieris*" (n). Verum quid aliud a te exigam cujus Vitæ exemplum tam clare nunc oculis mentis conspicio, quam quod Matri tuæ benedictæ jam exposui? Vellem sequi te quam proxime, tibique sociari quam arctissime; idque non meo affectu et mentis proposito tibi hodie dicta velim, sed affectu atque proposito servi tui et patris mei S. Ignatii. Sed tu quoque Domine Jesu eo oculo benevolentiæ et gratiæ me in hac hora intueri dignare, quo intuitus es servum tuum S. Ignatium in fine hujus hebdomadæ. Nihil aliud postulo, nam tunc ero quoque per gratiam tuam talis qualem vis et desideras: *fidelis* minister in domo atque ministerio tuo, et in dies similior tibi. — Anima Christi. —

Accedam tandem per Filium ad te cœlestem Patrem! Tu qui de cœlis voce delapsa nobis mandasti: "*Ecce Filius meus dilectus in quo complacui mihi, hunc audite;*" tu qui omnes quos elegisti, etiam prædestinasti *conformes* fieri imagini Filii tui; tu, qui in hunc et non alium finem me æterno voluntatis consilio ex nihilo traxisti, et ab æterno gratias eas in hunc finem prædestinasti, quas in hac ipsa hebdomada mihi tam profusa liberalitate elargiri dignatus es: da quæso, ut talis jam sim qualem me in obsequio Filii tui esse vis et desideras, et ut sic plene atque plenissime *Tua* in me *Voluntas* per omnes vitæ meæ vicissitudines impleatur; ita te Pater cœlestis oro et supplico per merita totius Vitæ Filii tui Unigeniti in terris, et imprimis per merita quæ in Mysteriis iis meruerat, quæ in meditationibus horum dierum expenderam. — Pater Noster. —

---

a) *Lucc.* 19 *et* 20; *Matth.* 21—26. — *b*) *Lucc.* 19, 17. — *c*) *Matth. cap.* 21--26; *Lucc. cap.* 19--22. — *d*) *Apoc.* 2, 4--5. — *e*) *Matth.* 10, 24. — *f*) *Lucc.* 12, 48. — *g*) *Lucc.* 2, 7. — *h*) *Joann.* 5, 16. — *i*) *Hebr.* 4, 12. — *k*) *Joann.* 4, 34. — *l*) *Matth.* 26; 6. — *m*) 4. *Reg.* 2, 9. *n*) *Lucc.* 9, 57.

III. HEBDOMADA.

PRÆNOTANDA.

In tertia hebdomada, quam nunc cum divina gratia auspicamur *confirmatur* electio vitæ melioris, et voluntas serviendi Deo per indefessum studium imitandi atque sequendi exemplum Vitæ Christi Salvatoris. Efficitur autem hæc *confirmatio* proposito exemplo Passionis Domini Nostri Jesu Christi. In ea enim omnes virtutes ejus multo insignius atque excellentius elucent, et efficacius nos invitant ad ejus imitationem. Sed et imprimis per exemplum Christi patientis roboratur animus, ut pervincat impedimenta atque obstacula, quæ sese opponunt studio serviendi Deo, eo modo quo Deus vult juxta illud monitum Apostoli: "*Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur*" (*a*). Et ipse Dominus asseverat: „*Regnum cœlorum vim patitur et violenti rapiunt illud*" (*b*). Et sapiens jam monuit: "*Fili accedens ad servitutem Dei — præpara animam tuam ad tentationem*" (*c*). Has itaque probationes atque persecutiones, ut constantes perferamus atque animo infracto, et ut vim illam adhibeamus, qua regnum cœlorum arripitur, profecto nil magis voluntatem corroborat atque exemplum Christi *patientis*. Alterum est, quod per seriam atque affectuosam Passionis Dominicæ considerationem, etiam *pretium* animarum propter quas passus et mortuus est, vivacius ante oculos nostros ponatur atque sic *zelus* animarum, qui est alterum elementum vocationis nostræ quam intensissime inflammetur. Tandem videndo quod nulla re magis Filius Dei glorificaverit Deum Patrem, quam hac ipsa sua Passione, excitatur in nobis pro vocationis nostræ spiritu amor *crucis*, ut patiendo propter Deum, Deum eo magis glorificemus. — Hoc autem omne eo libentius atque constantius faciemus ope meditationum harum, quia per eas amor Dei et Christi, qui tanta pro nobis egit et passus est, insigniter augetur atque intensior redditur; *amor* dico, qui utique omnia

pervincit, secundum id, quod de hoc amore scriptum est: *Fortis ut mors dilectio; lampades ejus lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent eam* (*d*). Quodsi autem Exercitia hebdomadæ hujus hac ratione fructum præcedentis hebdomadæ in tutum quodammodo reponant augeantque, haud minus quoque ad augmentum fructus Hebdomadæ primæ conferunt. Fuit hic, ut peccati commissi fœditatem et malitiam clare cognoscamus et simul abhorreamus, illudque in posterum omnino fugiamus. Quis autem non videt quomodo memoria et meditatio Passionis Domini nostri ad hoc ipsum quam efficacissime conferat? Hic itaque scopus hebdomadæ hujus et simul nexus cum præcedentibus. Necesse tantum est, ut meditationes ipsæ ea ratione instituantur, quemadmodum Additiones S. Patris ad hanc hebdomadam et Directorium præscribunt, quæ itaque attente legenda et exacte servanda erunt.

---

a) 2. *Tim.* 3, 12. — *b*) *Matth.* 11, 12. — *c*) *Eccl.* 2, 1. — *d*) *Cantic.* 8, 6—7. —

CONTEMPLATIO.

DE CŒNA ULTIMA,

ORATIO PRÆPARATORIA solita

PRÆAMBULUM I. — Est adducere (in mentem) historiam, quæ hic est, quomodo Christus Dominus Noster a Bethania misit duos discipulos in Jerusalem, ad parandam cœnam : ac dein Ipse venit ad illam cum cæteris discipulis ; *et quomodo postquam comedit agnum paschalem et cœnavit, illis lavit pedes, deditque sanctissimum Corpus suum, ac sanguinem pretiosum suis discipulis ; et fecit illis sermonem postquam ivit Judas ad vendendum Dominum suum* (a).

PRÆAMBULUM II. — Compositio videndo locum. Hic erit considerare viam a Bethania in Jerusalem, an lata, an angusta, an plana est ; similiter locum Coenæ, an amplus, an exiguus, an formæ hujus vel illius.

PRÆAMBULUM III. — Petere id quod volo. *Erit hic (petere) dolorem, sensum et confusionem, quod ob mea peccata Dominus eat ad Passionem.* Petam quoque ut tenerrimum atque flagrantissimum devotionis atque amoris sensum in corde meo infundat erga *SS. Altaris Sacramentum.*

O Jesu qui etiam mei recordabaris, quando pridie ante Passionem tuam te ipsum in sacrificio eucharistico Patri obtulisti, esto mihi in hac hora propitius et gratiis iis participem redde, quibus discipulum tuum prædilectum *S. Joannem* in hac ultima Cœna tam copiose auxisti.

PUNCTUM I.

"Primo, comedit agnum paschalem cum suis duodecim Apostolis, quibus prædixit mortem suam : Amen dico vobis quia unus vestrum me traditurus est."

Qualis Cœna et quis sensus cordis mei dum ejus recordor? Contemplabor autem primo *personas* mensæ accumbentes. Recumbit Salvator ultima vice in hac mortali sua vita cœnando cum suis Apostolis. Adhuc erant duodecim; verum finita cœna jam non erant amplius duodecim, sed imminuebatur hic numerus abeunte *uno*, qui eum traditurus esset. Emicabat utique ex vultu Salvatoris in hac cœna simul immensus ejus erga discipulos et nos omnes amor, verum et simul dolor cordis de discipulo perdito, et de derelictione ab omnibus futura, et de instanti eadem nocte Passione. Aspiciam itaque meditabundus vultum Salvatoris, ut cor meum disponam melius ad meditationem; sed etiam considerabo ex ordine discipulos, imprimis Petrum, Joannem et Judam. Quam diversi apparent pro diversa dispositione animi, et quam in specie diversus plane a reliquis discipulis comparet Judas?! Væ qualis conspectus, aspectus hujus discipuli in ultima Cœna! et nihilominus Salvator cum ipso mensæ accumbit. Non excludit eum a convivio, qui eum jam dudum exclusit ex corde suo. Adhuc eum a via perditionis reducere quærit, et hoc quam efficaci ratione! Quomodo enim non usque ad medullam ossium et fundum cordis penetrare debuerant verba illa Salvatoris: "*Non estis mundi omnes, ego scio quos elegerim, sed ut adimpleatur Scriptura: Qui manducat mecum panem levabit contra me calcaneum suum.*" — "*Filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de illo: væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur. Bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.*" O si verba hæc in cor pœnitens assumsisset infelix discipulus, utique aliter Scriptura de eo vaticinata fuisset; et aliter Christus ipse de illo fuisset locutus. At cum hæc dixisset Jesus, turbatus est spiritu et protestatus est et dixit: "*Amen, amen dico vobis quia unus tradet me.*" Aspiciebant ergo invicem discipuli, hæsitantes de quo diceret? *Unus* tantum non hæsitat, *ille* de quo immediate Scriptura narrat et testatur: "*Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat*" (b). Hic non ut alii quærit: "*Numquid ego sum Domine?*" (c), verum sic tantum quærit: "*Domine quis est?*" Sensit enim clare in corde suo per amoris sui erga Jesum vim et testimonium, se non esse qui Dominum suum traderet. O felix anima, quæ in hac incertitudine salutis et status gratiæ, nihilominus vim hujus testimonii amoris cum conscientia pura in corde sentit ita, ut nec possit angi et anxie quærere: Numquid ego sum?

O Jesu mi, sit testimonium *amoris S. Joannis* etiam testimonium cordis mei! Utique Domine, quis magis peccator quam ego, quis magis infirmus et fragilis quam ego? verum auscultando vocem amoris quo amo te, cum magna animi pace, fretus tua misericordia et pietate, non quæram: Numquid ego sum? sed licet memor imperfectionis meæ magnæ, in sinu tuo requiescere sicquetibi loqui non præsumam, tamen pe-

dibus tuis advolvor tibique acclamo: O Jesu mi! amo te, non tradam te. Tot tantisque gratiis quæsivisti me, et te ipsum pro me tradidisti, et in specie dolorem hujus proditionis Judæ pro me lubens suscepisti, et Patri æterno obtulisti, ne tradam te! Etsi hucusque per frequentem neglectum gratiæ in periculum tale me conjeci, aut non satis retraxi tamen amodo vocanti atque cohortanti voci gratiæ tuæ, in hac imprimis hora non resistam, ut Judas, sed utar illa, ut merear aliquando cum dilecto discipulo tuo per intimam amoris unionem in sinu tuo tutus requiescere medio inter pericula salutis.

PUNCTUM II.

"*Secundo, lavit pedes discipulorum suorum, etiam* (*ipsius*) *Judæ incipiens a S. Petro, qui considerans Majestatem Domini, et suam propriam vilitatem, nolens consentire dicebat, Domine, tu mihi lavas pedes? Sed S. Petrus nesciebat, eum in hoc præbere exemplum humilitatis, et ideo* (*Jesus*) *dixit: Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, et vos faciatis.*"

Quodsi aspectus Salvatoris mensæ accumbentis in priori puncto jam animum meum sensu tenerrimi amoris et compassionis simul impleverat, quid sentiam et dicam nunc, dum Dominum a mensa surgere conspicio et ad verba Evangelii mente reflecto: "*sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, et quia a Deo exivit et ad Deum vadit* (*b*)." Quid aliud post exordium hoc exspectandum, quam ut ante discessum ex hoc mundo a discipulis suis homagium adorationis et servitii reciperet in hac ultima Cœna? Verum non ita: sed "*surgit a Cœna, et ponit vestimenta sua et cum accepisset linteum præcinxit se. Deinde mittit aquam in pelvim et cœpit lavare pedes discipulorum et extergere linteo, quo erat præcinctus*". O Domine, si tunc te vidissem, quem fructum ex conspectu profundissimæ atque simul modestissimæ et gratiosissimæ *humilitatis* tuæ sumsissem? Sed nec nunc deerit fructus, siquidem mente attente te in hoc obsequio humilitatis ad pedes discipulorum prostratum video, atque verba actaque tua contemplor. "*Venit ergo ad Simonem Petrum et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lavas pedes? Respondit ei Jesus: si non lavero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine non tantum pedes meos, sed et manus et caput*". O quæ confusio me operit quando ad pedes quoque meos provolutum te video, qui perferendo tot superbiæ meæ atque arrogantiæ defectus et peccata quasi humiliando te coram me misero peccatore, toties me ab his aliisque vitiis pœnitentiæ lavacro lavare atque purgare studuisti! Et ego contra toties hoc obsequium gratiæ tuæ recusabam. Verum non ita modo; sed lava me Domine, lava atque purifica pedes i. e. *proposita* mea, et mentis consilia;

lava manus i. e. *actiones* meas ab eisdem adhærentibus defectibus; lava caput i. e. lava atque purifica *intentionem* meam, ut sim mundus totus et habeam partem tecum. Imprimis libera me Domine ab omni macula *vanitatis* atque *superbiæ*, quæ undique me maculat fœdatque proposita, actus et intentionem. Studium hujus humilitatis in præcedenti hebdomada erat virtus principalis atque fundamentalis, quæ per omnia mysteria Vitæ tuæ imitandam se exhibuit; hæc itaque etiam in hac tertia hebdomada statim in exordio et dein per omnia mysteria Passionis se contemplandam exhibet. In hac itaque quam profundissime fundar necesse est. Et quando Domine, quando tandem liber ero a superbiæ præstigiis, ab hoc fermento iniquitatis, ab hac radice omnis peccati et miseriæ vitæ inordinatæ? — Numquid non *exemplum* tuum, quod in hac Cœna dedisti, eundem in me influxum exercere deberet, quem in servo tuo confratri meo et socio habuit, nempe in S. Francisco Borgia. Reflectebat Sanctus hic atque humillimus vir, frequenter ad hoc exemplum tuum, et non tam ad pedes S. Petri te provolutum considerabat sed ad pedes ipsius *Judæ*. Ita ergo Domine Jesu, eo usque progressus est amor tuus atque desiderium salvandi etiam hunc filium perditionis, ut plane ad pedes ejus te abjiceres, ut quæreres et tolleres ovem perditam. Quorsum itaque ego me projiciam, aut cui ego me in posterum præferre audebo, si fructum capio ex hoc tuo exemplo, quemadmodum vis atque desideras dicens: "*Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis*", Neglexit obduratus discipulus et hanc gratiam ingratus; non negligam ego, sed audiam te Domine et sequar mandatum tuum, humiliabo me amplius atque amplius nec desinam donec omnem fibrillam superbiæ ex corde meo eradicem. Hoc enim nisi fecero periculum semper imminet ne te tradam Domine, idque etiam medio inter labores Apostolatus succumbendo tentationibus amoris proprii. Sed quid ex me ipso præsumam? Tu, quæso, Domine Jesu, miserere mei et sensum hunc humilitatis pectori meo ingere, ut humiliem me sub pedibus omnium, ne unquam tradam te. Permitte, quæso, ut flendo peccata superbiæ, quibus toties te tradidi, appropinquem pedibus tuis et lavem illos lachrymis pœnitentiæ, atque a te gratiam recipiam uberem, ut tandem emendem me, et fiam humilis corde eligendo per omnia *locum ultimum* ut sim *propior tibi*, qui te *novissimum virorum* nominare voluisti.

PUNCTUM III.

"*Tertio, instituit sanctisimum Sacrificium Eucharistiæ in maximum signum sui amoris, dicens: Accipite et comedite. Finita Cœna Judas exit ad vendendum Christum Dominum nostrum.*"

Etiam in hoc tertio puncto primum oculos mentis in Personam augustissimam Salvatoris figam quam attentissime. O quanta majestas atque amabilitas relucebat in vultu, oculis et omni corporis gestu, quando Christus Dominus accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, et elevatis oculis in cœlum ad Deum Patrem suum omnipotentem benedixit, fregit deditque discipulis, dicens: Accipite et comedite: "*Hoc est Corpus meum*". Et similiter accipiens calicem eique benedicens dedit discipulis dicens: "*Hic est enim sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum* (*c*)." Atque ita instituit Sacrificium novæ Legis et simul Sacramentum maximum sui amoris; Sacrificium quod et ego toties hisce meis manibus obtuli Patri æterno, offerendo ei Filium suum unigenitum in sacrificium laudis, gratiarum actionis, supplicationis et propitiationis; et simul Sacramentum, quod toties jam in pignus maximum amoris Christi Salvatoris erga me suscepi. O me felicem! quem Deus tam mirabili atque benevolentissima providentia ad Sacerdotium in sua Societate vocavit. Vidit utique, vidit Christus quando Sacrificium hoc novæ Legis instituit, vidit omnes ejusdem oblationes et Sacramenti susceptiones usque ad finem mundi futuras; vidit omnia *obsequia* adorationis et reverentiæ atque amoris erga ipsum in hoc Mysterio exhibenda; sed vidit etiam omnes irreverentias atque enormia *sacrilegia* contra hoc ipsum Mysterium et suam augustissimam personam in eodem futura. Vidit communionem *S. Joannis*, sed et vidit communionem *Judæ* proditoris. O qualis differentia inter Joannem præsentia Domini in hoc Mysterio refectum, qui gratias agendo Domino eidem corde quam arctissime jungebatur; et inter Judam, qui accepto Sacramento surgit et exit ad vendendum Christum Dominum! Ecce quid possit *passio dominans*, inprimis inordinatus *habendi* appetitus. Intrat cor ejus Christus Salvator, lux mundi, et tamen non vidit abyssum ingratitudinis suæ; "*itaque introivit in eum Satanas* et *exivit continuo, erat autem nox*" (*d*). Extinxit in se lumen gratiæ et reliquit eum Dominus in tenebris obcœcati cordis sui. Væ, "*bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*" (e). Absit a me Domine, absit tam lamentabilis exitus post tot et tanta accepta a te amoris tui atque benevolentissimæ Providentiæ documenta! Non tam cum Apostolo quæram: Domine quid me vis facere, sed hoc clamo: fac mecum Domine prout vis et scis, percute, castiga, occide; tantum ne permittas, me unquam separari a te. Sit hic effectus princeps gratiæ sacramentalis, quam toties per Eucharistiæ sumptionem recipio, ut promissio tua in me adimpleatur: "*qui manducat me, et ipse vivet propter me*" (*f*). Vivam et ego propter te per virtutem gratiæ hujus Sacramenti et plene in te convertar, ut refectus hoc cibo angelico cum Apostolo exclamem: Vivam jam non ego, vivat vero in me Christus!

Qnid conscientia mea ad hæc? Quis amor et affectus meus erga Christum Dominum in hoc Sacramento? Quæ devotio, quis fervor in eo visitando atque recipiendo? quæ præparatio, quæ gratiarum actio? Quis fructus tot a me oblatorum sacrificiorum, tot sumptarum Communionum? Vidit in Cœna Dominus omnes oblationes sacrificii a me futuras, vidit omnes quoque meas communiones. Utinam, utinam omnes dignæ fuissent et tales, quæ cor ejus exhilararent in illa hora benedicta!

COLLOQUIUM instituam *eucharisticum* i. e. gratiarum actionis ad Christum Dominum. Utique Domine Jesu ago tibi gratias affectu et amore *S. Joannis* pro mea ad Sacerdotium electione; ago tibi gratias quas possum intensissimas et flagrantisssimas pro omnibus et singulis missæ sacrificiis quæ obtuli et offeram ad ultimum usque quod celebrabo; ago tibi cum affectu amoris ejus gratias pro omnibus et singulis susceptis communionibus usque ad eam, quæ mihi aliquando erit ultima. Ago tibi cum hoc affectu gratias pro omnibus gratiis atque spiritus solatiis et ineffabili gustu cœlestis suavitatis, quam mihi per hoc mysterium præsentiæ tuæ toties gustandam præbuisti, et in cujus cibi fortitudine utique ambulo ut spero vias tuas usque ad crucem cum fideli tuo discipulo. Ago tibi pro his omnibus amoris tui donis gratias; sed etiam peto plenus fide omni cum spiritus fervore et cordis desiderio S. Joannis, ut in me hunc erga S S. Sacramentum amorem conservare et in dies magis augere atque inflammare digneris. Instituisti, o dulcis Jesu, Sacrificium hoc et Sacramentum in maximum signum tui amoris erga *me;* sit devotio mea erga idem etiam maximum signum amoris mei erga *te.* Utique, Domine Jesu, "*quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum*"! propter hoc ipsum SS. Sacramentum amoris tui, quod ibi veneratur, "*concupiscit et deficit animi a mea in atriis tuis Domine*" (g). Quam gravis utique miseria vitæ hujus esset et pondus, si tua præsentia nos non per hoc mysterium recreare atque *solari* et confortare dignatus fuisses? Quæ autem contra nunc posset nos premere afflictio, cujus amaritudo non dulcesceret ad gustum cœlestis hujus mannæ? Utar utique hoc dono cœlesti omni studio atque fidelitate, eo sensu et modo, quo S. Joannes eo usus est recumbens in sinu tuo. Utinam cum affectu amoris ejusdem conjungere et in cor meum in hac hora colligere possem omnes affectus amoris et gratitudinis, quo omnes sancti in cœlis et in terris te propter hoc sacramentum amoris laudarunt et in sæcula laudabunt. Hoc desiderio flagrans cum affectu et amore, quo S. Pater Ignatius cujus idem est spiritus ac S. Joannis ut S. Magdalena de Pazzis testata est, gratias agendo suspiro: Anima Christi. — Pater Noster.

---

a) *Matth.* 26; *Joan.* 13, 18. *b*) *Joan.* 13, 11-30. *c*) *Matth.* 26, 22. *d*) *Joan.* 13, 3. *e*) *Matth.* 26, 26-27. *f*) *Joan.* 13, 30. *g*) *Matth.* 26, 27. *h*) *Joan.* 6, 58. *i*) *Ps.* 83, 2

CONTEMPLATIO.

DE MYSTERIIS FACTIS A CŒNA USQUE AD HORTUM EXCLUSIVE.

ORATIO PRÆPARATORIA solita.

PRÆAMBULUM I. est historia; et erit hic quomodo Christus Dominus noster descendit cum suis undecim discipulis ex monte Sion, in quo cœnam fecit, per vallem Josaphat, relinquens octo ex illis in parte una vallis, et coeteros tres in horti parte; *et ponens se in oratione sudat sudorem tanquam guttas sanguinis;* et postquam ter fecit orationem ad Patrem et excitavit a somno tres suos discipulos: et postquam ad vocem ejus ceciderunt inimici, et Juda eum osculante, et S. Petro abscindente auriculam Malcho, quam Christus loco suo restituit, cum comprehensus esset, ut malefactor, pertrahunt illum per vallem deorsum, ac dein per declivum sursum, ad domum Annæ (a).

PRÆAMBULUM II. est videre locum. Erit hic considerare viam a monte Sion ad vallem Josaphat, et similiter hortum, an latus, an longus, an hoc vel illo modo (situs).

PRÆAMBULUM III. petere id quod volo, quod est proprium petere in Passione, (nempe) dolorem cum Christo doloribus pleno, confractionem cum Christo fracto, lachrymas, poenam internam de tanta poena, quam Christus passus est pro me.

Peto hæc omnia a te Domine Jesu in hac hora meditationis per sanguinem, quem acerba agonia pro me in monte Oliveti fudisti; exaudi me et animum dispone, ut nullam perdam gratiam.

PUNCTUM I.

"Primo, Dominus facta Cœna et cantans hymnum, profectus est ad montem Oliveti cum suis discipulis metu plenis: et relinquens octo in Gethsemani dicens: Sedete hic donec vadam illuc et orem."

Itaque cantans hymnum reliquit cœnaculum et ivit ad hortum ut Passionem suam exordiatur. Cantat autem Dominus hymnum cum discipulis, primum, in gratiarum actionem instituti tanti *Sacramenti*, per quod vere divinus honor Patri sit exhibendus, in omni terra ad finem orbis terrarum et usque ad finem temporum, et per quod tot gratiæ hominibus sint communicandæ! Cantat porro hymnum in signum *conformationis* perfectissimæ voluntatis suæ cum voluntate divina quoad passionem instantem et ut nobis exemplum præberet quali cum hilaritate et alacritate obviam

eundum sit adversitatibus atque probationibus quibuscunque, etsi pro Christo vita ponenda sit, quam ipse prior posuit pro nobis. Interim metu implebantur discipuli quia nondum noverunt mysterium crucis; utinam saltem medium adhibuissent, quod Christus suo exemplo eisdem suasit, dicens: "*Sedete hic donec vadam illuc et orem*". Utique *orandum* est, et oratione cor muniendum ad perferendas ingruentes persecutionum probationes. Quonam itaque animo ego ingruentes adversitates excipio? Num non perturbor et potius ab hominibus solatium et robur quam a Deo per orationem obtinere studeo, et orationem forsitan recte in adversitatum tempestate omitto aut remissius perago? Quid mirum si tunc deficio. Felix cujus est Dominus in adversitate quavis refugium et virtus, ad quem statim per orationis exercitium et praxim refugit. Non derelinquetur a Deo suo.

PUNCTUM II.

"*Secundo, assumptis comitibus S. Petro, S. Jacobo et S. Joanne oravit ter ad Dominum dicens: Pater mi si possibile est, transeat a me calix iste: verum tamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis. Et existens in agonia orabat prolixius.*"

Dedit mihi Christus in hac oratione sua ad Patrem exemplum quomodo oratio mea comparata esse debeat, ut per eam conforter in angustiis et necessitatibus meis. Orat nempe primo cum profundissima *humilitate*. Non enim tantum orat, sed *positis* in terram *genibus* (*b*) orat; imo ut S. Matthæus testatur, "*procidit in faciem suam orans et dicens: Pater mi*". Tanta humilitate et reverentia oravit Christus et Salvator meus; et quam sæpe ego in oratione oblitus quasi quocum loquor in humilitate etreverentia deficio. Quodsi vero semper humiliter et reverenter orandum, imprimis autem tunc quando imminet probatio atque adversitas. Et quidem quam facile ita cum Deo agam memor indignitatis et vilitatis propriæ, et quod ob mea peccata omnem utique promeruerim castigationem. Alterum quod me docet exemplo suæ orationis Dominus, est plena in voluntatem Dei *resignatio*. Non prohibeor quidem et ego ad Patrem in angustiis et adversitatibus imminentibus orare: "*Pater mi, si possibile est, transeat calix iste a me*;" sed semper illud quoque promptissima voluntate addam oportet: "*verumtamen non mea sed tua voluntas fiat Domine*". Quid æquius, quam resignatio in voluntatem Sanctistimi, Justissimi, et simul Amantissimi et Sapientissimi Dei et Patris. Et tamen quoties in hac resignatione defeci atque deficio identidem? Tertium est, orat quamvis non exaudiri videatur, orat eundem sermonem tam *prolixius* et sic me docet *fervorem* et *constantiam* atque *perseverantiam* in oratione. Quomodo e contra mea oratio comparata est imprimis tempore

instantis angustiæ, num tunc oro instanter et cum fervore perseveranter? Attendam adhuc in specie ad verbum illud: existens in *agonia*. In tantum ergo peccata mea afflixerunt Dominum ut vel sola recordatione eorum et instantis Passionis propter ea, agoniæ angustias pateretur! Et ego levitati locum dem et non potius *agonizarem* ut Spiritus S. me monet pro justitia (c), ut me ab angustiis agoniæ in articulo mortis salvarem et Dominum ab hac acerba agonia doloris et timoris liberarem? Utique, etsi usque ad agoniæ terrores pro justitia certandum et patiendum esset, nihilominus persistendum esset; et persistam quoque dummodo in orationis studio non deficio. Harum itaque admonitionum memor considerabo maxima cum mentis recollectione Jesum orantem; quomodo in terram prostratus, et faciem suam in eam ponens pro me ad Patrem oret.

PUNCTUM III.

"*Tertio, in tantum timorem venit, ut diceret: Tristis est anima mea usque ad mortem; et sudavit sanguinem tam copiosum, ut dicat S. Lucas: factus est sudor ejus sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Id quod jam supponit vestimenta esse (fuisse) plena sanguine.*"

Colligam adhuc magis animum meum, ut visu mentis videam Salvatoris tristitiam, et sanguinis sudorem, quem propter me in oratione fudit. Quo utique compassionis sensu fuissem repletus, et simul quo horrore peccati perculsus, si tunc faciem Salvatoris vidissem, quando expaluit præ timore, et quando crescente angustia sanguinem sudare incepit, et quando sanguis hic ex toto corpore promanans etiam vestes penetrare cœperat, id quod supponit eas fuisse sanguine plenas; qui sanguis dein de corpore sacratissimo Salvatoris in terram decurrebat. Vide et contemplare anima mea Salvatorem hoc suo pretiosissimo sanguine superfusum et præ tristitia agonizantem. Et quid tandem vidit, quæ cogitavit, quæ perhorrescebat, ut plane in profundissimum hoc mare doloris mergeretur? Vidit Dominus Jesus, vidit peccata omnium plane hominum, vidit clarissime omnem illorum numerum et reatum; vidit justitiæ divinæ rigorem et instantem suam propterea Passionem, qui voluntarie factus est *agnus Dei*, qui tollit peccata mundi; vidit pericula salutis omnium, vidit interitum tantarum animarum; pro quibus sanguis suus fundendus at frustra fundendus erat propter eorum in malo obfirmatam voluntatem; vidit Salvator hominum *interitum* sempiternum tot hominum, et ideo sanguinem sudat præ tristitiæ angore. Vidit in specie Christus peccata *mea* et *pericula salutis meæ*. Quid autem egissem, quid dixissem Salvatori meo, quando in horto illo eum videre, et alloqui fas fuisset? Quid cogitassem de peccato, de salutis meæ negotio, de pretio passionis et amoris Domini Nostri, si in *illo* loco genua ponere licuisset, et in faciem procidere in terra illa, quæ hoc sudore sanguinis Christi fuit madefacta?

Spiritu saltem me ad locum hunc conferam et prosternam me, et dicam Salvatori Jesu meo, quæ cor meum cum eo afflictum et confractum mihi suggesserit, ad afferendam ei guttam solatii in tanta, quam pro me passus est, tristitia.

COLLOQUIUM. Tristis utique usque ad mortem est quoque anima mea, o bone Jesu, dum ad tantam tristitiæ tuæ angustiam reflecto. Quis enim causa ejus, quis nisi ego ipse! Non horreo infernum adeo quam tu o Jesu sanctissime, peccatum etiam levissimum abhorres. Et nihilominus omnibus meis peccatis onerare te voluisti et per ea in tantum timorem agoniæ pervenire?! Et etiam tunc tristitia obrutus et sudore sanguinis perfusus mei recordabaris, atque pro me Patri omnem laborem cordis tui et quamlibet guttam sanguinis obtulisti, quæ de tuo tunc corpore in terram defluebat! Tangam spiritu vestes has tuas sanguine madidas. O quis sensus cordis ad hunc attactum?! et quodsi virtus a te exibat sanans ægrotam, quæ aliquando fide plena vestimenti tui fimbriam tangebat; quomodo non virtus a te sanans me prodiret dum has vestes tuo sanguine madidas in monte Oliveti spiritu prehendo, ut saner a frigore tepiditatis et peccati? Non eram ibi præsens, ut aliquod tibi solatium afferre licuisset, verum possum nunc supplere, quæ tunc agere non potui. Faciam id omni quo possum mentis sincero affectu. Est autem solatium unicum quod a me exspectas, et quod tibi adferre possum, hoc, ut nempe omni cura et sollicitudine invigilem saluti animæ ne pereat, quam tantis angustiis et Passionis labore redemisti, in specie vero hoc proposito serio et efficaci guttam solatii tibi adferam, ut nempe per omnia et imprimis in adversitatibus quibuscunque in divinam me plene atque plenissime resignem Voluntatem. Atque ita abhinc sit et fiat! Meam voluntatem tuæ uniendo, tuis verbis in hac ipsa hora mente prostratus ad latus tuum in monte Oliveti, ubi pro me sanguinem sudasti, ad cœlestem Patrem clamo atque obtestor: "*Non mea sed tua voluntas fiat Domine.*" Quidquid de me statueris, quidquid mihi veniat, quædemumcunque tristitia me expectet: non sicut ego volo sed sicut tu; ita profiteor atque contestor. Infunde Domine Jesu in cor meum orationis amorem, fervorem et perseverantiam et vigilantiam ad evitanda salutis pericula, ut quod solemni contestatione promitto, etiam fideli constantia confortatus de cœlo præstem perseveranter.

Tu autem Pater cœlestis, qui Filium tuum propter me non audivisti, ut calix ille transiret ab ipso, exaudi me, ut orationis spiritu confortatus etiam bibam et ego eum cum ipso, prout tibi placitum erit ad meam et animarum salutem, et magnam atque maximam tui Nominis Gloriam. — Amen, Amen. — Pater Noster.

---

a) *Matth*, 26; *Marc*. 14. *b*) *Luec*. 22, 41. *c*) *Eccl*. 4, 33,

CONTEMPLATIO.

DE MYSTERIIS FACTIS AB HORTO USQUE AD DOMUM ANNÆ INCLUSIVE.

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I. — Memoria historiæ passionis (a).

PRÆLUDIUM II. — Compositio. Hic erit videre appropinquantem Judam cum cohorte militum totumque apparatum armorum atque laqueorum, quibus instructi veniunt ad *capiendum* Jesum.

PRÆLUDIUM III. — Erit petere gratiam quam volo. Hic erit petere gratiam, ut non cum vehementia et toto justitiæ rigore me opponam persecutionibus adhibitis studiose conquisitis ad resistendum mediis, sed ut Providentiæ divinæ dem locum animo tranquillo atque pacato et in Deum plene resignato, monente Apostolo: "*non vosmetipsos defendentes charissimi, sed date locum iræ*"(b).

PUNCTUM I.

"*Primo, Dominus se osculandum permittit Judæ et comprehendi (a satellitibus); quibus dixit: Tanquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me: quotidie apud vos sedebam docens in templo et non me tenuistis. Et dicente eo: quem quæritis! ceciderunt in terram inimici.*"

Ivit ingratus atque obduratus discipulus ad *vendendum* Dominum; redit nunc ad eum *tradendum* et eligit signum, quo tota Christi erga eum benevolentia, amicitia et amor comprobabatur; "*Qui autem tradidit eum dedit eis signum dicens: quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et confestim accedens ad Jesum ait: Ave Rabbi. Et osculatus est eum*" (c). O quanta in hoc discipulo lapso obduratio! Osculatur Dominum, quo osculo ei utique in memoriam revocabantur tot et tanta amoris et benevolentiæ Christi erga eum documenta; et tamen non sentit vocem gratiæ revocantis eum ab abysso iniquitatis. Est sane cur attente contempler hoc Judæ osculum. Lego quod in Cœna requieverit Joannes in sinu Jesu et admiror benevolentiam Christi, erga discipulum prædilectum sed qua admiratione non abripior videndo quod osculum a traditore admiserit Christus. O quis sensus cordis Jesu, in hoc osculo Judæ quando in illo amaritudinem sensit tot traditionum, quibus homines eum per peccata suis inimicis tradunt, et in specie amaritudinem, qua cor ejus afficitur per defectionem talium a statu gratiæ, quos specialibus donis gratiæ sibi univit; et in specie itaque eorum, quos tam gratiosa electione sua ut nos dignabatur. Quod ne fiat, sæpe et inprimis in hac hora

reflectam ad verba ultima, quæ Salvator discipulo suo dixit: "*Amice, ad quid venisti? — Juda, osculo filium hominis tradis*" (d)? Adhuc eum appellat *amicum*; o qualis agni divini mansuetudo! *Ad quid venisti?* Hæc verba etiam ad me referam et quotidie mihi suggeram, videlicet eo sensu, quo fidelis servus et discipulus Christi S. Bernardus hæc sibi identidem acclamabat ad augendum in semetipso zelum perfectionis; "*ad quid venisti*", quare mundum dereliquisti? quare statum perfectionis ingressus es? quo consilio? qua intentione? qua spe et fervore? Erit hæc recordatio optimum antidotum ne unquam ex ore Jesu audiam exprobrationem terribilem Judæ proditori factam: *ad quid venisti*!! Num itaque eo te perducere debuerat gratia vocationis ad meam Societatem et Apostolatum, ut tradas me?! — Absit, absit a me Domine Jesu tam grande infortunium et crimen, ut perdendo et prodendo tot tui erga me amoris documenta, tradam te unquam per consensum in peccatum quod rumperet amicitiam inter me et te. Sed in quovis tentationum assultu amplectar sanctam tuam crucem atque te in illa osculo salutando, confirmabo hoc signo amoris cordis propositum: potius omnia tormenta et mortem ipsam perferendi, quam te deserendi.

"*Tanquam ad latronem exiistis*". Erat Judas *fur* et libere incedit. Capitur Christus ut *latro*, qui tamen nobis omnia dedit et seipsum totum in instituto SS. Sacramento. Ita mundus perversus speciem sceleris a sceleratis in innocentes amat refundere. Quid mirum, si et nobis sequendo Christum similia contingant. Ceciderunt autem qui eum capere veniebant in terram ad responsum ejus: "*Ego sum*". Reflectam et ego in adversitate quavis ad hoc responsum Christi: "*Ego sum*", et securus agam. Cadent utique etiam coram me omnes adversarii in causa Christi retrorsum, ubi in ejus auxilio reposuero spem et confidentiam, nec poterunt nocere mihi; sed tantum poterunt agere quæ Deus permittit, ut agant sicque augeant merita patientiæ et passionis pro Nomine Christi. — Ruunt quidem in terras, sed iterum permittit Christus eis surgere. Quoties id contingit, ut ad primum impetum resiliant inimici crucis Christi, ita tamen ut iterato ausu tandem prævaleant. Ita permittit Sapientia et Bonitus divina ut et malis detur occasio resipiscendi et bonis occasio se melius præparandi ad tolerantiam adversitatum pro Christo. Reflectam ad id, ut capiam fructum pro præsenti et futura mea vita.

PUNCTUM II.

„*Secundo, S. Petrus vulneravit quendam servum Pontificis, cui mansuetus Dominus dixit: Converte gladium tuum in locum suum; et sanavit vulnus servi.*"

Permisit Dominus ut *oscularetur* a Juda; — permisit ut comprehenderetur velut latro; permisit, ut a terra surgerent inimici ejus; non autem permisit ut *violenter tueretur* liberareturque ab eisdem, quamvis instaret mors ipsi, et nonnisi per summam injuriam manus ei injicerentur. Hic spiritus Christi et ideo etiam spiritus Ecclesiæ suæ, et omnium qui in ea Dominum sequuntur ejus spiritu animati, juxta illud primitivorum Christianorum principium tempore persecutionum, nempe: melius occidi quam occidere. Absit ut in tuenda causa Christi alios vulnerem, sed potius curandum, ut si per zelum indiscretum id ab aliis fieri contingat, sanem, in quantum in mea potestate erit vulnera talia. Charius quidem quam vita ipsa debet nobis esse quidquid regnum Christi spectat, nec quidquam admittendum quantum ex nobis est, ne nostra socordia damnum patiatur; verum nec prætereundus modus in illo tuendo et promovendo, qui magis juxta exemplum Christi in fortitudine *patientiæ* reponitur quam in æstu præpostero zeli amari et vehementis. — Num hæc mea semper fuit agendorum ratio; num saltem in posterum erit? — Quot heu forsitan per zelum amarum vulneravi; num aliquem sanavi? Reflectam ad exemplum S. Francisci Salesii, S. Francisci Xaverii et tot aliorum, imprimis ad exemplum patientissimorum SS. Martyrum. Ut horum autem exemplum in sequela Christi imiter, excitabo et *fovebo* in me maximam confidentiam in Dei Providentiam.

PUNCTUM III.

"*Tertio, derelictus a suis discipulis, pertrahitur ad Annam, ubi S. Petrus qui eum secutus erat a longe, eum negavit semel; et Chrsito data fuit alapa* (*a ministro*) *dicente illi: Sic respondes Pontifici?*"

Permisit et hanc afflictionem cordis Christus Dominus, ut a suis derelinqueretur et sollicitudine amoris ductus, ne propter eum male haberentur, ipse illis ad hoc potestatem fecit, dicens satellitibus: "*si ergo me quæritis sinite hos abire*" (e). Sim quoque ego liber atque liberrimus ab omni affectione mere humana etiamsi essent personæ optimæ et Deo charissimæ, non sim eis ita addictus, ut non separationem a quovis homine ferrem patienter propter Christum, imo et libenter. Secutus quidem eum erat Petrus, sed a longe. Singularem hic attentionem meretur additum hoc ab Evangelista verbum: *a longe*. Ne videlicet lapsu miserrimo denegem unquam Christum, aliter utique sequar eum, quam Petrus illa nocte in qua miserimo lapsu defecit a Domino. Est utique semper instans periculum negandi Christum per lapsum in peccatum, si quidem a longe i. e. remisse, timide, tepide eum sequimur; quare potius quam *proxime* eum sequar, per renovatum in dies spiritus

fervorem cum magno amore adversitatum propter Christum tolerandarum.

Tandem *cæditur* Christus, summus Pontifex secundum ordinem Melchisedech in æternum, quasi male respondisset Pontifici, qui umbram dignitatis ejus gessit in terra et tamen nec verbum protulit quo offenderetur. Tanta contra se fieri permisit Dominus Jesus, ut mihi suo exemplo viam patientiæ demonstraret et commendaret, ut per eam incedens salvem animam. Itaque respondebo nunc huic summo Pontifici et Salvatori et ego, ut dicam ei, quæ cor meum impleant desideria propositaque, ut ejus causa patiar quæcunque mecum agi permittat.

COLLOQUIUM ad Matrem dolerosam, ad Christum et Patrem.

---

a) *Matth. c.* 26. *Luc. c.* 22. *Marc. c.* 13. — *b*) *Rom.* 12, 19. — *c*) *Matth.* 26, 48–49. — *d*) *Matth.* 26, 50. *Luc.* 22, 48. — *e*) *Joann.* 18, 8.

CONTEMPLATIO.

DE MYSTERIIS A DOMO ANNÆ USQUE AD DOMUM CAIPHÆ INCLUSIVE.

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I. — Memoria historiæ Passionis (a).

PRÆLUDIUM II. — Compositio. Erit hic videre *teterrimum carcerem*, in quem Jesum duxerunt illa nocte.

PRÆLUDIUM III. — Erit petere gratiam quam volo. Hic erit petere claram cognitionem enormis *ingratitudinis* et nequitiæ peccatorum meorum erga Christum Dominum, prout S. Petrus delictum lapsus sui agnovit, et spiritum sensumque pœnitentiæ, quo cor ejus conterebatur, et quo tam amare flevit peccatum suum.

PUNCTUM I.

"*Primo, illum pertrahunt ligatum a domo Annæ ad domum Caiphæ, ubi S. Petrus eum bis negavit et respectus a Domino egressus foras flevit amare.*"

Quis sibi fidat, qui Petrum negantem et pejerantem considerat, eadem nocte, qua mori pro Christo paratum se ostendit, qua et reapse quoque gladium ad eum defendendum produxit, qua usque ad domum

ubi captivus Dominus morabatur eum secutus est, et in qua nihilominus Dominum negabat et pernegabat. Causam tristis hujus lapsus assignat SS. Patres in præcedentibus verbis. Pertrahunt nempe Christum *ligatum*. Vinculis his funibusque in spirituali significatione, sub qua omnis vita imprimis autem Passio Domini Nostri consideranda est, denotantur inordinatæ atque vitiosæ affectiones passionesque hominum. Ejusmodi fune etiam Petrus Dominum ligabat et ideo eum negabat. Erat autem funis passionis Petri, præsumptio quædam nimia de se ipso, a qua eum Dominus remedio *lapsus* sanari voluit. — O terribile remedium *permissio lapsus*, ut homo dein respectus a Domino respiciat tandem se ipsum et proprio experimento suæ fragilitatis convictus, cognoscat se, ut despiciat se, et in suis oculis vilescat, jam non in se confidens sed tantum in Domino. "*Egressus autem foras Petrus flevit amare*". Egreditur, quia jam humilis factus, et foras in se reversus, o quam amare flevit peccatum suum! Contemplabor attentius Petrum *flentem;* quia singularem gratiam pœnitentiæ seriæ Jesus videtur annexisse exemplo hujus sui discipuli pœnitentis. Quis utique satis contemplari posset atque intelligere quem dolorem cor Petri sensit quando Dominus eum intuitus erat, et quando oculos misericosdissimi et amabilissimi Domini intuens totam malitiam criminis sui uno quasi obtutu cernebat. Quodsi lachrymæ illæ, quas S. Maria Magdalena in cœnaculo ad pedes Christi flebat cor nostrum ad pœnitentiam tam efficaciter commovent, haud minus fletus Petri in atrio. Imprimis quod viros attinet ad vitam apostolicam vocatos; habent hi in Petri exemplo admonitionem et incitamentum quam efficacissimum, quo ad emendationem et pœnitentiam excitentur, qualem Dominus ab eis exigit, ut digne munere suo fungantur. Exstirpanda videlicet funditus omnis amoris proprii præsumptio est, siquidem constantes in ministerio Christi esse volumus, imprimis tempore persecutionis. Rumpendus est funis cujusvis inordinatæ affectionis aut passionis, quo Christus ligatur. Conservandus contra in nobis semper est affectus commiserationis cum lapsis. 'Prout nempe iidem SS. Patres passim observant, permisit Dominus hunc lapsum Petri, cui imprimis claves cœlorum tradidit i. e., ministerium reconciliationis, ut conscius proprio experimento infirmitatis humanæ cum lapsis in spiritu mansuetudinis et commiserationis agat, juxta illud Apostoli: "*Omnis Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum — qui condolere possit iis, qui ignorant et errant: quoniam et ipse circumdatus est infirmitate* (b). Vae illi qui aliter ageret, non esset hic rigor spiritus Christi, et haberet talis quæ timeret, ne Dominus permittendo lapsum in peccatum sanet eum a spiritu rigoris amari.

Num liber sum a spiritu præsumptionis? num quantum ex me est occasiones lapsus fugio? num in specie conversationem otiosam cum

personis alterius sexus? Labitur S. Petrus ad vocem ancillæ? — An peccata mea satis cognoscere studeo? an satis de illis doleo? an sat frequenter et diligenter media adhibeo reconciliationis, imprimis frequentem usum Sacramenti pœnitentiæ? — Quæ mea cum peccatoribus Deo reconciliandis ratio? num mansuete et commiserando ago ad exemplum S. Ambrosii flentis cum pœnitentibus peccata confitentibus; ad exemplum S. P. Ignatii et S. Xaverii, S. Salesii? vel contra, num cum eisdem non ago impatienter duriusque? O Jesu benignissime! ad te oculos levo, ut quondam S. Petrus; dignare me intueri hac hora meditationis oculo gratiæ talis, cui jam non resistam sed egrediar cum Petro foras, egrediar ex tepiditate vitæ hucusque peractæ, quæ toties in occasiones lapsus me perducebat; egrediar foras ex atrio vitæ imperfectæ, ubi se ad ignem passionum calefaciunt homines mundani, et sic fleam amare inordinationem vitæ meæ et lapsum et abnegationem non trinam sed centesimam et plus quam milesimam, qua te per consensum in peccata negabam et pernegabam; utinam non in ipsa vita religiosa, saltem agendo ita ut negare visus fuerim statum *perfectionis* quem profiteor! — Verbis Psaltis ad te clamo Domine: "*Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam, verum tamen aspice in me, et miserere mei, secundum judicium diligentium* NOMEN *tuum. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum et non dominetur mei omnis injustitia. Faciem tuam illumina super servum tuum: et doce me facere justificationes tuas*" (c).

PUNCTUM II.

"*Secundo, mansit Jesus tota illa nocte ligatus.*"

Erit in hoc et sequenti puncto reflectere ad ea, quorum recordatio imprimis conferet ad excitandum fovendumque dolorem de peccatis ut sequar spiritu contrito et humiliato Petrum pœnitentem, et ad capiendum fructum hujus hebdomadæ, videlicet ut magno animi motu deleam fleamque peccata mea; et ut sentiam dolorem cum Christo doloribus pleno, et confractionem cum eo fracto sentiendo pœnam internam de tanta pœna quam Christus passus est pro me. Primum quod hunc in finem expendam est reflectere ad *moram* et protractionem temporis, quo Christum peccatis et imperfectionibus meis affligebam. — Mansit Christus in carcere illo *tota* illa nocte ligatus. Quæram ex me, per quale jam tempus Christus in corde meo maneat ligatus? per quot dies noctesque, per quas semper distuli et differo, ut eum liberem rumpendo vincula quibus ligatur et stringitur? Jam intellexi quænam hæc sint, videlicet inordinatæ vitæ meæ hucusque peractæ affectiones, passiones, consuetudinesque. Quomodo non doleam et vehementer doleam et confundar totus coram

Christo in carcere ligato, reflectendo per quam *diuturnum* tempus jam meam plenam et sinceram conversionem et novam vitam exspectet; nempe talem, qualem vocationis meæ ratio a me exigat. O bone atque patientissime Jesu, tu qui corda hominum intueris, tu utique noscis quem dolorem sentio reflectendo, *quamdiu* me exspectes, qui nunquam adhuc fortiter satisque constanter rupi vincula peccatorum atque imperfectionum mearum, vincula consuetudinum vitæ tepidæ et nequaquam spiritui vocationis meæ conformium. Num etiam in hac hora et hoc tempore sacro, gratiis tam abundanter refectus ligatum te permittam in carcere proprii cordis?! Nequaquam, sed solvam hæc vincula contritione vera et emendationis proposito *explicito* et serio. Ita cum gratia tua o Jesu spero. Fac, ut cum Psalte exclamem: "*Dirupisti vincula mea*" ut jam non sis, amplius per me ligatus.

PUNCTUM III.

"*Tertio, præterea ii qui tenebant eum captivum, illudebant ei et percutiebant eum, et velabant ei faciem et dabant ei alapas et interrogabant eum: Prophetiza nobis, quis est, qui te percussit? et similia blasphemabant contra illum.*"

Alterum, ad quod hodie et sæpe instituta contemplatione reflectam, ut ad contritionem sinceram quam efficacissime me excitem, est, cogitare quis tandem *ego* sim qui Christum per peccata vitæ anteactæ offendebat, et adhucdum per vitæ inordinationem et imperfectionem offendat.

Quod injuriæ atrocitatem spectat, video illam per circumstantias Passionis expressam quæ hic meditanda occurruut. Tenent Christum captivum, illudunt ei, percutiebant eum, velabant ejus faciem, dabantque ei alapas. Hæc utique injuria peccati cujusvis gravis. Intellexi hæc jam probe in meditationibus de peccato in Hebdomada prima institutis, et heu! quoties Jesum Deum et Salvatorem meum injuria hac affeci. Verum participat etiam abundanter de hac injuria peccatum leve, vitaque tepida cum suis innumeris imperfectionibus. Quamdiu hisce nævis vitiisque irretitus tenebam Christum captivum, affectionibus consuetudinibusque vitæ vanæ et imperfectæ, qua impeditur ne in me et per me agere potest quæ vult? et illudebam ei frangendo tot proposita, quæ tam serio videbar stabilisse et peccando in tam electo statu, per leviora licet delicta, affligebam eum tamen multum et hoc cum clara cognitione, quid a me expectet et quæ ipsi debeam, oblivione tot gratiarum, quas ab ipso accepi et sic quasi velabam faciem ejus. Interrogabant illi provocabantque Dominum ad responsum his verbis clamorosis: "*Prophetiza nobis, quis te percussit?*" O quis et quantus dolor de peccatis a me commissis cor meum

implet atque implere debet referendo hæc ad me? Jam non est necesse, ut prophetizet Christus; clare enim conscientia et experientia mihi respondet, quis sim qui tali injuria affeceram Christum. *Ego* sum, quem Dominus tanta charitatis prædilectione ex nihilo produxit, ad imaginem suam creavit, quem e cœlo descendens quæsivit et pretiosissimo suo sanguine et propria morte redemit; quem ex tot gentibus elegit et ad fidem et Ecclesiam suam sanctam vocavit; quem in Ecclesia tamdiu tolerabat licet ingratum et peccatorem; quem tam misericorditer ad pœnitentiam vocavit; cui tot et tanta peccata remisit; quem absque ullis suis meritis præ innumeris aliis ipso dignioribus ad statum religionis, ad suam dilectam Societatem vocavit et cui in ipsa sua Societate tot documenta specialis amoris et liberalitatis exhibuit!! — Et tamen *tamdiu* potui Christum Deum et Dominum et benignissimum Salvatorem affligere? Quis dabit oculis meis lachrymas Petri et omnium pœnitentium totius mundi, ut fleam digne inordinationem vitæ meæ, et me emendem perfecte.

Blasphemabant illi; benedicam ego te Dominum omni quo possum gratitudinis affectu, qui me non obstante hac enormi tarditate et duritie cordis tamdiu et tam patienter tolerasti! "*Pro hac ad te orabit omnis Sanctus* (*d*)." Ita Domine Jesu! pro hac gratia et longanimitate, et pro gratia contritionis seriæ quam hodie, ut firma spe spero, mihi elargiri dignaris, laudet te omnis Sanctus. Omnis Sanctus in terris, omnis Sanctus in cœlis, quibuscum affectum cordis mei meumque propositum in hac hora conjungo, tibique offero in compensationem injuriæ nocte illa in carcere pro me toleratæ.

COLLOQUIUM ad Matrem dolorosam ad Christum et Patrem.

---

a) *Matth.* 26. *b*) *Hebr.* 5, 1-2. *c*) *Ps.* 118, 132—136. *d*) *Ps.* 31, 6.

CONTEMPLATIO.

DE MYSTERIIS FACTIS A DOMO CAIPHÆ USQUE AD (DOMUM) PILATI INCLUSIVE.

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I. — Memoria historiæ Passionis (a).

PRÆLUDIUM II. — Compositio loci. Erit hic mente spectare *tumultum* quocum Judæi Dominum mane diei Parasceves ducunt ad Pilatum. Erit simul videre plateam per quam ducunt Dominum et *forum judiciale* Pilati.

PRÆLUDIUM III. — Petere gratiam quam volo. Hic erit petere a Domino gratiam, ut hominum judicia nequaquam timeam, sed sincere atque constanter cum Apostolo profitear, quoties propter opera ministerii sacri et zelum pro Christo calumniis atque sinistris hominum judiciis exagitor: "*Mihi autem pro minimo est, ut a vobis judicer, aut ab humana die* (*b*).

PUNCTUM I.

"*Primo, pertrahit eum omnis multitudo Judæorum ad Pilatum, et coram illo eum accusant dicentes: Hunc invenimus subvertentem gentem nostram et prohibentem tributa dare Cæsari.*"

Considerabo primum attente personas, ut fructum ex aspectu tali capiam. Qualis utique differentia inter aspectum Jesu innocentissimi et inter Pilatum et Scribas et Pharisæos ac Sacerdotes lapsos, seductores hominum. Quanta in Christo judicando innocentiæ candor, tranquillitas atque dolorosa amabilitas! Qualis contra in Pilato judicante inquieta anxietas! et qualis in accusantibus Judæis rabies et conscientiæ obduratæ pertinacia!

Num etiam hæc mansueta tranquillitas mentis et pax bonæ conscientiæ me ubique comitantur? Num non in specie dum false accusor, anxie perturbor et inquietus reddor? Esset signum quod adhuc timeam homines timore satis inani et vano. Reflectam dein ad judicium ipsum quod instituebatur de Jesu et quidem primo audiam et expendam accusationem. Accusant autem eum, quod subverterit gentem, et prohibuerit tributa dare Cæsari. Sic ergo etiam Christus Dominus accusabatur coram externis, non tam de morum aut religionis aliquo vitio, quam de *politicis* turbis, a quibus commovendis tamen nemo longior aberat quam Ipse. Quid Evangelium Christi cum machinationibus politicis?! Et tamen ita accusabatur. Est hæc accusatio non minima consolatio imprimis pro nobis, qui Societati Jesu adscripti sumus, quæ per iniquissimas calumnias, quamvis remotissima ab omni politico motu, tamen constanter accusatur de criminibus politicis, quasi ubique terrarum commoveat plebem nec permittat eas in pace jura sua curare. Quemadmodum S. Augustinus de convitio scribens, quo Christum coram eodem Pilato post ejus mortem nominabant *seductorem:* Hoc, ait, appellabatur nomine Dominus Jesus Christus, ad *solatium* servorum suorum, quando dicuntur *seductores* (c). Non ergo de eo agitur, num accuser ab hominibus, et num a multis, aut num etiam ab ejusmodi hominibus in auctoritate constitutis accuser, quales erant accusatores Christi, Scribæ, Pharisæi et Sacerdotes, i. e. ab hominibus cæterum doctis et apparenter piis et auctoritate præfulgentibus; sed hoc videndum *quales accusationes ipsæ sint*, num *veræ* an *falsæ*.

PUNCTUM II.

"Secundo, postquam Pilatus eum semel et iterum examinasset, ait Pilatus: Ego nullam in eo invenio causam."

Stetit itaque Christus Deus–homo coram homine peccatore pro tribunali et judicabat *homo* Deum suum et Salvatorem! Non invenit in eo causam ullam!! Hic deberet etiam finis accusationum esse, si quæ contra me propter Christum fiant, ut instituto examine appareant vanæ *falsæque*, et ut neque dem ex parte mea ullam legitimam causam, ut accuser. Non invenit in eo causam, et quare cum nihilominus non liberat? quare cum latrone et homicida comparat? utique quia seipsum non examinabat iterumque examinabat; invenisset tunc utique causam in se propter quam *se ipsum* condemnaret. Et quæ hujus socordiæ causa? Quia *veritatem* non amabat. Interrogavit quidem quid est veritas? sed cum hæc dixisset exivit ad Judæos foras, non audito responso. Et hoc est judicium mundi, quod veritatem non amat; et hoc criterium amatorum mundi et inimicorum Christi, quod veritatem non ament, nec velint *audire*, ne debeant ad cor *redire*, sed potius calumniis atque mendaciis eam opprimere studeant. Mentita utique est iniquitas sibi inde ab origine mundi, et primo hominis lapsu, et adhuedum mentitur sibi. Non audiunt filii sæculi hujus nec æstimant responsum veritatis, sed tergum ei vertunt cum Pilato inique judicante. Audiam illud ego, diligam *veritatem*, memor verborum Cnristi in hoc judicio: *"Quia rex sum ego. Ego ad hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Omnis qui ex veritate est, audit vocem meam."*

Diligam utique veritatem diligendo eum qui dixit: *"Ego sum veritas"* et totam vitam, omneque studium laborum in id intendam, ut testimonium perhibeam veritati. Quodsi amor hic veritatis cor meum impleat atque persuasio firma de justitia, et probitate atque sanctitate causæ, quam pro vocationis officio inter homines promoveo atque defendo, tanquam miles in regno Chriti: etiam robur veritatis me tuebitur, ne succumbam unquam propter vanum timorem judiciorum hominum.

PUNCTUM III.

"Tertio ei prælatus fuit Barabbas latro: clamaverunt omnes dicentes: non hunc sed Barabbam."

Præfertur itaque homo peccator Ei, qui tulit peccatum suum et peccata totius mundi. Præfertur filius hominis peccatoris, Filio Dei vivi. Præfertur latro ei, qui voluntaria sua paupertate nos ditavit omnes, a quo omnia habemus, et qui thesauros gratiæ et gloriæ nobis totius

vitæ meritis iterum comparavit auxitque. Præfertur homicida ei, qui vitam suam posuit pro ipso et pro nobis omnibus. Præfertur *Barabbas* — *Jesu*! O quæ comparatio, quæ electio, et quis dolor cordis dolorosissimi Jesu indignitatem hujus comparationis atque ingratitudinem hominum sentientis, qui toties ei præferunt res vilissimas hujus terræ, abominandaque passionum lenocinia, et peccatorum nefanda consilia, desideria, fœdaque crimina. Heu quoties etiam ego hoc dolore cor tuum affeceram, o bone Jesu! Curabo jam, ut amodo atque imprimis in *hac* hora meditationis aliquo modo compensem injuriam toties tibi illatam, quoties tibi tuoque servitio prætuli amoris proprii, amoris mundi, sensualitatisque atque superbiæ desideria, votaque; sed jam toto cordis affectu instauro electionem atque oblationem qua meditando de Regno tuo me penitus tibi tuæque militiæ consecrabam, et coram te totaque curia cœlesti et coram orbe universo protestor atque proclamo: "*Te Jesum eligo*"*!* sis tu vita mea, etiamsi corpore mihi ideo esset centies moriendum. Te eligo atque in specie, te in tua benedicta, at simul tecum tam inique judicata et afflicta Societate. — Nec ulla promissio, nec ulla vis hominum me a te illaque unquam avellere poterit; ita cum gratia tua confido Domine. Barabbam vero ad mortem postulo, Barabbam nempe vitæ meæ præteritæ peccaminosæ, tepidæ, et imperfectæ. Utique quot gratias, quot merita, quot accessiones meritorum jam furata est mihi hæc mea præterita vivendi ratio! Moriatur jam latro ille, nempe amor meus *proprius*. Tu vero Jesu prædilecte et a me præelecte, in me jam vive!

Colloquium cum Christo passo et cum Patre cœlesti; in fine dicam Pater noster.

Matth. 27. *Luc.* 25, *et Marc.* 15. *Joann.* 18. — *b*) 1. *Cor.* 4, 3. — *c*) *S. Aug. in Ps.* 63. 7.

CONTEMPLATIO.

DE MYSTERIIS EACTIS A DOMO PILATI USQUE AD (DOMUM) HERODIS.

Oratio Præparatoria consueta.

Præludium I. — Memoria historiæ Passionis (a).

Præludium II. — Compositio. Erit hic videre palatium Herodis ad quod perducunt Dominum nostrum; quam sit splendidum atque exquisitis modis ornatum, juxta morem *filiorum sæculi* cum luxu et pompa.

PRÆLUDIUM III. — Erit petere gratiam, quam volo. Hic erit petere gratiam, ut quam alienissimus sim a *spiritu* hujus mundi, et ut libenter a filiis hujus sæculi despiciar et pro stulto habear, propter zelum pietatis et labores ministerii sacri, nulla tamen a me ad id data culpa.

PUNCTUM I.

"*Primo Pilatus misit Jesum* (*utpote*) *Galilæum ad Herodem, Tetrarcham Galileæ*".

Quid sperandum pro Christo, quid pro ejus sociis, quando respectus humanus causam remittit ad tribunal voluptatis? Mittit Pilatus Christum Dominum ad Herodem. Occidit hic ejus Præcursorem; quid de homine tali pro Christo sperandum erat, quid de ejus justitiæ fervore, qui innocentem jam occidit ad puellæ saltantis postulatum?! Attendam autem in specie ad personas, quæ hic contemplandæ occurrunt. Procedit ex suis sumtuosissime ornatis cubiculis Herodes auro gemmisque fulgens, homo mundanus, effeminatus, luxuria fœdatus, procerum copiosa aula circumdatus, quorum vel solus aspectus satis declarat quid sint quibusque rebus delectentur; homines videlicet erant ejusdem farinæ ac Herodes ipse, sensuales et tales quales Apostolus his verbis describit: "*homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, sine affectione, incontinentes, proditores, protervi, tumidi, immites, sine benignitate et voluptatum amatores magis quam Dei*" (b). Coram his sæculi corrupti filiis, "*quorum Deus venter est*" (c), coram ejusmodi hominibus comparet Christus pauperrimus et humillimus, purissimus atque innocentissimus, Passionem et mortem sustinens ex amore erga Patrem cœlestem et animas. Aspiciam attente *pauperrimum* Jesum, quomodo hæc ejus paupertas in palatio Herodis eo magis intuentium oculos ferire debuit. "*Regnum meum non est de hoc mundo*", ita paulo ante in domo Pilati declaravit (d) sed etiam *spiritus* ejus non est spiritus mundi; hoc totus suus aspectus, totaque agendi ratio coram Herode et asseclas ejus declarabat.

Habeo hic monitum, ut me examinem serio, quis spiritus me impleat, num spiritus Christi an spiritus mundi? Num amo consortium sæcularium, eorumque favorem? Quæ in specie mea affectio sit, erga *paupertatem*, ut eam amem atque servem in cubiculo, vestitu et tota vivendi ratione? Num in hac mea vivendi consuetudine nihil sæculum redolet? O quam præclarum habeo exemplum Spiritus Christi, qui est Spiritus quoque omnium verorum sociorum ejus, in Patribus primitivæ Societatis! Quam longe erant a sectandis commoditatibus hujus sæculi, et a sectandis mundanorum hominum vitæ deliciis. Nihil utique magni efficiam

pro Christo, nec ero in ejus imitatione atque ministerio constans ingruente adversitate, si studium commoditatum sæculi adhuc captivum me tenet. Examinabo me hac super re serio admodum, et cum tua gratia pauper atque humilis Jesu, emendabo me!

PUNCTUM II.

"*Secundo, Herodes curiosus interrogavit eum multum, et ille nihil ei respondit licet Scribæ et Sacerdotes constanter eum accusarent*".

Quærit curiosus Herodes; non in eo erat vitium quod Jesum quæsierit, sed cur eum quæsierat; videlicet non ut cor ejus illuminaretur ac sanaretur a Christo, sed quærit, ut simpliciter *curiositati* suæ satisfaceret, eratque cupidus videre miraculum. Quærit ille multis, silet vero Christus et nihil ei respondet. Contemplabor, admirabor, imitabor studiose silentium hoc Domini nostri Jesu Christi. Non est curiositas filiorum hujus mundi, qui insatiabili pruritu novitati student, proprietas verorum discipulorum Jesu, et eo minus *loquacitas* atque pruritus sese diffudendi; sed "*est tempus tacendi, et tempus loquendi*", ut S. Spiritus per os Sapientis nos admonet (e). Nec ex solo quasi pruritu loquendi aliis non dispositis communicanda cordis nostri sensa, licet in se bona sint et sublimia monente Domino: "*Neque mittatis margaritas ante porcos* (f). Hisce animalibus comparantur utique homines sensuales, quales erant Herodiani; "*animalis enim homo*", ut scribit Apostolus "*non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei; stultitia enim est illi et non potest intelligere* (g). Quæram itaque ex me: Num amo colloquia cum sæcularibus? num me ipsis imprudenter communico? quomodo servo *silentium*? quomodo in genere curo custodiam *linguæ?* Numquam profecto homo *curiosus*, novitatum sectator, et loquax erit genuinus socius Jesu; etsi videri sibi velit sequi Christum, vellet ipsum sequi ut Herodes, nempe quasi per *miraculum*; duobus dominis servire cupiens mundo et Christo. — Utinam in hisce exercitiis daretur mihi extinguere ex toto spiritum sæculi, et discere custodiam perfectam linguæ; qui enim hoc noverit "*perfectus est vir*", ut scribit Apostolus: contra vero minatur, "*si quis putat se religiosum esse non refrænans linguam suam, hujus vana est religio*". *Ep. Jac. c.* 3. O quam seria hæc est Spiritus S. admonitio, ut attendam ad *silentium* Christi et fructum exinde capiam; imprimis tacendo de me, et non proloquendo, quæ non nisi ad comparandam vanam gloriam conferrent; loquendo autem libenter de Christo defendam constanter ejus causam, nec sinam me in hac constantia defensionis vinci a constantia accusationis, qua videlicet pertinacia constanti inimici Christi usque ad præsens tempus accusant, et persequuntur discipulos Christi, eadem identidem per summam calumniam oggerendo.

PUNCTUM III.

"Tertio, Herodes eum sprevit cum exercitu suo, induens eum veste alba".

Sprevit Herodes Dominum, eumque stultis comparat induendo eum vestitu stultorum. Spernit et modo et sprevit semper mundus perversus Christum incarnatum Verbum Dei. Sprevit Herodes *silentium* Christi. Spernit mundus etiam *verbum* ejus, dicente Apostolo: *"Verbum enim crucis pereuntibus stultitia est"* (i). Estque hic locus, ut intuendo in Jesum ab Herode derisum reflectam ad normam vitæ, quam ex Societatis spiritu juxta S. Patris præscriptum et monitum vivam, abhorrendo ex toto a mundi spiritu, et sectando quam perfectissime potero exemplum Christi. Ita enim S. Pater Constitutione undecima monet suos: "Quemadmodum mundani homines, qui ea, quæ mundi sunt, sequuntur, diligunt et quærunt magna cum diligentia honores, famam, magni nominis existimationem in terra, sicut mundus eos docet; sic qui procedunt in spiritu et serio Christum Dominum nostrum sequuntur, amant et ardenter exoptant, quæ iis omnino contraria sunt; indui nimirum eadem *veste* ac insignibus Domini sui pro ipsius amore et reverentia: adeo, ut, si sine offensione ulla Divinæ Majestatis et absque proximi peccato foret, vellent contumelias, falsa testimonia et injurias pati, ac stulti haberi et existimari (nulla tamen ad id per eos data occasione) eo quod exoptent assimilari ac imitari aliquo modo Creatorem ac Dominum nostrum ejusque vestitu et insignibus indui". — Num hoc desiderium quoque cordis mei? num hæc vitæ meæ agendi ratio et comparatio? Figam quam sæpissime in Christum *spretum* oculos, qui nobis exemplum dedit, ut in omnibus aspirante divina gratia eum imitari et sequi velimus, cum vera sit via, quæ ducit homines ad vitam.

Restat, ut ad pœnam reflectam, qua Christus Herodem totumque exercitum ejus punivit. *Non est locutus ei.* Et hæc utique omnium pœnarum divinarum maxima: subtractio inspirationum atque admonitionum divinarum. Væ homini, cui Dominus silet. Agam Christo gratias quas possum maximas, quod hæc pœna, quam toties promerebam resistendo ejus inspirationibus nondum me puniverit, sed quod adhuc mihi loquatur et adeo frequenter et affabiliter loquatur. Quoties utique, o Jesu, quoties in his ipsis Exercitiis locutus es mihi! quoties sentiebam, et vel in hoc ipso momento sentio vocem tuam, qua loqueris ad cor meum, ut sequar exemplum tuum! Faciam id Domine, studeboque compensare tibi injuriam, qua Herodes cum suo exercitu te sprevit, et tecum modo ad magnum et maximum cordis mei solatium colloquar!

COLLOQUIUM ad Christum passum et ad Patrem cœlestem.

---

a) *Luc.* 23. — *b*) 2. *Timoth.* 3, 7 *et* 3. — *c*) *Phil.* 3, 19. — *d*) *Joan.* 18, 36. — *e*) *Eccles.* 3, 7. — *f*) *Matth.* 7, 6. — *g*) *I. Cor.* 2, 14. — *i*) *I. Cor.* 1, 18.

CONTEMPLATIO.

DE MYSTERIIS FACTIS A DOMO HERODIS USQUE AD DOMUM PILATI.

Oratio Præparatoria consueta.

Præludium I. — Memoria historiæ Passionis (a).

Præludium II. — Compositio. Erit hic videre atrium in domo Pilati et omnem *apparatum* ad flagellationem Christi — videlicet columnam, funem, flagella et spinas pro plectenda corona.

Præludium III. — Petere gratiam quam volo. Hic erit petere gratiam, ut clariorem adhuc notitiam peccatorum meorum recipiam, videlicet, quod *toties* eum offendebam, sentiamque confractionem cum Christo dolorosissimam, ob tot mea peccata, et confirmer in proposito sequendi Christum, etsi ideo ab universo mundo in maligno posito rejiciar atque condemner.

PUNCTUM I.

"Primo, Herodes remittit eum ad Pilatum, ob quam causam facti sunt amici, cum prius essent inimici."

Considerandum hic primo quam miseranda atque inanis fuerit hæc Pilati atque Herodis contracta iterum amicitia. Quid enim juvit illos amicitia ad invicem, dum interim amicitiam ejus perdunt, qui solus nos Deo reconciliavit, dum essemus ejus inimici (b). De hac utique amicitia mundi, quæ simul inimica aut incuria est salutis, scribit Apostolus: *„Amicitia hujus mundi inimica est Dei; quicunque ergo voluerit amicus esse hujus sæculi, inimicus Dei constituitur"* (c). Consentiunt permittuntque amici hujus sæculi, ut regnum Christi calumnias et persecutiones patiatur, et si fieri posset eisdem supprimatur; et quoties, quando contra ecclesiam Dei res agitur, ejus persecutores, etsi alias sibi adversentur, tamen contra Ecclesiam conspirant et fiunt amici. Quam longe hi pejores adhuc sunt Herode et Pilato?! — Contemnenda itaque fugiendaque amicitia mundi, nec propter pacis studium, quod utique summopere nobis cordi esse debet, causa Christi est prodenda aut deserenda; sed potius omnium, etiamsi mihi sanguine et aliis relationibus conjunctissimorum amicitia perdenda. Utique, Domine, quid mihi Herodis et Pilati i. e. mundi vani amicitia, dicente Apostolo: *"si hominibus adhuc placerem, non essem servus Christi"* (d); sed ita vivam, ut inter illos esse merear, quibus in persona discipulorum tuorum aliquando dixisti:

"*Vos autem dixi amicos*" (*e*). Quibus utique hæc dices, Salvator mi, quam quos *sociorum* nomine dignatus es? Odiat me mundus, sed sis tu, o dulcis Jesu, semper mihi *amicus* et ego semper tibi. Profecto, si jam de amico inter homines fideli et vero scriptum est atque a Spiritu S. testatum: "*Qui invenit illum, invenit thesaurum; amico fideli nulla comparatio et digna ponderatio auri et argenti; amicus fidelis medicamentum vitæ et immortalitatis* (f). Nonne hæc imprimis de tua amicitia valent atque de te scripta sunt o Jesu, inter amicos fidelissime, qui posuisti animam tuam pro me. Quodsi itaque de amicitia Jonathæ erga David in specie scriptum legitur: "*anima Jonathæ conglutinata est animæ David, et dilexit eum Jonathas quasi animam suam*" (g), qua tandem amicitia tibi conjungar, *fili David?* Conglutinata enim est anima mea tibi per prætiosissimum sanguinem, quo me redemisti tibique conjunxisti, quem utique non tantum diligo, ut animam sed infinities plus quam animam meam; ideoque nec calamitas ulla, nec mors ipsa rumpet hoc vinculum amicitiæ atque amoris mei erga te. Ita cum gratia tua spero, Domine.

PUNCTUM II.

"*Secundo, apprehendit Jesum Pilatus, et flagellavit; et milites fecerunt coronam de spinis, et posuerunt eam super caput ejus: et vestierunt eum purpura et veniebant ad eum et dicebant: Ave, Rex Judæorum; et dabant ei alapas*".

Erit itaque, omni qua possum mentis attentione et vivida repræsentatione videre, quomodo crudeles et ab inimicis Christi excitati milites Jesum apprehendebant, quomodo ejus vestes detrahunt — quomodo ad columnam ligant, flagella protrahunt et choro circa illum facto omni qua possunt vehementia Jesum flagellare incipiunt, excitando se invicem verbo et exemplo ad feriendum fortius crudeliusque Dominum. Audiam intra me collectus hunc strepitum flagellorum!! — Erit itaque videre quomodo corpus ejus virgineum sub flagellorum horum ictibus intumescat — dilaceretur!! Hæc itaque jam modo quasi præsentia contemplabor cogitando: *quis* patiatur — *quid* patiatur — *a quo* et *pro quo* ea patiatur. Quot peccata commisi — tot flagellorum ictus etiam a me pertulit Jesus! Væ dum hunc *numerum* peccatorum meorum expendo! *quoties* peccabam cogitatione — verbo — opere — desiderio per totam meam vitam! quomodo non confundar et exciter ad dolendum, ad tristandum et plangendum peccata mea. Doleo utique amarissimo affectu et fletu, doleo, Domine Jesu, tecum confractus videndo et contemplando hoc tormentum Passionis tuæ, et simul reflectendo, quomodo ego ipse ejusdem causa exstiterim: et quomodo tu nihilominus omne Passionis hujus meritum

Patri cœlesti pro me obtuleris. — Quid retribuam tibi, Domine, pro tanta erga me charitate? aut quomodo compensem injuriam atque tormenta illa tibi illata? Jam non amplius peccabo, non augebo tormentum Passionis multiplicando peccata, sed studebo per *numerum* bonorum operum aliquomodo compensare tibi dolorem, quem tibi causabam per numerum ingentem peccatorum meorum!

Scidit tandem aliquis funem, quo ad columnam ligabatur Christus, et corruit Divinus Salvator in sanguinem flagellatione profusum, suo aspectu in memoriam revocans verba Prophetæ: "*Ego autem vermis et non homo*" (h). Tanta itaque pro me passus est Jesus, ut ab inferni æternis pœnis, quas toties promerueram, me eriperet! — Scindam et ego hodie funem consuetudinis vitæ tepidæ, quæ in tot peccata atque imperfectiones me pertraxit ac pertrahit, atque in iisdem me ligatum tenuit. Cessavit flagellatio, non cessavit Christi Passio; sed plectunt *coronam* de spinis et ponunt eam super caput ejus. Compatior tibi o dolorosissime Jesu, et simul culpa rubet vultus meus et frangit contritione cor meum. Quot peccata imprimis *cogitationibus* commisi, tot spinas in hanc coronam plectebam, o bone Jesu! Cogitasti de me æterno consilio nonnisi cogitationes pacis et salutis; et ego quoties tui oblitus ad te non cogitabam, aut raro admodum cogitabam. Contra vero, quot cogitationum spinis caput tuum sacratissimum vulneravi cogitationibus dico vanis, superbis, iracundis, impuris, invidis, mundanis? Et ego non plangam lachrymis pœnitentiæ et contritionis hanc meam insaniam et mentis cœcitatem?! Verum amodo jam compensabo quantum potero dolorem, quo affligebam te hac coronatione, o dolorosissime Jesu, cogitando unice, quomodo tibi placere tuumque Regnum promovere in terris possem. Illudebant tibi Judæi imponendo tibi purpuram clamando et dicendo: "*Ave Rex Judæorum*". Prosternam me nunc coram te præstando tibi homagium servitutis meæ, qua te in Regem et ducem jam elegi, ut sequar te. Ita, Domine: "*Ave Rex meus*"! Sim ego vero tuus subditus et omnes vitæ meæ labores in id impendam, ut et alii et utinam omnes plane homines in orbe universo te ex corde Regem salutent!

PUNCTUM III.

"*Tertio, eduxit eum foras in conspectum omnium. Exivit ergo Jesus portans coronam et purpureum vestimentum, et dixit eis Pilatus: Ecce homo! Et cum vidissent eum Pontifices clamabant dicentes: Crucifige, crucifige*".

Sic itaque procedit Jesus flagellatus et spinis coronatus, nudipes et totus sanguine manans, ut videatur ab universo populo, et dixit eis Pila-

tus: "Ecce homo"! Ecce homo ille, cui acclamastis ante sex dies: Hosanna filio David — Hosanna in excelsis! ECCE HOMO! O qualis homo! Considerabo utique eum, ut cognoscam ejus in me inmensam charitatem, et meam contra eum inmensam ingratitudinem. *Ecce homo*, et simul *ecce Deus*, qui propter me meamque salutem descendit de cœlis, et licet in forma Dei esset *exinanivit* semetipsum formam servi accipiens, et habitu inventus ut homo. Ecce quomodo homines eum etiam hac forma spoliarunt, ut jam quasi non inveniretur habitu ut homo. "*Vidimus eum*, clamat dolens Propheta, *et non erat aspectus, vidimus eum: novissimum virorum, virum dolorum, et scientem infirmitatem, et quasi absconditus vultus ejus*" (i). Erat utique sanguine et tumore absconditus vultus Jesu, quando sanguine manantibus oculis intuebatur populum tot tantisque beneficiis ab eo donatum, et qui nunc eum ad crucem et mortem postulat. O qualis et quantus clamor: "*Crucifige, crucifige eum*"! sic clamabant Judæi in tanto numero ad festum Paschatis Jerosolymis congregati. Audiam et attendam mente hunc clamorem — — et inter has voces audiam etiam *meam!!* Ita plane, audiam etiam vocem meam; ita enim ego toties clamabam, quoties novo consensu in peccatum consentiebam, cogitatione, verbo, et opere. O qualis clamor, et qualis dolor cordis Jesu, vulnerati, angustiati atque afflicti ob tantam hominum erga se ingratitudinem! Ita itaque clamabant et illi, quibus per miraculum visum, loquelam, auditum, sanitatem et fors vitam ipsam reddidit! Ita clamabam etiam *ego*, cui tot tantaque beneficia quoad corpus et animam elargitus est misericordissimus Jesus. — "*Ecce homo*", hæc verba in specie quoque "ad me referam" reflectendo ad omnia hæc beneficia et tam gratiosam erga me Dei providentiam, quam ego tamen toties spernebam et Deum et Salvatorem meum tot tantisque peccatis offendebam. Ecce *homo*, ecce *christianus*, ecce *religiosus* — ecce *socius* Jesu! quæ et quanta Jesus elargitus est ei? — quæ et quanta ab ipso exspectabat? — et tamen quam longe aliter vixit? quot et quantis peccatis Jesum offendit, et adhucdum ei non servit, eo quo is vult modo. — Numquid non totus mundus omnesque creaturæ divinam erga me Justitiam provocare potuissent et adhuc provocare possent clamando: *crucifigatur* et non tantum hoc; nam hoc tormentum Jesus ipse pro me tulit; sed *tolle* eum, et a facie tua remove, et sempiterno supplicio puni! Utique Domine nil minus promeritus fui; sed adhuc errata corrigere et penitus me emendare possum, dummodo crucifigam ipse in me veterem hominem, et vivam imitando te per vitam novam. *Ecce homo.* Ita, o Jesu, de me etiam post Exercitia dicendum foret: Ecce homo, alius plane quam fuit; inprimis, ut liber evadam ab omni desiderio auræ et benevolentiæ popularis, cujus desiderium tantum impedimentum est zeli apostolici. Et hoc non ita, ut toties in aliis propositis meis contigerat, videlicet ut sit

emendatio et immutatio ad tempus; sed imprimis id requiritur, ut jam confirmer ad perseverantiam constantem, procul a tristi ea dispositione, quam *arundo* significat, qua percutiebant caput tuum et quam manu tenuisti coram populo, qui te post tam exiguum temporis spatium negavit. Per merita Passionis tuæ, o Jesu, oro te, ab omni inconstantia in servandis propositis meis libera me.

Colloquium ad dolorosam Virginem Matrem, ad Christum passum et ad Patrem cœlestem.

---

a) *Matth.* 27; *Lucc.* 23; *Marc.* 15; *Ioan.* 19. *b*) *Rom.* 5, 10. *c*) *Iacob.* 4, 4. *d*) *Galat.* 1. 10. *e*) *Ioan.* 15, 15, *f*) *Eccl.* 6, 14—16. *g*) 1. *Reg.* 18, 1, *h*) *Ps.* 21, 7. *i*) *Is.* 53, 2—3. —

CONTEMPLATIO.

DE MYSTERIIS FACTIS A DOMO PILATI USQUE AD CRUCEM INCLUSIVE.

Oratio Præparatoria consueta.

Præludium I. — Memoria historiæ Passionis (a).

Præludium II. — Compositio. Erit hic videre *crucem* quam pararunt Domino, quam ille portavit, et cui tandem affixus est; quam grandis illa fuerit, et quomodo comparata.

Præludium III. — Petere gratiam quam volo; hic erit petere gratiam *patientiæ* in ferendis adversitatibus ob amorem erga Dominum, ut constanter pro eo crucem feram

PUNCTUM I.

"*Primo, Pilatus sedens ut Judex, tradidit illis Jesum, ut eum crucifigerent, postquam illum Judæi negassent Regem dicentes: Non habemus regem nisi Cæsarem.*"

Sedet Pilatus ut Judex, sed egit ut reus, factus nempe reus vel per hoc ipsum judicium crimine maximo, tradens Jesum Judæis, ut eum crucifigerent; se ipsum autem tradens potestatibus tenebrarum, ut eum aliquando torquerent in æternum. Lavat interim manus suas dicens: "*Innocens ego sum a sanguine justi hujus: vos videritis*" (*b*). Capiam

ego hæc contemplando ex tristi exemplo, se ut innocentem excusantis, et innocentem accusantium, fructum pro vita mea. Monet Pilatus suo exemplo quantum malum sit formare sibi conscientiæ dictamen illusorium. Videri volunt etiam et ipsi accusantes agere tantum ex officio conscientiæ. Discam exinde, ut omni cura studeam conscientiæ puritati et simul dictamen conscientiæ *legitimum* semper formare curem. Est hoc monitum utique gravissimum non tantum tempore adversitatum, sed passim; quoniam ex vocationis officio non tantum *propriæ* conscientiæ invigilandum, et legitimum dictamen semper formandum sit, sed etiam quia tot *aliorum* conscientia dijudicanda atque dirigenda est. Primum utique, ne errem, illud est, ut ex toto corde Jesu adhæream tantum ejus Regnum et non meipsum quærens. Clamabant Judæi: Non habemus Regem nisi Cæsarem i. e. non curamus aliud nisi sæculum et hujus terræ bona. Clamem ego: non habeo Regem nisi Jesum propter quem et obedio temporali potestati. Hæc sinceritas cordis, libera ab illusionibus respectus humani et passionum impetu, omnino requiritur ad formandam dirigendamque legitime propriam et aliorum conscientiam. Habent fors alii, si in hoc deficiunt aliquam excusationem ut manus lavent; non haberem ego, utpote tot adminiculis doctrinæ sanæ et disciplinæ religiosæ instructus. Clamabant Judæi: "*sanguis ejus super nos et super filios nostros*" (c). Clamabo et ego, ut lavem conscientiam ab omni labe peccati: Sanguis tuus, o Jesu, super me et super universa opera mea; amplius lava me ab iniquitate mea, ut aliquando salvus persistam in judicio tuo.

PUNCTUM II.

"*Secundo, portabat crucem humeris suis, et cum non posset eam portare, coactus fuit Simon Cyrenæus, ut illam portaret post Jesum.*"

Erit hic primum considerare, quo affectu desiderii, amoris, atque resignationis in voluntatem Patris Jesus salutaverit crucem, postquam in conspectum et amplexum ejus ruerit. O qualis aspectus et qualis amplexus!! Quid sentit tunc cor Jesu, quando crucem amplexatus est! Quodsi jam S. Andreas videndo crucem sibi propter Domini confessionem præparatam tanto cum affectu amoris atque desiderii eam salutaverit, amplexatus et osculatus sit, dicens clamansque: "O bona Crux, diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quæsita et cupienti animo tandem præparata, accipe me ab hominibus et redde me magistro meo" quonam affectu et quo cordis *colloquio* Dominus crucem illam, propter quam nobis crux quævis tam dulcis et pretiosa facta est, salutavit, ut per eam ab hominibus acceptus in ea Patri offeratur pro salute totius mundi! Considerabo itaque diutius hunc amplexum quo Dominus crucem amplexatus est, et curabo ut fructum exinde capiam, videlicet ex-

citando me ejus exemplo, ut tollam quoque ego crucem mihi paratam eamque quam patientissime cum Christo et propter Christum feram. Qui enim creavit me sine me, non salvabit me sine me. Necesse itaque est, ut portem cum Domino crucem ejus, quæ simul esse debet crux mea, ita tamen, ut id non faciam quasi coactus, ut Simon, qui nondum noverat mysterium crucis, sed libenter et quam libentissime atque promptissime eam feram. Nec profecto deerit hoc patientiæ amorosæ robur, siquidem identidem reflectam ad exemplum Christi crucem bajulantis, et ad ea omnia, quæ fides de adversitatum propter Christum et cum Christo toleratarum pretio docet, inprimis: quod omnis plane adversitas nonnisi ita ordinante vel vero ita permittente divina Sapientia et gratiosissima Providentia, super nos veniat; sed et quod via crucis sit via ad salutem beatamque æternitatem, et nota prædestinationis siquidem patienter toleratur, et pondus meritorum et simul mensura conglorificationis futuræ cum Christo. Utique hæc assidue rememorabo et in cor penitus demittendo, clamabo et ego amore crucis incensus cum seraphica Virgine Theresia a Jesu: "*aut pati aut mori*"; et cum S. Xaverio: "*Hæc mihi crux maxima foret, non habere crucem*"; et ut cum S. Ignatio hoc amore crucis in patientia probe fundatus, lubens,ut Ecclesia de illo testatur, etiam ego *devorem* adversitates quasvis mihi obvenientes propter Christum. — Num ita semper fueram animo comparatus? An ex manu Dei crucem quamlibet acceperam? Qua resignatione, qua patientia, qua constantia eam portabam? "*Patientia* enim, ut monet Spiritus S. per Apostolum, *opus perfectum habet*". Et iterum: "*Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes reportetis promissionem*". Et monente ipso Domino: "*In patientia vestra possidebitis animas vestras*" (*d*).

PUNCTUM III.

"*Tertio, crucifixerunt eum in medio duorum latronum ponentes hunc titulum: Jesus Nazarenus Rex Judæorum.*"

Pervenit tandem patientissimus et dolore plenus Jesus ad montem Calvariæ et ibi cruci *affigitur*. Non enim tantum patienter incipiendum et progrediendum, sed etiam perseverandum est, et ita consumandum opus laboriosum vitæ nostræ. Considerabo jam quam attentissime quæ tunc agebantur, quando Jesus videns crucem in terra prostratam et clavos paratos ad eum affigendum, omnes hos cruciatus pro me in se suscipiens et Patri cœlesti in meam salutem offerens, in lectulum duræ crucis procubuit, ut eidem affigatur. Audiam mente ictus malleorum quibus clavi in sacratissimas ejus manus, pedesque infiguntur. O quales ac quantos cruciatus propter me passus est Dominus Jesus! Sic itaque cruci affixus elevatur a terra et crux in fossam demittitur. Sentit terra

concussionem hanc; sentit illam etiam infernus; sentit cœlum et orbis universus: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, peccata mea.* O qualis aspectus, aspectus "CRUCIFIXI JESU"! quando omnia ejus vulnera aperiebantur et sanguis copiosissime defflueret per totum sacratissimum ejus corpus. O si datum mihi fuisset vel per unicum momentum vidisse Salvatorem in cruce pendentem! qualem pro tota vita fructum exinde tulissem, in specie ad comparandam servandamque patientiam in toleranda cruce mihi a Domino per adversitates hujus vitæ destinata, cui affixus cum S. Paulo exclamem: "*Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est et ego mundo* (*e*)." Memor verborum ejusdem Apostoli: *Scientes quia vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati et ultra non serviamus peccato* (*f*). Hoc autem ut locum obtineat necesse est, ut in medio duorum latronum cruci affixus hæream, qui simul moriantur. Sunt autem latrones hi duo: amor proprius et amor creaturarum; seu sunt superbia et voluptas vitæ. His tandem renuntiando penitus, et per professionem religiosam virtute trium quatuorve votorum quasi affixus vitæ statui, per quem mihi iter ad cœlestem patriam securum paratur, compatiar Christo, ut habeam etiam partem cum ipso in Regno ejus beato. Sitque titulus crucis meæ: "*Socius Jesu crucifixi*"; titulus nempe non tribus tantum sed omnibus linguis mundi scriptus, memor moniti S. Petri: "*Nemo autem vestrum patiatur ut homicida aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat: glorificet autem Deum in isto* NOMINE (*g*)." O vere dulcis et pretiosissimus titulus crucis nostræ siquidem propter Nomen Jesu digni habemur persecutionem pati crucique affigi. Hæc mente spectans jam figam oculos in crucifixum meum Salvatorem et Colloquium affectuosissimum doloris et amoris atque oblationis mei totius, ad patiendum cum ipso instituam.

COLLOQUIUM, cum Christo cruci affixo.

---

a) *Ioan.* 19. *b*) *Matth.* 27, 24—25. *c*) *Matth.* 27, 25. *d*) *Iacob.* 1, 4; *Heb.* 10, 36; *Lucc.* 21, 19. *e*) *Gal.* 6. 14. *f*) *Rom.* 6, 6—7. *g*) 1. *Pet.* 4, 14—16. —

CONTEMPLATIO.

DE MYSTERIIS FACTIS IN CRUCE.

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I. Memoria historiæ Passionis (a).

PRÆLUDIUM II. Compositio. Erit hic videre montem Calvariæ et simul tristem faciem regionis et orbis universi ingruentibus tenebris propter obscurationem solis, et me componam sub cruce Domini, quasi essem in illo monte essetque hodie dies *Parasceves*.

PRÆLUDIUM III. Erit petere gratiam quam volo. Hic erit petere gratiam ut fructum eum in hac hora meditationis capiam, quem percepissem siquidem die Parasceves cum B. V. Maria matre dolorosa et S. Joanne sub Cruce Domini stetissem, eundemque pro me cruci affixum oculis meis contemplatus fuissem ; imprimis petam gratiam *finalis perseverantiæ*.

PUNCTUM I.

"*Primo, locutus est septem verba in cruce : oravit pro iis, qui eum crucifigebant ; veniam dedit latroni ; commendavit S. Joannem Matri suæ, et S. Joanni Matrem ; dixit alta voce : sitio et dederunt ei fel et acetum ; dixit : se esse derelictum ; dixit : consummatum est ; dixit : Pater in manus tuas commendo spiritum meum.*

Levando itaque oculos ad Jesum propter me cruci affixum, suprema ejus verba intra me collectus auribus cordis mei audiam, memor verborum Domini per Prophetam Zachariam dicentis: "*Et effundam super domum David et super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ et precum, et aspiciant ad me quem transfixerunt, et plangent eum planctu quasi super Unigenitum et dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti*" (b). His verbis Propheta prænuntiat devotionem, dolorem, et simul fructum gratiæ, quem accepturi sint, qui frequenter simul atque diligenter in Salvatorem crucifixum intuentur. Faciam illud et ego frequenter, imprimis in hac hora meditationis et audiam verba Salvatoris, quasi ex ipso ejus ore ea audirem in hoc ipso momento sub cruce, ut intelligam ex eis quid ex parte mea facere debeam, ad obtinendam gratiam perseverantiæ finalis.

"PATER DIMITTE ILLIS : NON ENIM SCIUNT QUID FACIUNT".

Ita orat Christus cruci affixus ad Patrem. Orabat autem, ut S. Paulus testatur, "*cum clamore valido et lachrymis*" (b). Orabat sic in cruce Jesus Dei Filius ad Patrem pro omnibus et singulis, etiam pro *me* in

specie, mihique exorabat veniam et "*exauditus est pro sua reverentia*" propter instantiam orationis ferventissimæ et propter dignitatem personæ suæ. O si Jesum vidissem totum sanguine manantem et orantem, si ipse audivissem clamorem hunc Salvatoris in cruce et lachrymas pœnitentiæ, quas pro mea reconciliatione fudit in cruce, obtulitque cum omni tolerantia Passionis cœlesti Patri pro me, qualem horrorem peccati concepissem et per totam vitam in corde retinuissem? Audiam saltem mente clamorem hunc et singultus lachrymantis pro me Jesu crucifixi. Est hæc prima conditio ad *perseverandum*, ut videlicet jam non sim cœcus et ignorans, sed ut clare præ oculis habeam totam malitiam peccati, ne unquam relabendo crucifigam iterum sciens volensque Dominum in corde meo. — Remittam simul ex corde propter Christum omnem offensam, qua unquam fui ab hominibus offensus, sicut volo ut remittatur mihi debitum peccati mei propter Christum.

"AMEN DICO TIBI: HODIE MECUM ERIS IN PARADISO".

Qualis et quanta consolatio replevit cor conversi latronis audiendo hoc verbum ex ore ipsius Salvatoris crucifixi! Non dubitavit utique, sed quam firmissime speravit atque confidit in verbum atque auxilium Domini. Et ita promisit Dominus non tantum illi, sed cuilibet animæ ex corde pœnitenti atque in ipso *confidenti*. Utique et mihi a Domino promissio hæc facta est, dummodo ita peccatum meum fleo atque detestor ut latro ille, et spe firmissima confidam in Jesum. Eram utique et ego latro, surripiendo toties Domino laudem quam ipsi soli debeo. Verumtamen convertam me ad te, o bone Jesu, prout aliquando Dismas in cruce; et in hoc ipso momento verba ejus assumam dicendo tibi Salvatori meo, non tantum: Memento mei, cum *veneris* in regnum tuum; sed: Memento mei in Regno tuo, o Jesu, quod jam victor ingressus es, et ubi nunc coram Patre Mediator noster, eidem merita Passionis exhibes etiam pro me, supplicando eidem pro mea salute. Memento mei *hodie* et verbum illud etiam mihi dicere dignare confirmando me in gratia, ut perseverem donec illucescat dies, qui mihi erit supremus, ut tunc a te et mihi dicatur: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Quod a me requiris, Domine, est plena conversio ad te, plenaque confidentia in te. Da, Domine, quod jubes atque desideras, ut hodie tecum ingrediar paradisum gratiæ, et jam nunquam egrediar ex illo amplius; sed proficiam de die in diem in via, quæ ducit ad perfectionem, atque sic ad Paradisum in cœlis.

"MULIER, ECCE FILIUS TUUS; — DEINDE DICIT DISCIPULO: ECCE MATER TUA".

Erit hic primum contemplare et reflectere, quid Dominus senserit quando verbum hoc de cruce protulerat; et quid Mater dolorosa senserit sub cruce; et quid discipulus S. Joannes illud audiendo. Deinde reflectam quid ego sentire debeam verbum hoc per S. Joannem, qui omnium

nostrum gessit personam, referendo ad me ipsum. Adeo itaque dilexit me Dominus licet per peccata mea crucifixus, ut Matrem suam mihi daret in Matrem. O amor meus crucifixus, quid dicam de te?! Ago tibi gratias quas possum intensissimas de tanto dono, de tanta gratia, qui eundo ad Patrem mihi in præsidium et Mediatricem dedisti propriam Matrem! Utique exequar hanc supremam tuam voluntatem, suprema et maxima cura ad extremum usque halitum. Suscipiam Mariam in Matrem rogando et supplicando eam, ut etiam ipsa me indignissimum, qui Filium ejus unigenitum cruci affigebam, suscipiat in filium. Projiciam me modo, quasi cum Ipsa sub cruce Domini subsisterem, ad pedes ejus, offerendo ei obsequia cordis et amoris cum affectu S. Ignatii et S. Xaverii, dicamque ei: "*Monstra te esse Matrem*"; monstrabo ego semme esse tuum servum et *filium*, zelando ubique terrarum honorem tuum et reverentiam et amorem.

Est hæc tertia conditio atque medium tertium ad perseverandum, devotio quam maxima ad B. V. Mariam et zelus pro cultu ejus: "*qui enim me invenerit*, ait, *inveniet vitam et hauriet salutem a Domino — et qui elucidant me vitam æternam habebunt*" (c).

"Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me".

Citat Jesus his verbis Psalmum, in quo Psaltes Passionem ejus sed etiam Regnum gloriosum prænuntiat (d). Verumtamen simul abyssum tristitiæ hoc verbo indicat, in quem mergebatur anima ejus, tradendo se tota passioni, non admittendo guttam solatii, quo ex unione cum divinitate in superioribus potentiis inundabatur. O qualis mœror et quanta tristitia, quæ tunc replevit animam et cor Jesu! Obtulit et hanc desolationem pro me Patri cœlesti, ne unquam sim ego absque consolatione, memor hujus ipsius verbi ejus, in cruce ad meam consolationem perennem prolati. — Utique quidquid de me et circa me disposuerit divina Providentia, resignabo et ego me plene atque plenissime in Dei sanctissimam semper, amabilissimamque voluntatem, gratias agendo ei sub cruce Domini mei et Salvatoris, Filii ejus unigeniti, quod non me dereliquerit, qui toties id promeritus fueram; sed quod proprium Filium suum miserit in mundum, et proprio Filio non pepercerit, ut me inveniret et mihi parceret. Utique *non me dereliquisti Domine*! Sentio solatium hoc imprimis hoc tempore, quod mihi concessisti ad salutem tot specialibus gratiis, ut tuus sim, nec unquam te derelinquam!

"Sitio".

Sitiebat Jesus corporali siti effuso tanto sanguine. — Sitiebat infinities magis corde et spiritu. Erat hæc sitis desiderium immensum, quo æstuabat Dominus Jesus, atque desiderabat, promovendi Passione sua Gloriam Patris sui divini atque animarum salutem. Sitivit utique con-

versionem infidelium et peccatorum siti immensa, profectum et sanctificationem bonorum, salutem sempiternam omnium. Sic itaque sitivit Dominus etiam conversionem, sanctificationem atque salutem æternam meam. Numquid permittam eum sitire? Et quid possem tandem facere ad extinguendam aut mitigandam saltem hanc sitim? Possum utique offerendo ei desideria atque proposita cordis mei, cum ipso et propter ipsum sitientis pariter, videlicet majorem Dei gloriam, plenam conversionem atque sanctificationem propriam et aliorum. Hæc desideria propositaque cordis mei imprimis, quæ per hoc tempus Exercitiorum implebant illud atque implent, offeram Domino; erunt ipsi gutta refrigerii. Ita spero, o dulcis Jesu, et cum St. Xaverio sub cruce tua conjungens desideria zeli cum desiderio ejusdem et S. Ignatii et cum siti ipsa divini Cordis tui, clamo atque ingemisco: "*Da mihi animas, Domine, animas*"!!!

Et erit id quintum medium ad perseverandum in gratia videlicet zelus animarum sincerus et quam flagrantissimus, memor verbi Apostoli: "*qui converti fecerit peccatorem ab errore vitæ suæ, salvabit animam ejus a morte et operiet multitudinem peccatorum*" (e).

"CONSUMMATUM EST".

O verbum salutis solatio plenum atque superabundans. Verbum solatii ineffabilis pro Domino, et simul pro omnibus nobis propter Dominum, et propter nosmetipsos. Reflectam nempe primo, qua consolatione Christus Salvator in cruce perfundebatur proferendo verbum hoc: "*Consummatum est*". Quodsi enim jam post Cœnam institutam tanto cum solatio cordis ad Patrem oraverit: "*Opus consummavi, quod dedisti mihi, ut faciam. Et nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum*" (f), et tunc tamen adhuc Passio instaret consummanda; quo tandem sensu verbum hoc dixit Dominus in cruce, consummata quoque Passione cruenta. Consummatum est; finitus est labor totius vitæ meæ, finitus cruciatus omnis corporis, finita afflictio quævis spiritus, jam ingrediar beatam atque beatissimam æternitatem! Consummatum est; destructum est peccatum, devictus infernus, ligatus diabolus, devicta mors corporis et animæ, liberatum est iterum genus humanum, reseratum cœlum, fundatum Regnum Dei super terram, et fontes gratiarum omnibus late aperti. O qualis ac quanta consolatio pro Jesu, dum verbum hoc salutis locutus est de cruce! Audivit illud cœlum et jubilabat; audivit illud et infernus et tremebat; et quid nos homines ad verbum hoc salutis Salvatori dicemus: Consummatum est — *redempti sumus!* Consummatum est; utinam et ego hoc tecum o Jesu exclamare possem: consummatum atque perfectum est in me opus illud grande, quod in me tempore hoc Exercitiorum incœpisti; consummatum atque irrevocabiliter statutum est — servabo promissa fideliter, sequar te etsi mihi per mille tormenta tibi commorien-

dum esset. Atque ita si tibi tantum vixero etiam moriar aliquando tibi tuo in amplexu. O dulce verbum quando finito feliciter vitæ cursu amplexando sanctam tuam crucem dicam: *Consummatum est!* Consummatæ jam sunt vitæ totius probationes, labores, angustiæ; cursum consummavi fidem propositaque servavi, in reliquo jam reposita est mihi corona vitæ. Relinquo terram ut vadam ad cœlum; relinquo Ecclesiam militantem, ut vadam ad Jesum et Ecclesiam ejus triumphantem, jam nullo alio voto detentus, "*desiderium habens dissolvi et esse cum Christo*" (g), cum Jesu meo dicendo:

"Pater in manus tuas commendo spiritum meum".

Dixit verbum hoc postremum in mortali sua vita et "*inclinato capite tradidit spiritum*". Sit hoc verbum hicque affectus etiam ultimum suspirium cordis mei, resignando me in articulo mortis penitus in Dei sanctissimam voluntatem, acceptando cum plenissima subjectione totius mei Esse mortem peccatis promeritam, celebrando Dei justitiam et projiciendo me penitus in brachia infinitæ ejus Misericordiæ. Et cum articulus hic mortis sit unicus et hic momentaneus, præparabo hanc voluntatis meæ dispositionem per totam meam vitam vivendo ita, quasi quotidie moriturus.

PUNCTUM II *).

"*Secundo, sol obscuratus fuit, petræ scissæ, sepulchra aperta, velum templi divisum in duas partes a summo usque deorsum*".

Capiam ex singulis fructum spiritualem considerando, quodsi inanimatæ creaturæ tantum compassionis sensum suo modo per miraculum ostenderint, quanto magis ego per operationem gratiæ debeam compati Salvatori passo et pro me mortuo. Sit autem *effectus* hujus compassionis, ut consideratio tantæ Passionis Domini pro me *obscuret* in me appetitum sensitivum desideriumque deliciarum hujus sæculi; *emolliat* simul cor meum durum nimis; aperiat sepulchrum vitæ meæ sensualis ac tepidæ, ut surgam et testimonium perhibeam Christo per omnem vitæ futuræ rationem, vivens prout viverem resuscitatus ex sepulchro; imprimis vero ut hac contemplatione *scindatur* hodie velamen, quod tamdiu me impedivit, ut viderem et cognoscerem meipsum et Dei circa me voluntatem, nempe velamen amoris mei proprii, utque scindatur a summo usque deorsum, ut cognoscam me meamque miseriam plene, et simul cognoscam te — o Jesu, tuam videlicet erga me infinitam Misericordiam, qua ipse Sacerdos simul et victima ingressus es Sancta Sanctorum, inferendo illuc pro-

*) *Cum primum Punctum sit valde diffusum, singula Puncta potius totidem Meditationibus inservient. Cfr. Adnotationem S. P. ad diem 7. Hebdomadæ III.*

prium sanguinem propitiationis pro me Passione tua fusum. Utinam, Domine Jesu, singuli effectus hi in me plenam habeant adimpletionem, ne creaturæ inanimatæ ingratitudinem cordis mei confundant, et majorem quam ego videantur sensum compassionis tibi exhibuisse. Absit a me, o Jesu, tanta cordis obduratio, tantaque mentis cœcitas!

PUNCTUM III.

"*Blasphemant illum dicentes: Vah, qui destruis templum Dei, descende de cruce; fuerunt divisa vestimenta ejus, percussum lancea latus ejus, manavit aqua et sanguis*".

Considerabo tandem ea, quæ inimici sub Cruce dicunt aguntque, ut fructum capiam. Blasphemant hi; benedicam et laudabo ego eo intensiori affectu cordis Dominum, qui propter me factus est opprobrium atque maledictum in Cruce, et ejus jam per omnem modum zelabo Gloriam. Volunt ut descendat de cruce Ipse, vellent ut et ego ipse descendam. Nihil utique magis desiderat diabolus, nihil magis optant qui ejus sunt, quam ut a cœptis pro Deo et Christo ejus et aliquandiu ferventer gestis, tandem resiliamus, ut fiant postrema deteriora prioribus, dividendo in partes per relapsus in varia peccata vestimentum gratiæ, quo Christum aliquando induimus, sequendo ipsum (h). Nequaquam tamen tam tristis atque lamentabilis finis sit exitus meus atque sors, post tot et tanta in me facta prodigia gratiæ Christi. — Et quorsum confugiam, ut infortunium tam grande a me avertam, nisi ad apertum latus et Cor Jesu? — Reflectam imprimis hodie ad felix hoc atque sacratissimum momentum, quando Cor Jesu in cruce aperiebatur. O si oculis meis conspexissem ictum lanceæ, quo mihi fons hic indeficiens gratiarum aperiebatur, atque sacrarium exauditionis precum mearum! Dixi autem imprimis hodie; nam ubi suavius conquiescam, post tot vehementes Cordis mei labores, consideratione Passionis atque mortis Domini cum ipso confracti, atque doloris jaculis vulnerati, quam in hoc ipso etiam *mihi* aperto *Corde* ejus. Hic itaque subsistam, hic adorabo, hic flebo mortuum Jesum meum, hic gratias agam, hic laudabo atque celebrabo Misericordiam, Amorem, Longanimitatem Dei; hic confirmabo proposita cordis mei clamando cum S. Bernardo: "*Amplius me lava, Domine, ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me, ut purificatus per te ad te purissimum possim accedere, et in corde tuo omnibus diebus vitæ merear habitare, et videre simul et facere valeam tuam Voluntatem*". Ita Domine Jesu, me totum trahe in Cor tuum, qui dixisti: "*Quando exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum*" (i), hodie verbum hoc adimplere dignare, atque penitus me tibi conjunge, ne unquam jam valeam separari a te. Non repelles

creaturam, quam proprio sanguine redemisti. Video brachia tua extensa in Cruce; video caput inclinatum ad me, video Cor tuum late mihi apertum; venio, Domine, atque saluto S. Crucem tuam, eamque amplectendo verbis Matris Ecclesiæ saluto: O Crux, ave spes unica hoc passionis tempore, ave spes mea dulcissima imprimis *hocce tempore*, mihique auge gratiam, reique omnia dele crimina. *Impleta* sunt quæ concinit David fideli carmine dicendo nationibus: "*Regnavit a ligno Deus*"! *Impleta* sint etiam in me per fructum hujus Hebdomadæ, quæ Christus Passione sua promeruit mihi, et imprimis hoc tempore elargiri decreverat, et regnet jam de ligno Crucis semper in me Christus Salvator.

Offeram in Colloquio cœlesti Patri merita Passionis Domini mei, ut propitius sit mihi propter Passionem et Mortem Filii sui Unigeniti, laudando et magnificando ejus in me amorem infinitum, quo proprio Filio non prepercit, sed pro me tradidit eum. — In fine dicam devotissime Pater noster.

---

a) *Matth.* 27. *Luc.* 23. *Joan.* 19. — *b*) *Zach.* 12, 10. — *c*) *Eccl.* 25. — *d*) *Ps.* 21. *e*) *Jac.* 5, 20. — *f*) *Joan.* 17, 4. — *g*) *Phil.* 1, 23. — *h*) *Gal.* 3, 27. — *i*) *Joan.*

CONTEMPLATIO.

DE MYSTERIIS FACTIS A CRUCE USQUE AD SEPULCHRUM INCLUSIVE.

Oratio Præparatoria consueta.

Præludium I. — Memoria historiæ Passionis (a).

Præludium II. — Compositio. Erit videre visu mentis apparatum, quem Josephus et Nicodemus fecere ad deponendum Jesum de Cruce; in specie *Sepulchrum* in horto Josephi, paratum ad recipiendum sacratissimum ejus Corpus.

Præludium III. — Petere gratiam quam volo. Hic erit petere gratiam, ut ad sepulchrum Jesu *obsignem* proposita hujus Hebdomadæ, et iis ex integro servatis ad Vitæ novitatem resurgam.

PUNCTUM I.

"*Primo, fuit depositus de cruce per Joseph et Nicodemum in conspectu Matris suæ dolorosæ.*"

Pendebat de cruce funus sacratissimum Domini Jesu. O qualis aspectus! Apparuere in corpore albescente clarius atque distinctius *vulnera*, quibus tegebatur a planta pedis usque ad verticem; imprimis *vulnus* sacratissimi Cordis lancea transfixi, ex quo ultimæ guttæ cadunt sanguinis pretiosissimi, quem totum pro me fundebat. Felices Joseph et Nicodemus, quibus Pilatus donabat corpus Jesu! Mitigabat utique consolatio tanti doni mœrorem diei in ipsis. Profecto majori cura et sollicitudine nullus mortalium thesaurum inventum suscepit aut suscipiet unquam, quam hi duo viri thesaurum ipsis concessum collegerunt. Applicant itaque scalas et ascendunt ad Corpus sacratissimum deponendum. Audi, anima mea, ictus, quibus excutiunt clavos e manibus pedibusque crucifixi. O quam terribiles erant ictus illi, quando hi clavi infigebantur, et quantus dolor Jesu; verum jam non sentit amplius cruciatus Dominus! Capiam exinde solatium maximum, quo me ipsum ad perseverantiam excitem; veniet, veniet etiam pro me tempus, quando deponar de cruce hujus miseræ vitæ, et jam non sentiet amplius corpus meum pondus laborum et cruciatuum!! — Ecce quanta devotione atque sollicitudine demittunt sacratissmum Corpus, non minori utique cura, ac si adhuc sentiret et viveret. Interim sub cruce sedens atque exspectans Mater oculis defixis in Filium suum Unigenitum et jam mortuum, brachiis et corde elevato a terris ineffabili desiderio expectationis præstolabatur amplexum mortui Jesu; et sic deponunt eum in conspectu dolorosæ Matris suæ. Uniendo affectum meum cum affectu Cordis transfixi Matris, et ego verbis Ecclesiæ ingemino: "*Flecte ramos, arbor alta, tensa laxa viscera, et superni membra Regis, tende miti stipite*". Deponitur funus sacratissimum in sinum Matris dolorosæ; Filius talis occisus in sinum Matris talis! *Quis est homo qui non fleret, Matrem Christi si videret, tanto in supplicio!* — Vidit nunc et contemplatur jam cominus omnia vulnera corporis lacerati, quod ipsa Virgo concepit, Virgo peperit, Virgo et Mater tanta cum sollicitudine per totum tempus infantiæ Jesu fovit; vidit cominus vulnera manuum pedumque, vidit et vulnus sacratissimum Cordis late patens! O quam tristis et afflicta fuit illa benedicta Mater Unigeniti, et quot flumina lachrymarum fudit in hoc ipsum vulnus Cordis Filii sui unigeniti?! Plangam et ego et flebo lachrymas pœnitentiæ seriæ in hæc vulnera Christi in sinu Matris quiescentis sub Cruce. Et quid dicam Matri afflictissimæ, cujus Filium ego ipse per peccata mea occidi? quid dicam nisi, quod Ecclesia nomine nostro huic Matri dolorosæ supplex acclamat: "*Eja Mater fons amoris, me sentire vim doloris, fac, ut tecum lugeam; fac me tecum pie flere, Crucifixo condolere, donec ego vixero*". Fac, o Mater dolorosa, ut recordatione tantæ Passionis Filii tui fructum sanguinis quam copiosissime hauriam, et illum nunquam amittam. "*Sancta Mater, istud agas, Crucifixi fige plagas cordi meo* VALIDE.

PUNCTUM II.

"*Secundo, fuit delatum corpus ad sepulchrum, et unctum et sepultum.*"

Ferunt S. Joannes cum Josepho ab Arimatheo et Nicodemo corpus Jesu aromatibus conditum ad sepulchrum. Qualis conductus funebris! Sequuntur funus sacratissimum Mater dolorosa, et Maria Magdalena et cum his piæ mulieres illæ, de quibus Evangelium mentionem in Passione facit, aliique discipuli Domini. Adjungam me his quoque ego, ut præstem hoc officium pietatis, mente saltem, defuncto pro me Jesu! — Quot utique lachrymæ funduntur, quando funera ad sepulchra feruntur; et ego non dolebo et flebo in hoc comitatu, cum defertur ad sepulchrum talis Pater, Amicus, Sponsus, Frater, Salvator!! Ferunt autem Corpus ejus *unctum* ad sepulchrum. Sint hæc aromata affectus omnes cordis mei, quibus per hanc Hebdomadam Passionem Domini contemplatus sum; sintque proposita mea ligamina quibus inligabatur corpus Domini; sitque sepulchrum, ad quod fertur Corpus sacratissimum, *cor meum* ipsi soli jam præparatum. Sit autem simul mysterium Sepulturæ Christi admonitio mihi, ut finiendo exercitia hujus Hebdomadæ sepeliam penitus veterem hominem cum omnibus vitæ elapsæ actibus, exspectando a Domino renovationem interioris hominis, ut ad novitatem vitæ resuscitatus, progrediar ex hac mentis recollectione ad officia muniaque pro Christo et Regno ejus, quod est Ecclesia, dein cum *perfectione* obeunda. Hæc cogitans consideransque ad sepulchrum Domini mente consistam, memor simul sepulchri *proprii*, in quo aliquando quiescam suaviter, siquidem pro Christo vixero et mortuus fuero feliciter, atque ad extremum vitæ halitum laborando, pugnando, patiendo perseveranter.

PUNCTUM III.

"*Tertio, positi fuere custodes.*"

Et non tantum custodes positi erant, sed simul *sigillo* munitum fuit sepulchrum. "*Illi autem abeuntes munierunt sepulchrum, signantes lapidem* (*b*)." Admoneor utique hoc facto, quid a me imprimis requiratur; videlicet, ut et ego ad sepulchrum Domini in proprio corde meo ponam custodes; videlicet reflectendo, eligendo, et determinando nunc *in specie* quæ agam, et a quibus deinceps caveam, ne perdam tam pretiosum atque copiosum fructum gratiarum hisce in Exercitiis mihi communicatarum. In specie ut apponam sigillum, nempe sacratissimum *Nomen Jesu;* altissime cordi meo infigendo, quid hoc Nomen, in quo omnis Vocationis meæ ratio continetur, a me exigat. Videlicet, ne unquam deficiam a cœptis, sed proficiam potius de die in diem in *Via Perfectionis* semper paratus pro Christo pati et mori, quærendo nequaquam propriam

consolationem et mundanam satisfactionem, sed ut cum Christo *sepultus* sim i. e. ita mente quoad mundana comparatus, quasi homo non tantum mortuus vero sepultus plane. Atque hæc desiderans et a Patre cœlesti flagitans ad sepulchrum Domini mente consistam, quasi Sabbatum sanctum hodie celebraretur.

COLLOQUIUM instituam affectuosissimum cum tribus Divinis Personis, agendo eis gratias quas possum intensissimas pro Redemptione generis humani, et in specie pro Redemptione *mea*, Passione et Morte Domini peracta. Agam utique gratias quod tanta Misericordiæ largitate atque liberalitate SS. Trinitas merita Salvatoris mihi applicare dignabatur, inprimis per donum Vocationis, ac per concessum tempus hoc Exercitiorum, et in specie per gratias Hebdomadæ hujus tertiæ. In fine dicam devotissime! Anima Christi.

---

a) *Matth.* 27; *Lucc.* 23; *Joan* 19. *b*) *Matth.* 27, 16.

IV. HEBDOMADA.

PRÆNOTANDA.

Convertimur jam ad contemplationem Mysteriorum eorum in quibus anima festum agit diem, et per gaudium et jubilum spiritus confortatur ad constantiam, et ad magnanima consilia filiorum Dei cor nostrum dilatatur. Considerandum autem in Mysteriis *gaudiosis* Vitæ Christi, primum gaudium Christi ipsius Salvatoris, congaudendo Eidem; dein vero centuplum illud quod Christus iis promittit in terris, qui eum posthabitis omnibus desideriis sæculi, sequuntur (a). Consideranda simul beata et beatissima, quæ nos exspectat sors, post breve nostri in terris exilii tempus, si illo bene ad salutem usi fuerimus. Et quis gaudia illa prægustando in terris, per amoris unionem non *totus* Dei, et Christi sui esse voluerit? Respicit itaque Hebdomada hæc *Viam unitivam* et tota exercetur in *amore Dei* operoso, et desiderio beatæ æternitatis, cujus tamquam exemplar proponitur *Resurrectio Christi*, quasi peculiare hujus Hebdomadæ fundamentum; eaque gaudia, quæ eum in hac vita et in altera consecuta sunt. Quare eo magis excitari debemus ad contemnenda terrena et cœlestia appetenda, juxta illud Apostoli: "*Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite*" (b).

Cæterum probe notandum, quod S. Pater de obtinendo fructu in contemplandis Mysteriis hujus Hebdomadæ monet, et quænam illa sit gratia quam petendam præscribit; videlicet, "*ut lætemur et gaudeamus de tanta Gloria et Gaudio Christi Domini nostri*". Hæc nostræ lætitiæ vera ratio, ex amore erga Christum Deum et Dominum et Salvatorem nostrum, qui amor purissimus, sanctissimus atque efficax hujus Hebdomadæ ut dictum est præcipuus est, fructus. Hæc scilicet, ut Mysteria gloriosa possint quidem debeantque etiam nostræ fragilitati vires addere propter spem quæ hic excitatur, fore ut aliquando id fiat in membris, quod in capite jam videmus impletum; præcipuum tamen sit maneatque,

ut de Christi gloria *propter ipsum Christum* gaudeamus, nostri ipsorum nostræque propriæ felicitatis quasi obliti. Hunc fructum si obtinuerimus, etiam gaudium spiritus nostri erit solidum, atque permanens. Nam ut Christi gloria et gaudium extra mundi hujus vicissitudines positum est, ita nostrum de hac Christi gloria gaudium securum erit semper atque inviolabile. Porro hunc fructum præ oculis habendo etiam tunc, quando permittente ita Deo, aliquis ariditate spiritus laboraret, non haberet cur ideo mente turbaretur, cum etiam tunc semper ei hoc solidum solatium cordis præsto sit, ut sibi dicat: Mihi quidem tempus gaudendi de meo bono necdum advenit; sed necque id requiro, verum *sufficit* mihi, quod Rex ac Dux meus Christus, quem infinities plus quam me ipsum amo, tanta gloria tantoque gaudio potiatur. Qui autem ita corde paratus est hic utique indies et imprimis in Contemplationibus hujus Hebdomadæ augmentum amoris efficacis erga Christum capiet (c).

Quod ut in me quam copiosissime obtineat, per gloriam tuam et gaudia Regni tui, et per jubilum quem redivivus ex mortuis percepisti, et quo in æternum frueris te oro Jesu victor! ut ad consortium internæ tecum unionis me admittere digneris, quo sic optatum hujus Hebdomadæ fructum percipiam suavissimum æque ac præstantissimum.

---

a) *Matth.* 19, 29. — *b*) *Coloss.* 3, 1. — (*c. Cfr. N.* 4. *Adm. Rev. Patris Nostri ad Heb. IV.*

CONTEMPLATIO.

DE RESURRECTIONE CHRISTI DOMINI NOSTRI. DE PRIMA EJUS APPARITIONE.

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRIMUM PRÆAMBULUM *est historia, quæ hic est: qnomodo postquam Christus exspiravit in cruce, et corpus remansit separatum ab anima, et cum illo semper unita Divinitas, anima beata descendit ad Infernum, pariter unita cum Divinitate; unde eripiens animas justas, et veniens ad sepulchrum, et resurgens apparuit, benedictæ Matri suæ in corpore et anima.*

SECUNDUM. *Est compositio videndo locum, quod hic erit, videre dispositionem sancti Sepulchri, et locum seu domum Dominæ nostræ, respiciendo partes ejus in particulari: item cubiculum, oratorium etc.*

TERTIUM, *petere id quod volo, et erit hic petere gratiam, ut læter et gaudeam intense de tanta gloria et gaudio Christi Domini Nostri.*

PUNCTUM I.

Primum, erit contemplare descensum animæ Christi ad inferos, inde animas justorum eripientis" *).

O quam jucundus et gaudio plenus intuitus pro anima, quæ Christi Passionem et Mortem compatiendo contemplata est — intuitus dico *animæ* beatissimæ et gloriosissimæ Christi, quæ eodem momento, quo Christus in Cruce exspiravit, triumphans descendit ad inferos (a), ad cujus conspectum perterritæ et confusæ fugiunt potestates inimicæ ad ima tartari, a Victore mortis et inferni propulsatæ, divina ejus Majestate (b). Considerandus autem serio et contemplandus est status

*) *Cfr. Præambulum I.*

justorum in limbo Patrum, qui per tot mille et mille annos adventum Redemptoris præstolabantur! — Erit nempe ibi videre Adamum, Evam, Abraham, Moysen, Davidem, Eliam omnesque justos in momento illo, quando Christus Victor ad illos intrabat. — "*Vicit leo de tribu Juda*" (c)! Reserantur portæ inferni. — O quam intensum erat gaudium protoparentum videndo atque salutando Redemptorem totius generis sui, ab ipsis aliquando peccato primo deperditi. — Quantus erat jubilus omnium, clamantium: "*Ave Salvator noster*". — "VIVAT JESUS!" — Sed et tuum o Jesu gaudium, quam inenarrabile erat, gustando in ipso inferno has acclamationes, hosque sensus gaudii Paradisii, gaudii sempiterni; et audiendo congratulationem omnium de tanta tua Victoria et Misericordia! — O vere *Alleluja* beatum, hac die in ipso inferno Christo Salvatori cantatum! Per tuum hoc gaudium obsecro te Jesu, eripe me hodie de tenebris vitæ meæ hucusque peractæ, ne solis desideriis pascar, sed tecum jam sim, ereptus a pristina captivitate, mutato prorsus Vitæ meæ *statu*.

PUNCTUM II.

"*Secundum, erit considerare, quomodo anima beatissima Christi, cum animabus illis ex inferno ereptis, veniat ad sepulchrum, et quomodo Christus Dominus, gloriose resurgat a mortuis*".

Contemplabor primum cum animabus illis testibus Resurrectionis Domini, Corpus Christi in sepulchro jacens, et quomodo mirantibus illis de tot exantlatis a Christo doloribus, miseriisque Passionis, et Mortis compatiantur eidem. Et ecce prima aurora beatissimæ lætissimæque hujus noctis, terræ motus factus est magnus. *Angelus enim Dei descendit de cœlis et accedens revolvit lapidem* (d). — Tremit terra — revolvitur lapis — surgit Salvator, cœlesti circumfusus lumine, et inenarrabili Gloria refulgens, juxta illud Psalmi: "*Convertisti planctum meum in gaudium mihi; conscidisti saccum meum, et circumdedisti me lætitia, ut cantet tibi gloria mea*" (e). Audi anima mea ALLELUJA Redemptionis, quod SALVATOR festivo atque triumphali Cordis jubilo cantat, et quod late per omnes cœlorum vertices personat. O vere beata nox! ut canit Ecclesia, quæ meruit scire tempus et horam, qua ab inferis resuscitatus surrexit Dominus. — Audi anima mea et congaude Salvatori tuo redivivo, et congratulare eidem; audi, et Alleluja amantis tui cordis conjunge cum beatis Christo congaudentium et congratulantium spirituum cœlestium. — O vere tonitruum lætitiæ quibus Angeli Regi Victori *Alleluja* de cœlis acclamant. Quodsi enim nato *in terris* Salvatori festivum adeo cantabant Gloria in excelsis Deo, quomodo non jubilarent conspiciendo resurgentem *de terris* Salvatorem. — Alleluja tibi Victor

et Gloria in cœlis et in terra, sed et *Pax* et *Alleluja* omnibus hominibus bonæ voluntatis. — Congaudebo imprimis animabus illis beatissimis, quæ ab inferis reductæ ad sepulchrum Domini Alleluja gaudii et gratiarum actionis Christo primæ cantabant Redemptori. Quodsi enim pastores ad præsepe viso Domino nato et involuto pannis, gavisi sunt gaudio magno valde; quomodo non gauderent animæ hæ ad nuntium Angeli de cœlo descendentis et dicentis: "*Annuntio vobis gaudium magnum, quoniam modo resurget Salvator mundi*". — Congaudeo itaque merito eisdem. Totum autem hoc gaudium Christo offerendo congaudeo eidem hodie et semper, jubilo omnium de Resurrectione ejus per totam æternitatem lætantium! "*Fui mortuus et ecce vivo*" (f) et jam non moriar amplius in æternum, sed vivam cum Patre meo et Spiritu sancto, et cum omnibus angelis et cum electis redemptis meis Rex gloriæ in sæcula sæculorum! Ita Jesu exultas gaudens, triumphansque!

Dignare admittere *Alleluja* congaudentis cordis mei ad augmentum triumphi tui, et da, ut aliquando in æternum tecum illud in cœlis cantem, celebrando tecum *Pascha* sempiternum!

PUNCTUM III.

"*Apparuit Virgini Matri suæ benedictæ in corpore et anima*".

Licet enim id non expresse dicatur in SS. literis, tamen ut monet S. Pater implicite satis superque indicatur. — Hoc ipso enim quod aliis apparuerit, etiam indicatur præ aliis apparuisse Matri, quia ita decebat Filium fecisse et recreasse hoc solatio Matrem, quæ præ omnibus aliis in Passione eidem fuerat compassa. — Utique non ab aliis rescivit Filium in Vitam rediisse, quam ab ipso.

Contemplabor itaque hunc occursum Filii resuscitati, et Matris benedictæ in prima aurora diei Paschatis, et ut habet Traditio, apparentis ei gloriose in ipsa Via Crucis, quæ ducebat ad Calvariæ montem. Contemplabor hunc amplexum congaudentis Matris beatissimæ de Resurrectione Filii! Contemplabor dico, quia utique verbis exprimi nequit gaudium quod sentit Filius et Mater. O solatio plenissimum atque beatissimum *Alleluja* cordis Mariæ *Matris* ad cor *Filii triumphantis!* Conquiescam mente contemplando hunc Matris et Filii amplexum et gaudium meum conjungam Gaudio cordis utriusque. Et quam merito in prima statim Meditatione de Mysteriis Vitæ Filii tui gaudiosis, ad hoc gaudium tuum o Mater reflecto. Non enim nisi gaudium meum tuo conjungerem o Maria, satis congaudere Filio tuo possem. — Sic autem congratulando cum Corde et gaudio tuo, habeo quo conpensem quidquid mihi deest, ut condigne votis cordis mei satisfaciam.

Faciam itaque COLLOQUIUM conjunctus corde cum corde gaudioso Matris tuæ benedictæ, tibi o Jesu solemnissimam gratiarum actionem offerendo, pro tua gloriosa Resurrectione, flagitando a te per gaudium Cordis tui et Mariæ, ut mihi quoque partem tribuas gratiarum, quibus in hac apparitione Cor Matris replevisti! — Anima Christi etc.

---

a) *Pet.* 3, 19. — *b*) *Apoc.* 3, 21. 5, 5. 1, 18. 1. *Cor.* 15, 55. — *c*) *Ap.* 5, 5. — *d*) *Matth.* 28, 2 — *e*) *Psalm* 29, 12. — *f*) *Apoc.* 1, 78.

CONTEMPLATIO.

DE SECUNDA APPARITIONE (a).

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I. Erit in memoriam vocare quæ de Mysterio hoc in Evangelio leguntur (b).

PRÆLUDIUM II. Erit constructio loci. Hic erit videre sepulchrum, hortum, et appropinquantes mulieres cum aromatibus. In sepulchro vero Angelum in albis vestitum.

PRÆLUDIUM III. Erit petere a Deo gratiam quam volo, nempe ut congaudeam intense Christo, gaudio *Mariæ Magdalenæ*, ad pedes ejus in horto provolutæ, ut fructum exinde capiam lætitiæ spiritualis, gaudio paschali animam meam exhilarantis, imprimis propter *vocationem* meam ad Societatem.

PUNCTUM I.

"*Primo, eunt valde mane Maria Magdalena, Jacobi et Salome ad Monumentum dicentes, quis revolvet nobis lapidem ab ostio Monumenti.*"

Arcet utique haud raro cor fervore spiritus excitatum, et in perfectionis via positum ab exercenda strenue charitatis opera, anxietas illa muliebris: *quis revolvet nobis lapidem difficultatum, lapidem prægrandem, et vires nostras naturales longe superantem?!* — Verum non est opus Sanctificationis nostræ per actus perfectæ virtutis, opus nostris viribus humanis relictum; sed cœlitus obstacula removentur Angelorum ministerio, et gratiæ virtute. — Tremit terra, concutitur et revolvitur lapis hic a facie Domini in anima nostra ad novitatem vitæ resurgentis, et Christo conjunctæ causamque ejus agentis. Quare noli diffidere, noli anxiari, dum ad

altiora te impelli sentis; non sequitur gratia naturæ ordinem, sed prævertit et superat; necque ex præteritis, ut in naturalibus, futura fas est metiri; sed nova indies et ampliora Omnipotentiæ miserantis et gratiæ impulsu invitantis, charismata spiritus, cum magna et tranquilla fiducia sunt exspectanda. — Descendet angelus, et terræ motu revolvetur lapis offendiculi, motu dico extraordinario et vehementi terræ i. e. virium et facultatum licet creatarum, tamen modo haud prorsus naturali conamina Sanctorum juvantium: quemadmodum vita illorum abunde comprobat, et propria experientia si fidelis fuero in obsequio Christi, testabitur mihi, atque testatur.

Efficiet autem hæc firma in Deum fiducia id quoque, ut festivo semper gaudio anima nostra lætetur; spes enim non confundit; ipsaque hæc alacritas, concussa terra pigritiæ et diffidentiæ naturalis, multum conferet ad revolvendum lapidem difficultatum.

PUNCTUM II.

"*Secundo, vident lapidem revolutum et Angelum, qui dicit: Jesum quæritis Nazarenum. Surrexit non est hic*".

Considera, quomodo mirentur, et quo gaudio perfundantur animæ hæ electæ et zelo pro Jesu flagrantes. — Lapidem inveniunt revolutum a sepulchro, et loco militum, quos æmulatio infernalis ad sepulchrum posuit, inveniunt Angelum salutantem eas et dicentem: Jesum quæritis? Surrexit, *non est hic*. — En signum perfecte peracti temporis sacri secessus, et Resurrectionis cum Christo ad novam vitam. Surrexit — non est hic. Surrexit a sua pristina imperfectione, pusillanimitate, dejectione, tepore; surrexit et exultavit, "*ut gigas ad currendam viam suam*" (c) — quam intellexit esse *suam*, nempe illam quam ut animose atque alacriter eam percurrat, Deus ei per illustrationes S. Spiritus clare indicavit. — *Non est hic*. En indicium indubium non umbratilis sed vere immutatæ vitæ. Non est hic; non amplius jacet ut infans in præsepio, in stabulo, inter jumenta, non jacet in sepulchro, sed surrexit homo — non est ibi, ubi prius conversari consueverat medio inter vitæ terrestris conditiones curasque, sed totus alius est vitæ ejus status.

Quid ad hæc conscientia mea; an habent in me hæc plenum complementum? — Spero Domine Jesu, spero cum divina tua gratia, spero et per omnia curabo, ut absque mora per propositorum meorum executionem capiam experimentum hujus felicissimi eventus. Ero cum tua gratia alius longe alius, *totus* alius, cogitatione, verbo, opere vitæ tuæ *socius*, et jam non moriar amplius huic renovationi mentis. O Domine per vulnera tua, signa triumphi sempiterni, rogo te, et obtestor: averte a me periculum nefandi relapsus.

PUNCTUM III.

"Tertio, apparuit Mariæ, quæ remansit juxta sepulchrum postquam abiissent ceteræ."

Contemplanda itaque Maria Magdalena, quomodo ad monumentum ploret; nec Angelos intueatur solum dilectum suum cogitans et quærens(d). Contemplanda immensitas doloris, sed quomodo subito tota ejus tristitia luctusque Parasceves, in gaudium paschale convertatur ad vocem Christi redivivi ei apparentis et de Nomine vocantis. *"Dicit ei Jesus: Maria"* et statim præ gaudio ad pedes sponsi animæ suæ corruens exclamat: *"Rabboni,"* et pedes ejus amplexatur. Dum ergo *de Nomine* se vocari audit, cognoscit Dominum, et gaudio paschali perfunditur. Applicabo hæc mihi quoque, et congaudebo Mariæ et Christo Domino gaudio paschali. Si quid enim est quod uno verbo efficiat, ut Dominum, qualis sit erga me, plene cognoscam et semper gaudio perfundar: certe recordatio *Nominis* est, quod qua Socius Jesu gero. O vere dulce, atque dulcissimum, et nullo pretio æstimabile Nomen, quo tuum me *socium* vocari dignaris, o Jesu, quia ad Societatem tuam me vocare misericorditer statuisti. Quæ quæso tristitia tanta esse posset, quæ non mihi, dum hujus *Nominis* recordor, præ omnibus mundi regnis carius, in jubilum convertatur?! Est enim Nomen hoc pignus omnium bonorum in me collatorum, certissimumque tuæ in me gratiosæ Providentiæ. Nam certissime non deseres Jesu dulcissime, quem ineffabili gratia ex tanta hominum turba eligere dignatus es, ut eum socium in terris vocare, et etiam socium laborum et passionum participem hoc ipso Nomine voluisti! —

Quare gaudio et gestio cum Maria Magdalena et clamo: *Raboni*, quod interpretatur: *Magister mi.* — Sis utique mihi Magister et exemplar vitæ meæ, ut Nomen gratiosum socii tui possim digne gestare. Conformationem hanc cum Vitæ tuæ Mysteriis vel ipsa fata Societatis Matris meæ præseferunt, et ut studiose me quantum potero tibi conformem monent. Jacuit enim et ipsa Societas per tria decennia quasi tecum in sepulchro, custodita et quasi sigillo munita ab inimicis Nominis tui. Sed ecce resurrexit: et vix dum introducitur iterum in orbem, apparuisti utique mihi in hoc horto paradisi terestris. Gratias itaque tibi agam cum gaudio et jubilo Mariæ, gratias agendo de hac gratiosissima apparitione mihi facta in resuscitata tua Societate. Esto fidelis anima mea usque ad mortem in illa, et resurges et triumphabis in illa et cum illa. Hac plenus spe et hac consolatione exultans faciam ad te Colloquium o Jesu mi, rogando te, ut gratiis illis me participem reddere velis, quibus animam Mariæ Magdalenæ in hac tua apparitione ditasti, ut eum ex hac meditatione fructum amoris sanctæqne lætitiæ capiam quam, illa ex tua

apparitione concepit, et qui tibi gustum præbeat, exhilarando quantum ex me esse potest cor tuum Jesu Salvator mi.

Colloquium ad S. Mariam Magdalenam et Christum Dominum.

---

a) *Marc.* 16; *Ioan.* 20. *b*) *Marc.* 16, 1—10; *Ioan.* 20, 11—18. *c*) *Ps.* 18, 6. *d*) *Cant.* 3, 1.

CONTEMPLATIO.

DE TERTIA APPARITIONE.

Oratio Præparatoria consueta.

Præludium I. Erit memoria historiæ Evangelii (a).

Præludium II. Erit videre viam in qua Jesus occurrit mulieribus sanctis a sepulchro revertentibus.

Præludium III. Erit petere gratiam quam volo, nempe gaudium spiritus et ejus fructum, ut amplius amando Jesum eique congaudendo, cum alacritate et gaudio festivo *annuntiem* hominibus Christum, ad consortium gloriæ nos per vitæ novæ studium, invitantem.

PUNCTUM I.

"*Primo, exeunt istæ Mariæ e monumento cum timore et gaudio magno, volentes annuntiare discipulis Resurrectionem Domini.*"

Non cum solo gaudio, nec cum solo timore procedendum est e sepulchro sacri secessus, sed cum timore et gaudio simul; ita tamen ut gaudium prædominetur, timor tantum illud committetur; juxta illud Apostoli monitum: "*in timore et tremore operamini salutem vestram*" sed tamen "*gaudentes, et semper quidem* (*b*)," itaque sic ut gaudium prædominetur. Licet enim verum sit, nos quamdiu in hujus vitæ exilio atque in hac incertitudine salutis vivimus, semper habere, cur timeamus; tamen virtus spei et charitatis diffusæ in cordibus nostris, tam fortitur agit et influit in anima electa et dilecta, ut fiducia in Deum reposita habeat semper quo gaudeat in Domino i. e. in sancta pace et lætitia cordis Deo conjuncti amore. Ita animo constitutus, annuntiandus hominibus est Christus, ut verbum crucis sit vere eisdem *Evangelium* pacis et salutis. An ita

me animo comparatum sentio? Orabo Dominum ut frequenti apparitione in corde per gratiæ suæ visitationes, animum meam exhilarare et pacificare dignetur.

PUNCTUM II.

"Secundo, Christus Dominus noster illis apparuit in via, dicens illis: Avete: et illæ accesserunt, et prostraverunt se ad pedes ejus, et adoraverunt eum.

Contemplando diligenter quæ ibi gesta fuere, etiam mihi occurret Christus replendo cor meum gaudio paschali et dicendo mihi: *Ave.* O vere felix Ave, ex ore Salvatoris ad animam fidelem et contemplatione mysteriorum Vitæ ejus occupatam. O suavissimum Ave, quo toties conjunctione interna Christus animam medio inter negotia affatur, quæ in omnibus nonnisi ejus sollicitudine occupatur et ministerio ejus delectatur. Sed et o beatissimum *Salve* Salvator mi! ex ore ejusmodi animæ ad cor Sponsi, tam inopinate sibi per suavissimas identidem spiritus visitationes occurrentis. O vere nullis deliciis mundi comparabilis prægustatio gaudii cœlestis, quando cum illo erimus cor unum et quasi anima una in beata et gloriosa ejus Societate! Occurret sane mihi sæpe hac ratione Christus internis gratiæ illustrationibus motibusque, siquidem alacri semper animo et diluculo vigil totus in eo sum, ut Dei voluntatem angelicis inspirationibus mihi manifestatam, angelico more et studio exequi absque mora semper studeo.

PUNCTUM III.

"Tertio, Jesus dicit illis: Nolite timere. Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam, ibi me videbunt."

Tam miseri sumus, ut sæpe post maximos spiritus corroborationes iterum mox sentiamus pondus infirmitatum nostrarum, et timor affligens cor nostrum subeat, ut itaque continuo solandi simus a Domino; id quod etiam humanissimus Salvator hominum nunquam non copiose præstat, si modo monitis ejus attendimus et divinis inspirationibus. *"Nolite timere"* considerandum quis hæc verba dicat et cui? Salvator est, et mihi quoque hæc verba dicit: Noli timere — causam tuam ago — age tu meam plenus fiducia, confortatus mea præsentia et gratia. Magno animi sensu et magna gratiarum actione hæc Salvatoris nos consolantis suavitas et fidelitas in meditationibus hujus Hebdomadæ imprimis est celebranda. *"Ite nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilæam — ibi me videbunt". Ibi* in regione *unde nomen* despectum sumsit Galilæi, quod illi in opprobrium vertebatur. Et ibi in *montibus* eum videbunt. Ita profecto est, in hu

militate et amore contemptus exercendus est animus, sed non abjiciendus, verum erigendus ad præcelsas filiorum Dei cogitationes, et tunc talibus a se electis et præordinatis testibus se magis cognoscendum præbet Christus, per internam et mundo ocultam cum ipso conversationem. Porro aliud est quod mihi hic insinuatur pietatis consilium. Videlicet, non nostrum esse quærere et eligere locum, ubi Christus se nobis per uberiorem gratiæ communicationem manifestet. Erat hortus proprior ubi surrexerat et commodior; videbatur mons Calvariæ oportunior; et tamen in Galilæam jubentur ire. Noli anima mea nec pietatis prætextu addicta esse certo loco aut muneri, sed sequere nutum Salvatoris, per superiores — vicarios ejus de te disponentis, et manifestabit se tibi in omni loco modo gratiosissimo. Paratum cor meum! ecce mitte me o Jesu quorsum vis, modo mecum sis, et modo te videam; et erit hoc mihi solatium semper si ibi sum, ubi tu volueris te mihi manifestare et hoc magis magisque, et hunc fructum dispositi cordis mihi in hac meditatione comunica, ut digne congaudeam tibi etiam in hoc loco, et in hac hora. —

Colloquium ad gaudiosam Matrem, ad Christum et Patrem.

---

a) *Matth.* 28, 1—11. *b*) *Phil.* 2, 12; 4, 4.

CONTEMPLATIO.

DE QUARTA APPARITIONE.

Oratio Præparatoria consueta.

Præludium I. — Memoria historiæ Evangelii (a).

Præludium II. — Constructio loci. Erit hic videre Petrum ad sepulchrum festinantem; qua expectatione intret, et tangere vult corpus Jesu, et sola premit linteamina.

Præludium III. — Petere gratiam, quam volo, nempe ut cum corde S. Petri congaudeam Christo, et fructum participem, quem S. Petrus ex hac apparitione Christi percepit; imprimis ut *fides* in me novis viribus reviviscat et ad opera quævis pro Christo perficienda et proferenda *spe et charitate* fœcundetur.

PUNCTUM I.

"*Primo, cum audisset ex mulieribus, Christum resurrexisse, ivit cito S. Petrus ad monumentum*"

Nescit tarda molimina Spiritus S. gratia, sed ad quodvis nuntium salutis paratum cor exigit, ut impulsum ejus sequamur. Conditio necessaria ad dispositionem talem, est *fides* viva, quam præfigurat S. Petrus. Ubi fides in corde vivit, attente excipit illustrationem gratiæ et ejus impulsui incunctanter cooperatur. Ex infirmis quoque mediis percipit divinæ voluntatis indicia; nec tamen cœco impulsu fertur, sed motus naturæ et gratiæ bene discernit. Quare quando Apostolus de charitate asserit "*omnia credit* (b);" idem de fide, quæ charitate operatur, dicendum, sed tamen cum dicta discretione. Ex una parte nempe, *minime* credit, quæ nimirum suo objecto sunt adversa, etsi Angelus in specie esset, qui contrarium nuntium de cœlo adferret, non admittet, sed rejiciet (c). Contra vero ad ea, quæ fidei consonant, *promptissimo* fertur animo, nec facile fallitur; sed quia ovis est, audit vocem pastoris et noscit illam et sequitur secure (d), ubi alii fors mille obstacula invenissent, quia vocem Pastoris non agnoscunt, cum non sint de ovibus ejus, aut quia saltem fides non satis in eis vivit et charitate haud animatur (e). Si ex tali fide vivo, tunc sane intelligam experimento, quæ hic dicta sunt, et quam necessaria virtus fidei fortis et vivæ nobis sit ad strenuum Dei servitium. Itaque da mihi Domine et adauge talem *fidem*, quæ cor meum paratum et docile faciat ad omne nuntium tuæ voluntatis, ut intelligam et sequar vocem tuam, licet infirmis mihi communicetur mediis, prout discipulus tuus ad nuntium mulierum, ivit tamen cito.

PUNCTUM II.

"*Secundo, intrans in monumentum, vidit sola linteamina, quibus coopertum fuit corpus Christi Domini nostri, et nihil aliud.*"

Non sufficit sola fides; hæc per se tamquam argumentum *invisibilium* (*f*) videt sola linteamina in terris, quibus coopertum fuit corpus Christi. Non enim in terris est habitatio nostra visibilis cum ipso, sed sola manserunt hic quædam linteamina, seu vestigia Vitæ ejus in terris, et documenta Resurrectionis ejus, et Vitæ cœlestis, ubi eum omnes videbimus, qui vestigia ejus secuti sumus, quærendo manentem civitatem, non in sepulchro mortuorum, sed evacuatis tumulis in regione viventium (g). Itaque *Spe* quoque confortandus est animus, et hoc quidem potissimum memoria Resurrectionis Christi, palpando mente linteamina vacua et nobis acclamando: *si itaque Christus resurrexit, et nos resurgemus* (*h*). O nos beatos, quibus ita sperare licet, quomodo non spes talis viva per sepulchri vacui Christi contactum, nos roboraret et animum ad superna erigeret? Vacua enim sunt omnia super terram, nec animam satiare possunt, gustantem Christi dona, et exspectantem ejus promissa. Quid enim omnia terræ bona in sepulchro considerata aliud sunt, quam cinis

et vapor evanescens, qui animam imortalem replere nequeunt. — An spe tali repleor? an actus tales sæpe elicio, et influxum sentio? gaudebo tunc, et congaudebo Christo, et fortem me sentiam in perferendis adversis omnibus in servitio Dei. Da mihi Domine *spem* firmam, ut hac anchora fixus in cœlis, nullis tempestatibus concutiar in terris, sed ad instar petræ sim immobilis in meis pro cœlo cœptis propositis.

PUNCTUM III.

"Tertio, cogitanti S. Petro de his rebus, apparuit Christus: et propterea dicebant Apostoli: Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni."

Quantum gaudium Petri ad hunc conspectum Christi gloriosum?! Quo impetu flamma charitatis cum hoc gaudio paschali exurgebat in corde ejusdem?! Congaudebat utique Christo præ magnitudine charitatis erga ipsum. Sic est, non sola fides, nec spes sola, sed *charitas* est, quæ nos Christo præsentat, et qua Christus ad plenum gaudium, et certum salutis pignus nobis manifestatur. Videt quem negabat, jam non negaturus amplius, quia in gratia per charitatem confirmatus. Vere si fidem haberem, ut montes transferrrem, sine charitate nihil sum; et si speciem spei in me haberem, ut me in cœlis jam versari viderer, absque charitate in regnum amoris non penetrabo (k). Quare o Amor meus, eo amoris incendio cor meum implere dignare, quo cor S. Petri in hac Apparitione perfudisti, et me cum illo in hac tua charitate confirma, qui toties te negabam, jam non negaturus amplius, si hac ratione propitius mihi fueris. Hanc gratiam peto et flagito, tuum amorem o amabilissime sponse mi, mihi concede, sed non qualemcunque, verum magnum et *efficacem* et fidelem usque ad mortem, et me penitus ad te trahentem, prout prædilectus hic discipulus te amavit, et amorem suum tibi sanguine et morte contestatus est. Cum [ejus gaudio congaudeo tibi nunc et in æternum.

Fiant Colloquia consueta postulando per intercessionem S. Petri fidei, spei, et charitatis augmentum.

---

a) *Lucc.* 24, 12; *Ioan.* 20, 3—10. *b*) 1. *Cor.* 43, 7. *c*) *Gal.* 1, 8. *d*) *Ioan* 10, 16. *e*) *Ioan.* 10, 26—27. *f*) *Hebr.* 11, 1. *g*) *Hebr.* 13, 14. *h*) 1. *Cor.* 15, 22 *i*) *Hebr.* 6, 19. *k*) 1. *Cor.* 13, 2—3. —

CONTEMPLATIO.

DE QUINTA APPARITIONE.

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I. — Memoria historiæ Evangelii (a).

PRÆLUDIUM II. — Compositio loci. — Erit videre hic discipulos in via ad Emmaus ambulantes, et secum de Christo colloquentes.

PRÆLUDIUM III. — Petam cor ardens amore crucis, propter amorem redivivi Salvatoris et in *SS. Altaris Sacramento præsentis*, ut cum magno adversitatum toleratarum merito, aliquando ingrediar in gloriam ejus et simul meam.

PUNCTUM I.

"*Primo, apparet discipulis, qui ibant in Emmaus, loquentes de Christo*".

Loquentibus de illo apparet. — Est sermo index mentis, et ideo loquimur libenter de eo quod amamus. — *Quis sermo meus?* — an sæpe, an quoad intentionis directionem quodammodo semper de Christo, aut propter Christum loquor? — Non sapit animæ amanti Jesum, nisi sonet ubique Nomen dilecti, ut S. Augustinus et S. Bernardus experti sunt et testantur. — Numquid et ego hoc in me experior, non esse in rerum universitate mihi aliquid in deliciis votisque quod non sit Christus, vel saltem propter ipsum: ita ut vere eum possim appellare: *Vita* mea — *Dulcedo* mea. — Si nondum hoc experior, signum est me nondum satis scire, quid sit amare Jesum. — Vere amanti amara sunt omnia, præter ipsum amare; et qui ita amat dilectum cordis, non potest non frequenter atque ardenter de illo loqui — quoniam ipse est *Verbum* cordis. — Sit sermo talis index mentis meæ, et ero hoc fræno charitatis linguam sponte gubernans, secundum Apostoli effatum — *vir perfectus* (b). Secus vero, si amor hic linguam meam non moderatur et dirigit, deerit custodia ori meo, et vana erit religio mea etsi religiosus nominer et videar esse hominibus (c).

O si moniti hujus quotidie et quidem identidem recordarer, et talis sermo meus semper esset, appareret et mihi Christus vel inter loquendum, novis semper illustrationibus mentis, quemadmodum discipulis illis apparuit sociis Viæ in hac vita.

PUNCTUM II.

"*Secundo, reprehendit illos, ostendens per Scripturas, quod Christus debebat mori et resurgere. O stulti et tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. — Nonne hæc oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam?*"

Nonne similem mereor reprehensionem? quoties nolui et etiamnum forsitan non volo perfecte intelligere mysterium Passionis, videlicet: *debere* et me pati, et mori, et resurgere, et ita intrare in gloriam Christi et meam.

Si nondum intelligo, et lumen scientiæ hujus sincere desidero, scruter mediterque Scripturas necesse est, imprimis scripturam Passionis Domini in cicatricibus *vulnerum* ejus, qua memoriam simul mei, utpote pretium sanguinis ejus, in pedibus, manibusque et cordi suo *inscripsit* (d); et legendo scripturam hanc ardebit cor meum prout ardebat cor discipulorum dum Christus loqueretur cum iis. Loquetur etiam mihi Christus per hæc signa Passionis suæ, et loquetur verba salutis et amoris mihi in verbo crucis; et jam non erit mihi exinde crux ulla licet gravissima, lapis offensionis, tristitiæ, inquietudinis, perturbationis, sed semper in deliciis, quia Christo me jungit unitque. O vere *stultum* et *tardum* cor meum; si tot argumentis probationis eruditum cum esse deberet, adhuc quasi nihil aut parum practice intelligit de scientia Crucis; et quodsi intellexit, tardum est, et non vult sequi, quæ videt et intelligit sola sequenda. — Ecce volat tempus pretiosissimum et unicum ad meritorie *patiendum* nobis concessum, et tardat homo illo uti; — inimicus sane non tardat, ut auferat merita Crucis. — Et quare tam stultum et tardum cor nostrum ad Crucem, nisi quia non attendit, quomodo nil adversi nobis contingere possit nisi permittente aut immitente Domino, et hoc ad salutem nostram. Ratio altera est, quia non satis frequenter, nec satis attente cogitat, quæ dicta sunt in Prophetis de futura sorte beatissima eorum, qui in via justitiæ, et Crucis Christum sequuntur. Et jam non dicta sunt a Prophetis sed a Christo ipso Domino Prophetarum, sed et ab Apostolis, et a tot amatoribus Crucis per os tot innumerabilium Martyrum et Confessorum. O cor stultum et tardum, si etiam *Socius* Jesu in terra, stultus et tardus esset ad *patiendum*, post tot gratiæ illustrationes, provocationes, auxilia, exempla et cohortamenta.

Peregrinando autem cum Christo in hac via Crucis, qua ad patriam pergimus, et mentem refovendo regustatione mysterii Passionis, non solus nec frigidus ambulabo, sed in omni tribulatione apparebit mihi fidelis Jesus, qui sua apparitione animam nunquam jucundius sæpiusque recreat, quam quæ verbum Crucis retinet in corde, licet totus obstrepet orcus.

PUNCTUM III.

"Tertio, ad preces illorum remanet ibi, et fuit cum illis, donec in actu, quo ipsis Communionem dabat, disparuit : et ipsi revertentes dixerunt discipulis, quomodo cognovissent eum in Communione".

Venit Christus etiam non rogatus, sed non remanet nisi *rogatus*. Orabo itaque Dominum quam instantissime, ne unquam me deserat, et potissimum ut tunc mecum maneat, quando advesperascet, et dies vitæ meæ declinabitur, ut se mihi tunc societ;ut revertar jam non ad terrestre, sed ad cœleste Jerusalem, et hoc non cum alio socio, quam cum ipso. — Disparuit in *actu*, quando ipsis Communionem dabat ; disparuit ut *propior* appareret; disparuit oculis corporis, sed non mentis, ingrediendo non tantum diversorium et tectum domus, sed cordis confortans et exhilarans illud. — Utique, quodsi jam solum verbum Christi ex ore ejus progrediens cor discipulorum inflammabat, recreabatque; quid factum est, quando cor ad cor loquebatur in ipsis? Numquid non in memetipso hoc experior, quando Christus hoc ipsum mihi toties præstat, in sacratissima Communione?

Revertebantur itaque licet noctis jam tenebræ ingruerent; nam in cordibus eorum mire lucebat lumen gratiæ Christi, et Christus ipse ; nec tristes et lenti ut prius, sed læti et alacres ambulant. — En effectus perceptæ dignæ Communionis. Facit *alacres* ad impulsum gratiæ sequendum : *"O vere sacrum Convivium, in quo Christus ipse sumitur, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur".* — O vere beatissimum Convivium, in quo Cœna nuptiarum Agni repræsentatur, et festivum *Alleluja* in corde beato, quod Christum suscepit, mire cantatur.

Cognoverunt autem discipuli Dominum in fractione panis. — Qui gustando hunc panem Christum non cognoscit, cum illo non resurrexit ad novitatem vitæ, per novum amorem in ipsum non est transformatus. Veri enim amatores Salvatoris per divinissimum hocce Sacramentum gustu quodam cœlesti fruuntur consortio Domini, quo fit, ut transformati in cibum, quem sumunt, et ipsi viva quasi hostia Christi effecti, manente specie terrestris hominis vivant cum Christo, per Christum et in Christo, in azymis puritatis et immaculatæ vitæ (e).

Ora itaque Dominum anima mea, ut ingens hujus Sacramenti desiderium tibi ingerat, ut vivas ex ipso, et maneas cum Christo in Societate sponsi tui quam diutissime, quoties tibi illo frui conceditur. — Quis enim unquam fuit Sanctus, qui non mirabili ad divinissimum hoc Sacramentum ardebat amoris æstu? Erit mihi devotio, qua in hoc Sacramentum præsentiæ Christi feror, signum Societatis cum Jesu in corde meo. Apparebit mihi utique gratiosissimus quoties illo fruor, sed et toties Pascha

celebrabo quoties per illud a Christo pascar. O vere felix anima quæ experimento jam intellexit, quis ille sit, qui ei se donat (f); proficiet utique in via virtutis et perfectionis cum Elia Propheta indefesse ambulando ignemque zeli spirans in fortitudine cibi hujus usque ad montem Horeb progredietur, quod interpretatur: "VISIO DEI".

COLLOQUIUM ad gaudiosam Dei Matrem cum Ave Maria; per ipsam enim Christum accepimus, rogando eam, ut possimus cum ea devotione et fructu cum Christo in suo Sacramento agere, quemadmodum ipsa Christi præsentia fruebatur. Faciam dein Colloquium ad Christum Dominum et dicam devotissime: Anima Christi.

---

a) *Lac.* 24, 13—36. — *b*) *Jac.* 3, 2. — *c*) *Jac.* 1, 26. — *d*) *Isaias* 49, 16. — *e*) 1. *Cor.* 5, 4 *et* 8. — *f*) *Joan.* 4, 10.

CONTEMPLATIO.

DE SEXTA APPARITIONE (a).

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I. — Memoria historiæ Evangelii (a).

PRÆLUDIUM II. — Constructio loci. Erit videre Cœnaculum clausis januis et congregatos in eo discipulos, absente Thoma.

PRÆLUDIUM III. — Erit petere gratiam quam hic volo, videlicet, ut Pax Christi absque formidine respectus humani, habitet in corde meo; potissimum per dignum et valde frequentem usum Sacramenti *Pœnitentiæ*.

PUNCTUM I.

"*Primo, discipuli erant congregati propter metum Judæorum, excepto S. Thoma*".

Metuebant, quia nondum ipsis apparebat et cum ipsis manebat Christus. Eo apparente jam non amplius timent. Si timeo propter metum inimicorum Christi, nondum satis clare mihi apparuit Christus, nondum vis amoris ejus in me satis invaluit. Amor enim hic si magnus, si verus est, omnia propter Christum amatum audet, omnia sustinet, et neminem timet (b). Nec sufficit ad hoc sola fides, qua firmiter persuasum habemus nec capillum de capite nostro casurum nisi permittente Deo; sed requiritur amor intensior, qui Christo nos arctius conjungit,

ut nullus sit timori illi locus, quo tot opprimuntur animæ timentes homines plus quam Deum (c). O timor vanus — o respectus humanus! quot heu opera ad Dei Gloriam et animæ sanctificationem et aliorum salutem impedis, præsertim dum illi, qui in acie militantis Ecclesiæ comparere debent, sese includunt propter metum Judæorum, puto inimicorum Ecclesiæ et Evangelii Crucis? Et interim dum sic metuendo exspectatur, causa Christi periclitatur, et animæ pereunt, et salus propria haud raro in summum periculum conjicitur, hostisque salutis ferocius insolescit.

Exi itaque a me maledicte diabole — respectus humanus! timor hominum, exi a me in hac hora meditationis, qua totum me Christo trado, qui suis illustrationibus gratiæ mihi modo apparuit, *Pacem* daturus, siquidem abhinc non homines, sed ipsum timeam, timore *amoris*. Christus adjutor meus, quem timebo!

PUNCTUM II.

"*Secundo, apparuit illis Jesus, cum essent januæ clausæ, et stans in medio eorum, dixit: Pax vobis*".

O felix introitus dulcissimi Jesu, et Pax suavissima ex ore et corde Jesu se diffundens in corda discipulorum. En quomodo ad Christi conspectum tempestas sedatur, serenitas redit, tribulatio cessat, Pax exuberat. Pax dico illa, quam mundus dare non potest, quam non dat — nec capit (d). Pax Christi, quæ exultat in cordibus nostris licet mala quævis nos premant; Pax quam experti tantum norunt. Numquid Pax hæc in corde meo late diffusa est: an illa me jam salutavit Dominus? an sæpe, et quonam cum fructu? Nullum facile signum magis evidens et securius invenietur mentis cum Deo plene conjunctæ, quam sancta hæc et imperturbabilis quies, in qua cum suo sponso divino, quiescit sponsa anima, conformitate plena cum Dei Voluntate Christo in charitate perfecte unita; ita ut nihil fundum animæ ita in Christo quiescentis commovere valeat; — non tribulatio, non tentatio, non timor humanus, imo nec ipse timor gehennæ. Sentit enim quod tota sit Christi ita ut perturbantis anxietatis nullus sit locus (e). Erit autem mihi quies hæc dulcissima juxta ac sacratissima, si fructus præcedentis meditationis in me manserit, et si liber a respectu humano, sed etiam segregatus mente, et quantum fieri potest etiam actu a conversatione mundana, januas sensuum claudens, sancta mentis recollectione assuetus, Domino fruar ambulans coram eo. Erit utique Pax hæc atque quies dulcissima animæ meæ, si revera Jesus in medio stat omnium cogitationum mearum, desideriorum et operum meorum, per intentionis soli Deo placendi purissimæ vim et efficacitatem. Dabit mihi Dominus, si ita versor hoc osculum Pacis

paschalis (f), — et ero in hac Pace compositus nunquam non aptum instrumentum ad Dei gloriam, ut per me etiam in alios Pax Christi diffundatur.

PUNCTUM III.

"*Tertio, dat illis Spiritum Sanctum, dicens illis: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*".

En medium suavissimum et unicum Pacis cum Christo in hac lachrymarum valle, in qua sine peccato versari vix licet, et in quod fors etiam graviter lapsi sumus. Dedit nobis Dominus in Sacramento Pœnitentiæ secundam post naufragium tabulam, et simul firmamentum, quo defendimur ne iterum labamur, utque anima sæpe in sanguine Christi lota indies purior, Christoque similior evadat, proficiatque de virtute in virtutem per pleniorem *sui cognitionem* et *humilitatis studium*. Dedit autem Christus potestatem remittendi peccata insufflando Apostolos, quo innuebatur simul effectus, nempe auctum incendium divini amoris per afflatum aspirantis gratiæ in iis, qui rite hoc Sacramento ad augendam in se animæ sanctificationem utuntur. Utar itaque hoc saluberrimo remedio, prout Spiritus S. me ad illud magna cum animi comparatione movebit, disponetque, ne gratia ejus in me frustretur. Quodsi autem mihi gravissimum hoc munus concessum est, ut Sacramentum hoc administrem, ita illud administrem oportet, ut pœnitentes Spiritus S. afflatum sentiant; administrando sancta – sancte, et quam diligentissime. Administrando illud ita, ut studium veræ perfectionis in me et aliis augmentum capiat, et imprimis candor animi, ut qui sanctus est per pœnitentiam sacramentalem sanctificetur amplius, et qui justus est justificetur adhuc, et quantum fieri potest ab omni umbra peccati immunis reddatur.

Scrutabor itaque cor meum quærendo quoties et quomodo confitear? memor exempli S. Patris nostri qua ratione ipse quotidie usus fuerit hoc Sacramento. Faciendo autem secundum exemplum mihi a S. Patre datum, prout gratiæ impulsus me excitat, apparebit mihi utique Christus, mundabitque cor meum et dabit mihi augmentum Pacis et Charitatis et indies nova Spiritus Sancti charismata, et a periculo illo satis ero remotus, quod Apostolus innuit admonitione illa: "*Spiritum nolite exstinguere*" nempe per remissum fervorem, et duritiem animi ad gratiæ impulsum; et iterum: "*nolite contristare Spirirum Dei, in quo signati estis in diem Redemptionis*", nempe per imperfectiones voluntarias, quibus sensim fidelitas in Dei servitio infringitur, et ad peccatum via paratur (g).

COLLOQUIUM fiet ad Beatissimam Christi Matrem — Matrem Misericordiæ, et refugium peccatorum, congaudendo ejus gaudio, quod

sentit in reconciliatione peccatorum; postulando simul ejus præsidium et intercessionem apud Filium. Ave Maria.

Colloquar dein cum Christo redivivo congaudendo gaudio quod sensit Cor Jesu dulcissimum in hac salutatione et insufflatione discipulorum, prævidendo et prægustando in hac salutatione statum jucundissimum justorum sua pace beandorum; et simul pacem reconciliandorum per Sacramentum pœnitentiæ, et a remorsibus conscientiæ eripiendorum. Dicam, ei gratias agendo: — Anima Christi.

Gratias tandem agam Deo Patri qui talem hominibus dedit potestatem per Filium suum, ut quæ soluta sunt in terris, soluta maneant in cœlis quoque (h). Pater noster.

---

a) *Joann. c.* 20. — *b*) 1. *Joann.* 4, 18. *Rom.* 8, 39. — *c*) *Pet.* 5, 29. — *d*) *Joann.* 14. 27. *Philipp.* 4, 7. — *e*) *Prov.* 12, 21. *Ps.* 4, 9. *Rom.* 8, 9. 2. *Cor.* 7, 4. — *f*) *Cant.* 1, 1. *g*) *Thess.* 5, 19. *et Ephes.* 4, 30. — *h*) *Matth.* 9, 8.

CONTEMPLATIO.

DE SEPTIMA APPARITIONE (a).

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I. — Memoria historiæ Evangelii (a).

PRÆLUDIUM II. — Constructio loci. Erit hic videre Thomam ad pedes Jesu provolutum, confusum simul et gaudio paschali perfusum et clamantem: Domine meus et Deus meus!

PRÆLUDIUM III. — Erit petere a Domino gratiam vivæ semper recordationis, quæ et quanta Dominus et Deus meus potenter et amanter pro me fecerit, ut in quavis anxietate aut tentatione et tenebris mentis *credam* et *obediam* cæce licet non videam Dominum præsentem, et suo auxilio præsto esse.

PUNCTUM I.

"*Primo, S. Thomas incredulus, quia aberat ab Apparitione præcedente dicit: Nisi videro — non credam*".

O quam longe aliter in causa Christi Dei et Domini nostri, inque obeundo pro illo Apostolatus ministerio versantur atque loquuntur illi, quos Dominus jam fructu Apparitionis præcedentis dignatus est, dando eis *pacem* — quam qui adhuc timent, et quærentes pacem in creaturis,

cum eisdem mutantur identidem, et perturbantur. Tales utique non credunt nisi quodamodo vident, nihilque pro Christi fide ferme audent et agunt, nisi jam quasi oculis videant, quod omnia ad finem operis quod intendunt, conspirent; sicque nihil ferme divinæ Providentiæ relinquunt. Diffidunt quia non vident, et magis adhuc propter ea *quæ vident*, et quæ ipsis timorem injiciunt, aut quorum reminiscuntur malorum, quasi interim nulla mutatio dexteræ Excelsi contingere potuerit.

Si ita comparatus essem, ut palpabilibus tantum movear, et per me ipsum omnia quasi experiri et comprobare volo, nihil magni pro Domino et Deo meo efficiam, et quidem eo minus, dum qua filius Societatis per obedientiam directus, hujus ductum sequens etsi non videns, plene confidam credamque necesse est.

O Domine da mihi magnam, fide illustratam confidentiam in tuam amabilissimam Providentiam, ut credam et confidam, licet non videam, potissimum ubi obedientia urget; videbo utique si ita vixero brevi, etiam palpabilia et stupenda tui auxilii tuæque præsentiæ argumenta, dicente Scriptura: "*vir obediens loquetur victoriam* (b)".

PUNCTUM II.

"*Secundo, apparet illis Jesus, inde post dies octo, cum essent januæ clausæ, et dicit S. Thomæ Infer digitum tuum huc et vide, et noli esse incredulus, sed fidelis*)".

Mittam itaque digitum mentis per attentam recordationem in vulnera manuum pedumque Dei et Salvatoris mei, et in vulnus sanctissimi et amantissimi Cordis sui, et recordabor, et memorabo, quæ signa manifesta Potentiæ et Bonitatis mihi Dominus Deus, Creator et Salvator meus, in mea mihi jam dederat vita; et quantum hoc ipsi constiterit, qui non solo voluntatis nutu ut poterat, sed tantis cum ærumnis et laboribus Passionis suæ me redemerat ab interitu, et quomodo quæ pro salute omnium egerat, mihi tamen speciatim tam palpabilibus suæ erga me Providentiæ signis manifesta reddiderit, ostendendo mihi palam et in secreto cordis mei, quomodo me amet et salvum habere cupiat. Claudam januas omni distractioni, hæc meditando, claudam januas mentis phantasiæ et sensibus, nam serio valde hæc sunt attendenda, et interno mentis affectu percipienda, ut gustum et fructum afferant, ita ut si quæ me invadat pulsetque diffidentiæ tentatio, statim procul fugetur.

O Domine Jesu quam mihi utique suavis et multum delectabilis, et supra mel et favum dulcis hæc tua invitatio in hac hora meditationis: mitte digitum, mitte manum in hæc vulnera *manuum* mearum, quæ te plasmarunt, et te apprehenderunt, dum jam rueres in exitium sempiter-

num (c); mitte manus in vulnera *pedum* meorum, quibus currebam, exurgens de cœlo ut gigas transiliens montes meæ celsitudinis et infinitæ dignitatis, ut pastor bonus quærerem te, ovem quæ perierat et quæ jam currebat in via lata et spatiosa non habens consolatorem (d). Mitte manum in *latus* et vulnus *cordis* mei, quod tui recordabatur et trahebat ad se in funiculis charitatis, quando oblitum fuit cor tuum Creatoris et Salvatoris sui (e). O Jesu non tantum digitum et manus vulneribus tuis admoveo, recordando quæ et quanta pro salute mea egeris, sed cum S. Bernardo in effusissima gratiarum actione et divini amoris tui ductum sequens, os et cor ad hæc pignora salutis meæ adponam, ut verba amoris et gratitudinis et laudis tibi loquar, prout ille spiritus amoris quem o Domine Jesu mihi in Societate tua per gratissimam tuam præsentiam inspirasti, loqui illa dabit; et cum eodem divo Bernardo sugam ex his vulneribus quasi modo ad novam vitam spiritus formatus genitusque infans, filialem in te fiduciam, ut in veritate et humilitate consistens, sim *fidelis* (f).

PUNCTUM III.

Tertio, S. Thomas credidit dicens: Dominus meus, et Deus meus! cui ait Christus: Beati qui non viderunt et crediderunt.

Sane, si quæ fides et experientia mihi tam manifeste de Christo loquuntur, quis Ille et quid mihi sit; si hæc serio semper mentis reflexione palparem; quomodo non cor meum amore æstuaret, et quale Christo verbis et opere et corde testimonium fidei præberem, quoniam *Dominus et Deus* meus sit; et quid non agerem, ut hoc ipsum et alii cognoscerent et Christo testimonium fidei et amoris præberent. Ecce Dominus et Deus meus est, cui servio, et qui merces mea aliquando erit si pro ipso laboro constanter? Nunc pedibus ejus advolvor; faciet autem dein per totam æternitatem me residere in throno gloriæ, participem Regni ejus et coronæ cœlestis (g).

O Dominus meus et Deus meus, quam potens, quam bonus es, et ego tamdiu nolebam hoc intellegere, ut bene agerem (h), et fui incredulus et sæpe aliis causa offensionis et scandali. Verum jam nunc per omnia corde promptissimo Deum et Dominum meum te profitebor. O vere beati qui non viderunt et crediderunt. Numquid non ipse in me hoc experior; quæ enim fide teneo et video nonne etiam pro hac vita dictu ineffabilia dona pararunt mihi, quæ utique cum nullo alio bono terrestris felicitatis permutare vellem, at quæ nec vident nec gustant qui non credunt; nec credunt quia non experti sunt, quæ tu Domine parasti *diligentibus* te. O vere beati oculi qui vident et percipiunt dona, quæ Vocationem comitantur, dicente te Domine "*qui reliquerit propter*

me patrem et matrem et omnia – centuplum accipiet" etiam in hac vita (i). Beati qui hoc experimento viderunt, quia tibi Domine Jesu crediderunt.

Colloquium instituam in gratiarum actionem cum Christo Domino, quod Dominus meus et Deus meus me incredulum tam manifestis Providentiæ suæ signis ad suam sequelam et ad Apostolicæ Vocationis excellentiam, per Vocationem ad Societatem, vocare dignatus sit, non obstante mea pristina obstinatione, et perversitate cordis, cum flagranti desiderio et proposito, velle me quantum possum per meam futuram fidelitatem et apostolici fervoris zelum præteritum lanquorem compensare. Sic itaque conjungam gaudium meum paschale cum gaudio beati illius discipuli et exhilarabo quantum possum Cor Jesu de discipuli conversione gestientis. Anima Christi.

---

a) *Joann.* 20. — *b*) *Prov.* 21, 18. — *c*) *Heb.* 2, 16. — *d*) *Thren.* 1, 9. — *e*) *Ezech* 23, 35. — *f*) 1. *Pet.* 2, 2. — *g*) *Apoc.* 3, 21. — *h*) *Ps.* 35, 4. — *i*) *Matth.* 19, 29.

CONTEMPLATIO.

DE OCTAVA APPARITIONE (a).

Oratio præparatoria consueta.

Præludium I. Memoria historiæ Evangelii (b).

Præludium II. Constructio loci. Erit hic videre Christum Salvatorem dum Petro hæc verba diceret: "*Pasce oves meas*".

Præludium III. Erit petere gratiam, quam volo, nempe ardentissimum *zelum* animarum et *fidelitatem* in eo, non tam ex charitate erga me et illas, quam ob *amorem* erga Jesum meum, qui vult ut vigilem et laborem pro ipso in cura animarum.

PUNCTUM I.

"*Primo, Jesus apparet septem ex suis discipulis piscantibus, qui tota nocte nihil prendiderant : et jacientes rete ad ejus mandatum non valebant illud trahere præ multitudine piscium.*

Habeo hic argumentum quam diversa plane res sit laborare cum solis *naturæ* viribus, et laborare præsente, imperante et *gratia* ac benedictione sua adjuvante Domino. Quemadmodum enim pisces, non

propter *laborem* piscantium veniunt et capiuntur; quinimmo per ipsum laborem dum illum advertunt potius in fugam vertuntur, et abeunt, unde labor in piscando abscondi quasi et dissimulari debeat: sic per solum laborem nostrum mere humanum ac naturalem in munere Apostolico nihil efficitur; quin potius effectus per nimietatem adminiculorum mere humanorum, facilius adhuc frustratur; sed jubente, præsente, et adjuvante Domino piscandum est; et labor per humilitatis tegumentum quasi tegendus atque dissimulandus est. Erit autem Dominus præsens, quando fervente licet opere per unionem *amoris* ei fuerimus semper conjuncti et quam conjunctissimi; tunc multa erunt nobis cum minori laborum dispendio in statu *perfectionis* constitutis possibilia, quæ in statu imperfectionis nobis erant cum majori virium defatigatione impossibilia; quia Dominus Jesus non erat nobiscum, sed soli eramus laborantes in mari hujus mundi, plus in nos, nostraque talenta, quam in Ipsum fidentes.

PUNCTUM II.

Secundo, per hoc miraculum, S. Joannes illum cognovit, et dixit Petro: Dominus est: qui projecit se in mare, et venit ad Christum.

Ita successus operum debet mihi quoque oculos aperire, ut perspiciam clare atque intelligam, *non me* esse qui successum hunc effecerat, sed Dominum. Aperire dico debet ad hoc oculos cordis, non autem offuscare potius sensu quodam existimationis propriæ, ita quidem ut amor proprius non dicat mihi: ego sum — hæc et hæc feci; sed potius omnem usquequaque Deo dem honorem, dicendo mihi aliisque: Dominus est. Quod ut locum habeat hoc imprimis necessarium est, nempe ut non amor mei, sed amor Joannis erga Christum in me vivat.

Petrus autem projecit se in mare et venit ad Christum. In quem fiduciam direxit, ad hunc quoque eum gratitudinis affectus eum produxit. Vere magnus velut mare debet in nobis esse grati animi sensus, per quem observantes cœlestem in nobis benedictionem, tendamus ad Christum. Curandum ut sensus hic *grati animi* tenerrimus semper in nobis vigeat; et multum conferet ad obtinenda in dies majora adhuc cœlestis largitatis documenta, quemadmodum Petrus illa tam effuse perceperat, ut mox meditaturi sumus.

PUNCTUM III.

"Tertio, dedit illis ad comedendum partem piscis assi, et favum mellis, et commendavit oves (suas) S. Petro, examinato primum tribus vicibus de charitate, et dicit illi: Pasce oves meas.

Habeo in pisce symbolum *celeritatis;* in favo mellis symbolum *assiduitatis.* Quodsi promptus fuero per omnia atque assiduus ut apis in munere apostolico, reficiet me Dominus corporaliter quoque in medio laborum meorum, mihique quasi inserviet necessaria, suppeditando quo reficiar etiam quoad corpus, ne muneri succumbam (b). Cæterum quæ-demumcunque occurrent difficilia, omnia vincet probata in Christum charitas, quæ si fuerit in me magna, commendabit et mihi quoque Christus Salvator oves suas pascendas. Dabit nempe per unctionem charitatis erga ipsum mihi experientiam ubi inveniam pascua pinquia et saluberrima simul et amœnissima, ad quæ dein verbo, exemplo, et opere perducam oves suas, mihi in cura zeli animarum ex charitate commissas, ut nutriantur, et vitam habeant et amplius habeant, et a morsibus luporum securi reddantur (c).

Felix si omnia experimenta passionum atque tentationum, quibus Christus Dominus hunc meum erga se amorem probare statuerat, ita pertuleram atque profeceram, ut cum Petro mihi quoque respondere Domino fas sit: "*Domine tu scis, quia amo te*". O scrutator cordium, qui in hac hora intueris cor meum, vere tu scis quia AMO te; alias enim omnia ea, quæ tu Ipse noscis non pertulissem utique, nisi amor tui super omnia roborasset me. Dic itaque et mihi Domine Jesu: pasce oves meas. Da animas Domine, da *animas!!* ita ad te cum Sancto Xaverio clamo, toto cordis æstu et affectu amoris erga te; da ut zelo meo salventur cum tua gratia animæ innumeræ pro te Domine, qui eas pretiosissimo passionis tuæ merito redemisti.

Colloquium instituam ad Christum Salvatorem, et dein ad S. Petrum et Joannem; est enim spiritus S. Ignatii utrique conjunctissimus, utpote qui est spiritus magnanimus ad tuendam Ecclesiam, præsertim in capite suo, nempe Romano Pontifice; hoc autem non tam zelo amaro, quam zelo, charitate S. Joannis uncto et animato. In fine dicam Pater et Ave.

---

a) *Joann. cap. ult.* — b) *Lucc.* 22, 27. — c) *Joann.* 10, 9 *et* 10.

CONTEMPLATIO.

DE NONA APPARITIONE.

Oratio Præparatoria consueta.

Præludium I. Memoria Historiæ Evangelii (a).

Præludium II. Contemplabor Christum in summitate montis Thabor, quomodo jam transfiguratus ad statum vitæ perennis immortalitatis et Gloriæ

ex illo ipso loco, ubi Petrus nesciens quid loqueretur dixit: "*Domine bonum est nos hic esse*" discipulos suos in universum orbem mittat, ut *melius* illis adhuc sit, et omnibus verbum Evangelii recipientibus corde fideli.

PRÆLUDIUM III. Petam gratiam induendi novum penitus hominem secundum *similitudinem* Christi, et hoc non ad tempus sed pro *omni tempore*, ut *ubique locorum* inveniar fidelis minister Evangelii Christi, ut bonum mihi et aliis sit ibi esse, ubi Dominus me habere statuit. — O Domine Jesu cui data est omnis potestas in cœlo et in terra, per gaudium paschale quod Cor tuum implebat, quando verba hæc protulisti: "*ite in mundum universum et prædicate Evangelium omni creaturæ*" et per gaudium discipulorum hæc verba audientium ex ore tuo; oro te operare in me hoc grande opus, ut in te transformer totus, ut digne et cum fructu uberrimo annuntiem Evangelium sanctum tuum Domine.

PUNCTUM I.

"*Primo, discipuli ex mandato Domini eunt ad montem Thabor*".

Transfigurabatur in hoc monte prius Christus præfigurans statum exaltationis suæ, quem jam nunc vivit, prohibens discipulis ne cui dicerent, antequam pateretur. Nunc passio jam præteriit, et memoria ejus cum gaudio paschali conjuncta fuit, manetque in sempiternum omnis gaudii nostri fons et salutis consummatio. Tribus olim discipulis in monte hoc apparuit, nunc undecim simul collectis Apostolis; non enim erat amplius cum illis filius perditionis, qui ex Apostolo se transfigurabat in proditorem. His autem suis fidelibus discipulis apparet Dominus transfiguraturus illos in homines cœlesti virtute præditos, ad annuntiandum Evangelium in universa terra. Non vacat Mysterio in monte Thabor hanc potestatem discipulis datam fuisse. Cogita enim quæ occasione mysterii Transfigurationis meditati fuimus. Christus utique a nobis induendus est — *novus homo* — induendus autem ita, ut non amplius eo exuamur, siquidem sub vexillo ejus militare voluerimus. Et ideo non jam in statu transitorio, verum in statu perennitatis post Passionem discipulos in hoc monte iterum collegit: ut moneamur commoriendum nobis esse cum illo, sed et resurgendum per novos habitus virtutis, ut status similitudinis cum Christo permanens inveniatur in omnibus vicissitudinibus conversationis Apostolicæ, juxta quam ita omnibus omnia fieri oportet, ut tamen nunquam Christo dissimiles inveniamur!

O me beatum, si quæ haud raro in præterlapsa mea vita erant in hac Christi similitudine quasi *transitoria*, jam amodo post hæc Exercitia per transfigurationem in novum hominem permanerent, semper et essent *perpetua*. Quam bene tunc semperque melius res mecum ageretur; quam bene et optime cum aliis quoque.

PUNCTUM II.

"*Secundo, Christus illis apparet et dicit: Data est mihi omnis potestas, in cœlo et in terra*".

Participem me reddit Christus hujus suæ potestatis et legationis per vocationem ad Sacerdotium et Societatem ad applicandum opus Redemptionis aliis hominibus super terram, cujusvis status et conditionis. O qualis *Missio*, et quanta *Potestas!* Utinam eam exercendo etiam totam exercerem pro Christo, quærendo in cœlo et super terram nihil aliud, quam illum ipsum, qui talem mihi tamque magnificam plane concessit Potestatem.

Quodsi autem ex parte mei ipsius, vel vero aliorum, in ministerio Christi invenirentur obstacula, inveniam autem si strenue laboro quam plurima et quam gravissima, confidam in eum, cui omnis Potestas data est in cœlo et in terra, et qui non deseret suos, contestans: "*Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.*" Noli timere anima mea, non est Potestas contra Dominum Jesum, cui omne genu flectitur in cœlo in terra et sub terra (b). In virtute Nominis ejus omnem fiduciam meam ponam et nunquam succumbam. Examinabo itaque me serio, qua potestate, fiducia et constantia munia Sacerdotalia obire soleam in sacro ministerio, et num hac conscientia et hoc sensu legationis non humanæ sed cælestis, nunquam non ita afficiar, ut sentiam loquar et agam, tamquam Potestatem a Christo habens, et Christo fidens.

PUNCTUM III.

"*Tertio, misit eos per totum mundum ad prædicandum dicens: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti*".

Habeo hic mensuram desideriorum et operum meorum in munere Apostolico. Per universum plane mundum eundum mihi est, si pro mea vocatione in Societate Jesu volo esse vir vere apostolicus; per universum dico mundum, si non pedibus et effectu, saltem animo et affectu, quatenus zelus meus mundum universum complecti debet. Ut vero pateat affectum hunc non esse otiosum, etiam agere debeo quasi nihil minus quam conversio omnium et singulorum ad quos divina Providentia me dirigit, a me esset procuranda. Conversio dico a peccatis ad statum gratiæ, vel a statu justitiæ ad majorem sanctificationem, exhortando verbo et exemplo, docendo, adjuvando, ut sic lavacro spirituali regene-

rentur ad majorem sanctissimæ et individuæ Trinitatis Gloriam (c). Perficiendum autem hoc ipsum est *efficaciter*, *prudenter* et *amanter* in Nomine et potestate *Patris* et *Filii* et *Spiritus Sancti*, nequaquam vero zelo remisso, indiscreto aut amaro. Faciendum hoc est *opere* et *verbo* semper et ubique in quantum licet, et *desiderio* ubi vires aut occasio operandi desunt. Sic erat zelus S. Ignatii comparatus, qui mappam geographicam coram se extentam habens, lachrymas super eam fudisse fertur quod paucos haberet, quos ex suis in omnes terræ plagas mitteret. Talis erat zelus S. Xaverii nihil minus meditantis, quam ut post conversionem Sinensium et aliorum Asiæ populorum, et post reductionem Russiæ et Germaniæ ad unitatem fidei, Romam reverteretur in conspectum S. Ignatii et ejus paternum amplexum. Numquid similis in corde meo flagrat zelus? numquid vel a longe quid simile desiderare et serio expetere ausus fui? Fovebo saltem impense, quem habeo zelum, et prædicabo studiose verbo et exemplo omnibus; et licet non baptizem aqua, baptizabo tamen spiritu et virtute auditores meos. Curabo imprimis ut homines christiani semper memores reddantur vocationis suæ, per baptismi fœdus firmatæ. Quodsi enim ea, quæ vis nominis Christiani in se continet, mihi et curæ meæ commissis semper clare præ oculis posita erunt, erit quoque sermo meus penetrans corda hominum, et mirum efficax; non in humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis ad convertendos et sanctificandos illos in Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

COLLOQUIUM dirigam ad tres divinas Personas instaurando *fœdus baptismi* et penitus me eisdem dedicando, postulandoque fructum præsentis meditationis, fructum prætiosum Apostolicæ *prædicationis*. In fine dicam Pater, Ave et Credo.

a) *Matth.* 28, 16-20 *et* 16, 15-19. — *b*) *Philipp.* 2, 10. — *c*) *Jerem.* 1, 10. *Rom.* 1, 14.

CONTEMPLATIO.

DE DECIMA APPARITIONE (a).

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I. — Memoria textus sacri.

PRÆLUDIUM II. — Erit constructio loci; erit nempe videre Christum Dominum in medio tot discipulorum; quam amabilis cum illis conversetur; et quam pleni gaudio paschali, discipuli cum illo agant.

PRÆLUDIUM III. — Erit petere gratiam, quam volo; nempe erit hic petere gratiam *fraternæ charitatis* in exercitio muneris Apostolici. Petam instanter dispositionem hanc tam necessariam simul et raram admodum, quum heu satis nimis spiritus quidam invidiæ et zolotypiæ interturbet opera ministrorum sacri muneris, cum detrimento Gloriæ Christi et salutis animarum (b).

PUNCTUM I.

"*Deinde visus est plus quam quingentis fratribus simul.*"

Vide, quomodo his verbis tibi Spiritus *Societatis* in munere Apostolico commendetur; erant enim hi omnes *fratres*, quia *discipuli* Christi, non quia carne cognati; et hi omnes erant *simul*, erant sociati, et cujus socii nisi Jesu, qui in medio illorum comparuit, atque omnes illos præordinavit testes fieri fidei per universum orbem, fidei dico, qua sola homines hoc vinculo unionis et charitatis nectuntur, et cujus tessara juxta Domini effatum hoc ipsum vinculum est mutuæ benevolentiæ et charitatis (c). O si spiritus hic *Societatis* animaret nos omnes! — si dico vera plenaque esset in omnibus nobis societas *cogitationum*, societas *consiliorum*, societas *desideriorum*, societas *virium* et societas *operum*, qualem S. Pater instituto suo expressit, et tam vehementer ab omnibus suis optabat: quam benedicti essemus benedictione illa, quæ cum Patribus nostris fuerat, eo quod per omnia fuerint *socii* et quidem *Socii Jesu*.

O bone Jesu si hæc tam clara redderentur oculis cordis mei, quam sunt gravia; et si tu Salvator mi hunc spiritum perfectæ fraternæ charitatis mihi tam abundanter impertiri dignareris, ut jam nihil de zolotypiæ umbra scirem et sentirem, quam essem felix! quam certe prædestinatus, ut videam aliquando Dominum cum *omnibus* fratribus *simul* in triumphante Societate. Da Domine Jesu, quod tam ardenter cupio, et dives sum satis; venient utique cum hoc tuo spiritu mihi omnia bona simul ad majorem mutuam consolationem, Societatis bonum, animarum salutem et sanctificationem et ad majorem et maximam tui Nominis gloriam et sempiternam benedictionem.

PUNCTUM II.

"*Visus est plus quam quingentis fratribus simul.*"

Tanti momenti res cum sit spiritus unionis et fraternæ charitatis, potissimum in Societate, in hoc puncto secundo instituam examen, quomodo me relate ad hanc principalissimam virtutem habeam, et habuerim, contemplando me in speculo illo charitatis, quod S. Paulus his verbis mihi proponit: "*Charitas patiens est — benigna est; charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit*

quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet (*d*)." Habeo utique hic materiam de qua examen instituam; et non tantum modo, sed sæpe sæpius, assumendo ipsum hunc textum S. Pauli pro argumento meditationis atque examinis particularis per longius tempus, identidem me in omnibus his charitatis fraternæ signis et effectibus perficiendo. Agitur enim de *nota* illa ex qua dignoscatur utrum quis e *discipulis*, multoque magis utrum inter discipulos *de Societate* Jesu sit. Clara sunt verba Domini: "*In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (*e*);" et qualem putas dilectionem? Audi ipsum Dominum: "*Mandatum novum* ait, *do vobis ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* (*f*)." En norma charitatis, ex qua aliquando judicabor! Attendam itaque admodum diligenter, ne aliquando videar et inveniar minus habens.

Sit itaque firmum atque firmissimum o Jesu propositum meum, non desistendi ab hoc examine, donec inveniar totus ad hanc formam apostolicæ charitatis erga confratres meos compositus. Ad hoc etiam a te dulcis Jesu uberem fidem exspecto et gratiam, a te qui fidelis es, et qui ad Societatem tuam vocasti me, quæ in hac animorum conjunctione per te consistit tota. Sit mihi Cor tuum amodo pignus suavissimum sancti hujus fœderis, in charitate illa, qua ipse dilexisti nos. Exaudi quæso Jesu hoc suspirium cordis mei; non te dimittam nisi benedixeris mihi, et hoc quod tam impense flagito concedas mihi socio tuo.

COLLOQUIUM instituam ad S. P. Ignatium, ad Beatissimam Virginem matrem pulchri amoris, et Matrem Societatis. In fine instituam Colloquium simul ad Filium et Patrem, memor precationis Christi Domini: *ut omnes unum sint, sicut tu, Pater in me, et ego in te, ut ipsi in nobis unum sint; ut credat mundus, quia tu me misisti* (*g*).

---

a) 1. *Cor.* 15, 6. *b*) *Philipp.* 1, 15. *c*) *Ioan.* 17, 23. *d*) 1. *Cor.* 13, 7. *e*) *Ioan.* 13, 24. *f*) *Ioan.* 13, 34. *g*) *Ioan.* 17, 21—23.

CONTEMPLATIO.

DE UNDECIMA APPARITIONE (a).

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I. — Memoria textus sacri.

PRÆLUDIUM II. — Erit videre hic occursum beati discipuli, nempe S. Jacobi et Christi Domini illi apparentis, considerando qua benignitate Do-

minus prædilectum hunc discipulum salutabat, et quo gaudio et qua gratiarum actione et affectu Apostolus viso Domino replebatur, idque Domino ostenderit.

PRÆLUDIUM III. — Erit petere gratiam quam volo; erit hic petere gratiam cooperandi sémper gratiis, imprimis illis, quibus Christus me in Societate sua *specialiter* prævenire statuit.

Utinam o Jesu mi, nullam exinde gratiam sine cooperatione fideli prætermitterem, quam dives meritis evaderem!

PUNCTUM I.

"*Deinde visus est Jacobo.*"

Triplex occurrit hujus discipuli conditio, relatioque ad Dominum, quæ totidem puncta meditationis nobis suppeditabit. *Primo, erat frater Domini* secundum carnem ei cognatus. — Et ego quoque cognatus sum Christi; hoc enim dulcissimo *fratris* Nomine nos omnes Verbum incarnatum affatur: *Qui enim sanctificat* scribit S. Paulus de Christo, *et qui sanctificantur, ex uno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres vocare eos, dicens: nuntiabo nomen tuum fratribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te*"(*b*). Reflectam ad quantam dignitatem natura mea per Filium Dei in Christo sit elevata, ut Filium Dei *fratrem* nominare possim. Assumpsit me insuper Dei et Domini nostri Bonitas, ut socius ejus non tantum nominer, sed sim quoque, per gratiam vocationis in Societatem, ut Nomen hoc non innane portem, sed *speciali* Divinæ Providentiæ consilio. Quid quæso retribuam pro hac gratia?! Faciam ut vita mea quam exactissime Nomini respondeat, hoc omne est quod desideratur, et exigi potest; Jesuita — ut Jesus ita plane curandum, ut sim comparatus agamque. Quando o Domine, quando tandem ero, quod nominor? Fiat hodie initium hujus ita tibi sociandæ vitæ meæ.

PUNCTUM II.

"*Secundo, erat Jacobus Apostolus.*"

Et ego quoque qua Jesu socius vocatus sum in ministerium Apostolatus. "*Apostoli*" sic vox populi nostros passim in Lusitania nominabat. Quanta autem hoc Nomine digna per orbem universum egerunt, ubique terrarum pariter notum est; libri enarrant, populi testantur, boni celebrant, mali invident, nec diffitentur inimici; et si silerent ora hominum, clamarent lapides tot ædificiorum sacrorum ab ipsis excitatorum. Noli degenerari anima mea a præcelsis cogitationibus, desideriis gestisque Patrum horum apostolico spiritu præclarissimorum,. Resuscitabo itaque, quæ in me est gratiam, quam diffuderat Dominus in corde meo

quando et quoties per sacrorum votorum nuncupationem et renovationem Spiritu Societatis auctus, et tandem per Professionem sacram Societatis Apostolatui adscriptus fui.

PUNCTUM III.

"*Tertio, erat Jacobus Martyr Christi.*"

O beatissima sors, ac summa felicitas, et omnium votorum cordis mei compendium et desiderium unicum. O si daretur mihi quoque copia profundendi sanguinem meum in testimonium fidei et amoris mei in te Domine Jesu! Ut autem comprobem ita me reipsa optare et desiderare: ostendam per virtutem patientiæ *quotidianæ* et per amorem crucis quotidie ferendæ verum esse, quod dico; — ero tunc Martyr, si non Martyrio cruento, tamen Martyrio non minus fors meritorio, moriendo mihimetipsi et amori meo proprio penitus ex amore erga Christum. Sine hac charitate, quid juvaret vel ipsum Martyrium dicente S. Paulo: "*etsi tradidero corpus meum ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*" (*c*). Et hoc quidem Domine scio et intelligo, et cruces quasvis a te deposco, prout tibi acceptum fuerit, sed et alterum te oro et totis præcordiis flagito, detur quæso o Jesu amantissime mihi quoque copia Martyrii eo modo quo volueris, et ad majorem tuam Gloriam fuerit. O me beatum si hoc modo ex hac vita aliquando migrare liceret quo eo certius, citiusque te fruar Jesu, amor cordis mei! — En omnem sanguinem meum vitamque totam tibi offero, tuoque ministerio consecro!!

COLLOQUIA faciam ad Beatissimam Virginem Mariam Reginam Martyrum, rogando illam ut mihi gratiam cooperationis cum omnibus in Societate mihi destinatis gratiis a Filio impetret, et quam maxime fidelitatem in perferenda cruce ad mortem usque, et *mortem* pro Christo. Faciam quoque Colloquium ad S. Jacobum Apostolum et ad tres Martyres Japponenses. In fine recitabo Symbolum Apostolicum.

---

a) 1. *Cor.* 15. *b*) *Ps.* 21, 23; *Heb.* 2, 11—12. *c*) 1. *Cor.* 13, 3.

CONTEMPLATIO.

DE DUODECIMA APPARITIONE.

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I. — Erit videre Spiritu occursum hunc jucundissimum, Christi Domini apparentis beato Josepho.

PRÆLUDIUM II. — Erit petere gratiam, quam volo. Erit hic petere gratiam, ut Dominus det mihi sensum prædilectionis *miserorum* et *despectorum*, ut illis, sequendo exemplum S. Patris et primævorum Patrum Societatis, cum zelo magno atque intrepido exhibeam opera misericordiæ corporalis, et imprimis spiritualis.

PUNCTUM I.

"*Apparuit Josepho ab Arimathæa, ut pie cogitatur meditando, et legitur in vita Sanctorum.*"

Duo præcipue sunt, quæ in gestis Sancti hujus Joseph apparent, propter quæ illi præ aliis Dominus apparere dignabatur, et quæ opportune hic contemplanda suscipimus, ut eum imitemur.

Primum nempe: quod Jesum illa die qua cruci velut sceleratus affixus hærebat, confessus sit, conculcato respectu humano, qui illi aliud sane suadebat, quam quæ fecerat; saltem ne ostenderet illa recte die, quid de Jesu sentiret, ne particeps criminum videretur, quæ Christo falso imputabantur, et ne sic contumeliis imo fors persecutionibus atrocioribus adhuc sese exponeret. Habeo hic, quæ imiter et de quibus frequens occasio mihi offertur. Quoties enim curando salutem eorum, qui in oculis mundi male notati sunt, meam oportet quodamodo famam exponam judiciis hominum, qui id mihi vitio vertent, vel saltem *imprudentiæ* me accusabunt. At ejusmodi judicia, si conscientiæ vox mihi testis est intentionis, et cautelæ quantum christiana prudentia jubet, adhibitæ, contemnam necesse est, propter illum, qui pro nobis, nostraque salute opprobrium hominum factus est (a); et intrepide exposcam occasiones juvandi tales miseros ne pereant. Ita fecere Patres nostri celebratissimi, quemadmodum in Vitis eorum legere est, videlicet quam diligentes fuerint in juvandis etiam publice notatis, modo spes aliqna affulgeret fructus; quam studiosi et assidui fuerint in visitandis carceribus, triremibus et in præparandis supplicio perimendis. Agam ut faciam similiter, ita tamen ut obedientia mihi sit oculus prudentiæ; et habebo Christum identidem obvium, qui magnis et multifariis gratiis animam eam cumulabit, *præ aliis* qui hoc beneficium solicitæ charitatis derelictis non præstant. — Num ita zelus meus comparatus est? vel num potius prudentia politica, quam apostolica regi me sino,subtrahendo ex respectu humano et timore calumniæ auxilium illis, qui recte eo quam maxime indigent, quia non habent qui curam illorum gerant? Curabo ego Dei honorem per omnia — curabit ille meum!

PUNCTUM II.

Alterum est, quod opus misericordiæ exhibuerit erga Jesum suppeditando largiter defuncto jam, quibus indiguerat, ut convenienter sepeli-

retur ; unde facile concluditur eum etiam quando in vivis ageret Christus *eleemosynis* eundem cum suis Apostolis refecisse. Habeo hic alteram proprietatem zeli vere Apostolici. Insistam quantum per vocationis et obedientiæ rationem et moderamen licet, operibus misericordiæ erga indigentes. Præeunt mihi etiam quoad hanc solicitudinem Patres exemplo, quorum charitas universalis omnes quidem complectebatur, sed præcipuo studio, pauperes, egentes, ut eos per se aliosque juvarent. Ideo hospitalia et nosocomia illorum erant habitatio quando civitatem quamdam ingrediebantur ; omnique genere officiorum tum spiritualium quam corporalium curabant erga eosdem misericordes esse, ostendentes in se affectum S. Pauli dicentis et contestantis : "*quis infirmatur et ego non infirmor ; quis contristatur, et ego non uror* (*b*)." *Beati* vere *beati misericordes, quoniam et ipsi misericordiam consequentur* (*c*)." Væ contra nobis si probrum, quod in Evangelio contra immisericordem sacerdotem antiquæ Legis pronuntiatur, in nos quoque quadraret (d) ; væ dico nobis, si personas accipimus et non debitores nos reputamus omnium, et potissimum egenorum et pauperum, cohortante tam graviter S. Jacobo Apostolo, ita scribente : "*Fratres mei nolite in personarum acceptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi gloriæ. Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem et pauper in sordido habitu ; et intendatis in eum, qui indutus est veste præclara et dixeritis ei : tu sede hic bene ; pauperi autem dicatis : tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum ; nonne judicatis apud vosmetipsos, et facti estis judices cogitationum iniquarum. Audite fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, et hæredes regni, quod repromisit diligentibus se ? Vos autem exhonorastis pauperem* (*e*) *?*" Absit hoc a nobis. Curandus quidem quilibet et tractandus pro modo et statu suo, sed hoc non ex vitioso respectu humano, verum ut omnibus omnia fiamus ad salvandos omnes, dicente eodem Apostolo : "*Si tamen legem perficietis regalem secundum Scripturam : Diliges proximum tuum sicut te ipsum ; bene facitis. Si autem personas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quasi transgressores* (*f*). Absit a nobis hoc periculum, quod sane ubique obvium et magnum est; sed personam Christi despecti et pauperis in pauperibus considerantes eis opera misericordiæ spiritualis et corporalis toto cordis affectu exhibeamus; et in nos plane quadret illud Psaltæ verbum: "*tibi derelictus est pauper* (*g*)" tibi socie Jesu derelictus est Jesus tuus in persona pauperis. Ne derelinquas eum sed amanter suscipe. Apparebit tibi gratiæ donis copiosis et exquisitis *præ aliis*, qui ei opera misericordiæ in membris suis exhibere negligunt. Numquid non in propria persona apparuit S. Gregorio, S. Joanni de Deo, aliisque remuneraturus eis sua præsentia opera misericordiæ in pauperes præstita ?!

Examinabo itaque conscientiam meam diligenter de hoc amore prædilectionis pauperum, reflectendo in specie ad exemplum venerabilis Patris nostri Petri Claver, et habebo exinde documentum tamquam ex speculo probatissimo, quid de zelo meo pro Christo et non pro me ipso coram Deo judicandum sit. —

COLLOQUIUM faciam ad Matrem Misericordiæ ad B. Josephum et misericordissimum Dominum. In fine dicam Pater Noster et Ave Maria,

---

a) *Pæ.* 21, 7 ; *Heb.* 12, 2—3. *b*) 2. *Cor.* 11, 29. *c*) *Matth.* 5, 7, *d*) *Lucc.* 10, 31. *e*) *Iacob.* 2, 1. *f*) *Iacob.* 2, 8—9. *g*) *Ps.* 10, 14.

CONTEMPLATIO.

DE DECIMA TERTIA APPARITIONE (a).

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I. — Memoria textus sacri.

PRÆLUDIUM II. — Erit videre viam in qua Paulus Jerosolymis Damascum proficiscitur cum comitatu, et quomodo derepente Christum de cœlo sibi apparentem conspiciat, ad munus apostolicum eum vocantem.

PRÆLUDIUM III. — Erit petere gratiam, quam volo; erit hic petere gratiam *conversionis* talis qua Paulus conversus fuerat, ut cum zelo et fructu *ejusdem* jam totus sim Christi, ad meam et aliorum innumerabilium salutem. Ecce me Domine Jesu, fui tamdiu rebellis contra vocantem me gratiæ tuæ impulsum, vince Domine in hac hora meditationis hanc rebellem meam voluntatem; fiat, fiat!

PUNCTUM I.

"*Apparuit S. Paulo post Ascensionem* (*b*)."

Tria præsertim, ex innumeris, quæ vita S. Pauli nobis offert ad contemplandum zelum apostolicum seligamus, et quæ tamquam fructus pretiosissimi Apparitionis illius habenda sunt, qua Christus ei in via ad Damascum apparuerat.

Primum : Clamat ad Dominum totus mutatus, totus jam alius, ex persecutore propugnator acerrimus, ex superbo humilis, ex furioso mansuetus, ex odiente amans, ex lupo ovis, ex adversario Apostolus Christi factus; clamat ex toto cordis sui desiderio: "*Domine, quid me vis facere?*" — Et abiens in civitatem juxta Dei mandatum, occurrens illi Ananias, cujus domum intrabat, hic ei manus imponens dixit: "*Saule,*

frater, Dominus Jesus misit me, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas, et implearis spiritu sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tamquam squammæ et visum recepit ; et continuo prædicabat in synagogis Jesum, quoniam hic est filius Dei (*b*)." Habeo hic paradigma effectus, quem sacer secessus in me quoque producere debuit, si illum fideliter peregi juxta verbum et mandatum Domini, dicentis mihi ingredere locum illum, antrum Manresanum, et ibi dicetur tibi, quid te oporteat facere. Ita sane apparuit mihi in via *non recta* præteritæ vitæ meæ, Christus Dominus sanctis inspirationibus, quibus ad sacram solitudinem hanc me vocabat. Et quod Ananias Paulo erat, eique locutus est, hoc mihi S. Ignatius est mihique loquitur, in hoc loco sacri recessus, qui dicitur *rectus* (*c*), ad vitæ rectitudinem consequendam apprime aptus et instructus. Hic, ipsis verbis Ananiæ me alloquitur S. Pater : "*Dominus Jesus mittit me, frater mi — fili mi, ut videas et implearis Spiritu Sancto.*" Profecto si cum dispositione Pauli dicentis : *Domine quid me vis facere*, incœpi Exercitia hæc, serio et quam exactissime facere cupiens et intentus, quæ ad ea rite ex voluntate Dei peragenda pertinent ; et si quasi cœcus ad omnia alia factus sum, auspicando sacrum hoc tempus, omnibus negotiis, rebus, cogitationibus aliis nuntium mittens, pœnitentiæ intentus, studui exequi ad amussim quæ in hoc libello a S. Patre mihi dicta sunt, ut ea faciam: nonne velut squammæ de oculis meis ceciderunt? nonne video Dei in me voluntatem clarius quam unquam alias ? nonne Spiritu S. illustratus et quasi impletus, sentio in me impulsum gratiæ, qua cognitam Dei voluntatem impleam quoque. O Domine Jesu, quot sunt et erant qui rite peractis his Exercitiis cum Apostolo tuo grati et admirabundi simul exclamare poterant et testari : "*Quoniam Deus, qui dixit de tenebris lumen splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris ad illuminationem scientiæ Claritatis Dei in facie Jesu Christi* (*d*). Illuxisti Domine, ita et ego gratus et admirabundus clamo, illuxisti in corde quoque meo adeo tenebricoso, in hoc chao miserrimo confusionis cœlestium et terrestrium cogitationum et desideriorum, illuxisti in corde hoc sanctis gratiæ tuæ illustrationibus ad illuminationem scientiæ claritatis et charitatis Dei, in facie Jesu Christi, quem unice nunc contemplor et contemplari volo in omnibus et pro omni tempore. Utinam etiam cum eodem Apostolo dicere semper valeam : "*Gratia tua in me vacua non fuit*" (*e*).

Jam non tam quæro : quid me vis facere ? Jam enim Domine intellexi tuam in me voluntatem. Sim quoque ego Domine *vas electionis* ad gloriam Nominis tui usque ad extremum terræ, si ita tibi placuerit, virtute et fructu laboris apostolici (f). Ostendebat autem Paulus *continuo* vim factæ in se mutationis tamquam Apostolus novus Christi. Magnum sit hoc mihi documentum et incitamentum, ut et ego *statim* incipiam proposita

hujus sacri temporis executioni mandare. Nisi enim statim incipiam, nihil magni et boni de mea fidelitate et progressu in via perfectionis sperandum esset.

"*Ecce nova facio omnia*" (*g*), ita o Jesu tuam erga me novis semper beneficiis uberem largitatem testaris, et quidem imprimis hoc tempore gratiarum. Sit verbum hoc etiam tessera meæ per te renovatæ voluntatis: Ecce nova facio omnia: *aliter* et *melius* abhinc vivendo, et non naturæ et propriæ voluntatis, sed gratiæ tuæ impulsum sequendo. Itaque nec moram et horam mihi dilationis concedo, sed hodie continuo, sed modo incipiam ne tempus et gratiam perdam.

PUNCTUM II.

"*Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus* (*h*)."

En fructum compendiosum totius horum Exercitiorum temporis, et potissimum quartæ hebdomadæ: *Vivat in me Christus!* Et quale erit mihi argumentum hujus meæ vitæ in Christo et Christi in me? Vivit in me Christus, si amor ejus in me vivit; vivit autem hic in me, si Christum cogito amore, si eum desidero amore, si Christum in omnibus actionibus quæro amore; non quæ mea sunt, sed quæ ipsius; et hoc non tantum in prosperis, sed etiam et quam maxime in adversis, et ut toto corde, toto meo Esse illi conjunctus, vere exclamare possim et quærere: "*quis me separabit a Charitate Christi: tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos*" (*i*). — Num sentio in me hoc testimonium amoris omnia pervincentis; et num vita mea huic testimonio, testimonium præbet? Examinabo cor, examinabo opera mea, et cogitabo quam perfecte tot confratres mei huic exemplari apostolico responderint, quorum vestigiis et ego insistere debeo.

PUNCTUM III.

"*Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos* (*k*)."

Quodsi in nobis Christus vere vivit, etiam zelus in nobis vivet Salvatoris, desiderium flagrans, salvandi alios — salvandi si fieri posset *omnes*. Hoc erat desiderium S. Pauli, et quos et quantos labores hoc studio pertulit ad procurandam salutem aliorum?! Et hic debet etiam esse fructus Exercitiorum in me, et imprimis fructus hujus hebdomadæ; vanus enim et umbratilis esset *amor* qui hoc igne zeli careret. Ardere debet cor meum desiderio hoc, ad instar Apostoli, qui cupiebat vel ipse anathema esse a Christo, ut omnes, etiam infensissimos Christo, possit ad agnitionem veritatis et ad salutem perducere (l). Homines enim similes illi Institu-

tum Societatis quam profiteor nos esse postulat: homines nempe ex amore Christi mundo crucifixos, et quibus mundus sit crucifixus; homines inquam, qui suis se affectibus exuerint ut Christum induerent, sibi mortuos justitiæ viverent; qui, ut Apostolus ab omnibus Christi ministris diserte et ideo imprimis a nobis exigit, in laboribus, in vigiliis, in longanimitate, in suavitate, in Spiritu Sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis se ministros Dei exhibeant; et per arma justitiæ a dexteris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam, per prospera denique et adversa, omnibus omnia facti, Christo in dies similiores magnis itineribus ad cœlestem patriam et ipsi contendant, et alios etiam, quacunque possunt ope studioque compellant, maximam Dei gloriam semper intuentes (m). Considerabo itaque attente me ipsum num similitudinem hujus prototypi in me deprehendam. "*Durum erit tibi contra stimulum calcitrare* (*n*)." Verba hæc utique etiam ad me pertinent, et imprimis ad hoc sacratissimum quod perago tempus. Durum erit mihi contra stimulum calcitrare quo omnes in his Exercitiis consideratæ veritates, cum tot gratiæ impulsibus voluntatem meam instigant, ad explendam cum cooperatione fideli sanctissimam in me Dei voluntatem, ut talis sim qualem Societas exspectat et exigit — vere Socius Jesu. Quapropter, nequaquam amplius gratiæ obicem ponam sed tradam me nitus Jesu, ut in me vivat et ego in ipso. Hæc summa vitæ S. Pauli, hæc summa nostri Instituti, hæc summa quoque fructus omnis, quem ex his Exercitiis colligam, ut eum jam firmiter teneam, promoveamque. Et hæc omnia quidem præstanda a me studio summæ et profundissimæ *humilitatis*. Nota enim bene nominasse se Paulum: *abortivum*. Ita plane, etiamsi in his Exercitiis in tertium quasi cœlum elevatus fuissem gratiæ divinæ illustrationibus, humiliabo me jam sub pedibus omnium tamquam abortivum Societatis me considerando. Sic tantum in humilitate consistens securus consistam proficiamque, ut tandem aliquando in supremo vitæ meæ articulo, memor horum Exercitiorum lætus exclamem: *Bonum certamen certavi, fidem servavi*, fidem et fidelitatem in propositis meis; itaque reposita est mihi *corona justitiæ*, corona gloriæ et Vitæ sempiternæ, quam reddet mihi Dominus, sicut reddidit eam tot aliis in morte ad exemplum S. Pauli consummatis (o). Reposita est hæc spes o Jesu in sinu meo! O dulcis spes, quam nihil tollet de corde meo donec respirabo, in hac mortali vita agonizando, pro mea aliorumque salute!

COLLOQUIUM instituam ad S. Paulum et dein ad Christum Dominum flagitando ab eo, ut et cor meum implere dignetur zelo Apostolico S. Pauli.

---

a) *Ep.* 1. *Cor.* 15, 8. — *b*) *Act.* 9, 17—20. — *c*) *Act.* 9, 11. — *d*) 2. *Cor.* 4, 6. — *e*) 1. *Cor.* 15, 10. — *f*) *Act.* 9, 15. — *g*) *Apoc.* 21, 5, — *h*) *Galat.* 2, 20. — *i*) *Rom.* 8, 36 *et* 37. *k*) 1. *Cor.* 9, 22. *l*) *Rom.* 9, 3. *m*) 2. *Cor.* 6, 4-8. *n*) *Act.* 9, 5. *o*) 2 *Tim.* 4, 7.

CONTEMPLATIO.

DE ASCENSIONE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI.

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I. — Memoria historiæ Evangelii (a).

PRÆLUDIUM II. — Est constructio loci ; erit hic videre montem Oliveti, et in eo *Jesum* cum beatissima *Matre* sua, cumque suis *Apostolis* et aliis multis discipulis, quomodo illis valedicens et benedicens elevatur a terra.

PRÆLUDIUM III. — Erit petere gratiam quam volo; hic erit petere gratiam desideriiet *sensus cœlestis*, ut ubi thesaurus meus est, ibi et cor meum sit semper. O Jesu hoc sensu cor meum imple, et jam non erit mihi quidpiam nimis arduum in ministerio tuo, eroque fidelis!

PUNCTUM I.

"Primo, postquam per spatium quadraginta dierum apparuisset Apostolis, faciens multa et argumenta et signa suæ Resurrectionis, et loquens de Regno Dei, mandavit illis, ut in Jerusalem promissum Spiritum Sanctum expectarent".

Quoties per spatium horum dierum sacrorum, apparuit et mihi Christus, exhibendo mihi multa argumenta et signa, quibus intellectum meum illuminabat, edocendo me internis mentis illustrationibus Mysteria Regni Dei, et simul cor inflammabat, voluntatem instigabat, et mihi persuadere non destitit, ut tandem plenam jam mei oblationem in ejus obsequium cum S. Patre Ignatio faciam, viriliter enitendo, ut ad tertium humilitatis gradum perveniam, per quem *directe* itur ad cœlum; vitamque meam sanctificem ea ratione, quam vocatio mea a me postulat, et quemadmodum in præcedenti imprimis meditatione probe intellexeram. Locutus profecto est mihi de Regno suo verba arcana, quæ aliis in strepitu negotiorum semper viventibus, peregrina quasi, et abscondita sunt; ostendendo mihi quis sensus verborum ejus: *"Regnum Dei intra vos est"* (b). Vere hoc Regnum Dei, cujus fundamentum, ambitum, leges et finem, tam clare his diebus conspexi, hoc illud Regnum *Amoris* divini est, de quo antea tam parum intellexi, parumque curabam, et in me aliisque promovere tuerique neglexi. O me beatum quod nunc clare intelligam perspiciamque per hanc tuam o Jesu mecum in hac solitudine institutam conversationem, quam

vana et inania super faciem terræ sint omnia, præter te amare Domine! et tuam Gloriam quærere: in abnegatione perfecta affectuum meorum, propter affectum amoris tui, et per zelum hujus amoris, in studio te imitandi, atque, quantum ex me erit, id efficiendi, ut totus mundus te cognoscat, te diligat. Emitte Domine, emitte in me Spiritum Sanctum a te promissum, ut quæ agenda in posterum statui, etiam accepto robore Spiritus Sancti actu perficiam ad Majorem tui Nominis Gloriam.

PUNCTUM II.

"*Secundo, eduxit illos ad montem Oliveti, et in præsentia eorum elevatus est, et nubes sustulit eum ab oculis eorum*".

Itaque ex monte illo, ubi initio Passionis sudorem sanguineum sudabat præ mœrore et tristitia, ex illo ipso loco terræ, quem hoc suo sanguine madefecit, et ubi initia posuit agoniæ dolorum, ibi a *terra* ascendit in *cœlum!* Et quidem in præsentia eorum elevatus est; *quorum?* et *quorsum?* Elevatus est in præsentia beatissimæ et dilectissimæ suæ Matris; dilectissimorum suorum Apostolorum et discipulorum reliquorum, et sanctarum mulierum, quæ plangebant aliquando elevatum et suspensum in Cruce; et ecce vident nunc eundem post tam breve tempus elevari gloriosum a terra, et ferri in cœlum, ut in solio Gloriæ suæ ad dexteram Patris consideat (c). O quam solatio cœlesti pleni fuerunt amplexus illi ultimi, quibus Christus valedicens et abiens in cœlum, paraturus nobis illic locum, et imprimis his testibus suæ Ascensionis, amplectebatur sanctissimam atque dilectissimam suam Matrem et dein Apostolos et discipulos suos. Contemplabor hæc attente, ut cum affectu gustum exinde capiam, quasi inter illos fuissem, et quasi modo hæc contingerent, et sic ad pedes divini Salvatoris me cum illis projiciam, ut mihi benedicat, sicut illis benedixit; benedicat in fine horum Exercitiorum, ut cor meum ascendat cum illo, et non requiscat nisi in illo. *Et elevatus est* — aspice, et contemplare anima mea abeuntem! O quantus triumphus tunc oriebatur in cœlis! "*Attollite portas principes vestras et elevamini portæ æternales, et introibit Rex Gloriæ*"; sic teste regio Psalte acclamant ei angelici chori: "*Quis est iste Rex Gloriæ: Dominus fortis et potens, Dominus virtutum ipse est Rex Gloriæ*"; (d) ipse potens in prælio, Victor intrat in Regnum suum triumphans. Et *nubes* suscepit eum ab oculis eorum; nec enim oculus vidit, nec auris audivit, quæ Deus vel minimo servorum suorum parabat ibi: quam itaque quæso Gloriam, quod Gaudium *Filio* suo parabat ibi! *Nubes* suscepit eum; non videtur sed creditur, sed speratur, quod creditur, et brevi apparebit nobis facie ad faciem; nam nubes tantum est quo tegitur, et obvolvitur; nubes non tectum; dissipabitur utique et breviter quidem, ut ipse testatur di-

cens: "*modicum quid et iterum me videbitis, et gaudebit cor vestrum et gaudium vestrum nemo tollet a vobis*" (e). Hæc credo, hæc spero, hæc meditor; itaque quid jam separabit me a Christo, quid a fidelitate, qua ipsi per renovationem vitæ solum in terris vivere statui. Sic enim et ego cum illo ascendam aliquando in beatam æternitatem. Renovabo congaudens proposita mea in conspectu Salvatoris mei in cælum ascendentis!

PUNCTUM III.

"*Tertio, aspicientibus illis in cælum dicunt illis Angeli: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? hic Jesus, qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cælum.*

Ita plane continget; veniet Jesus, veniet brevi qui ascendit in cælum parare mihi locum, veniet ut me secum illuc abducat. Veniet in articulo mortis, et si plene purgatus fuero secum statim ducet animam meam, ut intret in Cœli Gloriam. Veniet tandem Jesus in fine mundi quando corpus meum gloriosum et suo simile factum cum anima conjunget iterum, et quando stipatus Angelorum multitudine veniens in nubibus cœli cum majestate magna hæc verba ad electos suos diriget: "*Venite benedicti Patris mei, possidete regnum, quod vobis paratum est a Patre meo ab initio*" (f). O Jesu mi, quæ cordis mei exspectatio, quis jubilus, si futuram meam inter agmina beatorum Ascensionem in aera et ingressum triumphalem in cœlum cogito; quæ ibi videbo? quæ audiam? quæ possidebo in triumphante Ecclesia?! in triumphante ibi Societate tua?! O S. Pater Ignati! S. Xaveri! et vos omnes Sancti, imprimis vos confratres mei, qui hæc jam possidetis, qui jam corona gloriæ ornati in Regno Christi fulgetis tamquam stellæ in perpetuas æternitates, nunc quæso intercessores mei estote in hac hora apud Dominum, ut progrediendo indies in via perfectionis, aliquando vobiscum sursum ascendam super astra, et cœli gaudiis vobiscum fruar in æternum apud Dominum. Monet autem Angelus Custos, qui præsens continuo assistit mihi, sicut monebant Angeli illi discipulos in Monte Olivarum: *quid hic statis?* Videlicet non tantum contempler oportet, sed *agam* quod egerunt Apostoli et Patres nostri, opus Dei ferventer et plane diligenter, exspectans lumbis præcinctis adventum Domini, memor verbi ejus: "*Ecce venio cito, et merces mea mecum, reddere unicuique secundum opera ejus*" (g). O æternitas beata — o merces magna nimis: beata cum *Jesu* æternitas! Veni Domine Jesu — veni. Amen.

Colloquium faciam ad Jesum triumphantem congaudendo eidem cum benedicta ejus Matre et cum omnibus Angelis et Sanctis ejus. In fine dicam: Anima Christi.

---

a) *Act.* 1, 2—12. — *b*) *Luce.* 17, 20. — *c*) *Joann.* 14, 2. — *d*) *Ps.* 23, 7—10. — *e*) *Joann.* 16, 16—19. — *f*) *Matth.* 25, 31—34. — *g*) *Apoc.* 22, 12.

CONTEMPLATIO.

DE CŒLO.

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

PRÆLUDIUM I. Erit videre in cœlis visu mentis choros beatorum Angelorum atque Sanctorum, ibi jam triumphum sempiternum agentium; memor verborum S. Joannis: "*Vidi, et ecce ostium apertum in cœlo*" (a).

PRÆLUDIUM II. Erit petere gratiam quam volo; hic erit petere vivam semper memoriam *appropinquantis* singulis momentis *beatæ æternitatis!*

PUNCTUM I.

"*Ego ero merces tua magna nimis*" (b).

En gaudium et summa gaudii quod mihi promittitur in cœlis; — gaudium quod verbis quidem dici, sed non exprimi, quod cogitari sed nullo intellectu in terris concipi potest. *Deus* ipse erit merces mea magna nimis. DEUS *ipse;* ita plane. "*Scimus, quoniam cum apparuerit similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est*" (c). Ita S. Joannes mihi acclamat et gaudia cœli contemplatus ita scribit: "*Et vidi cœlum novum — et vidi sanctam civitatem Jerusalem novam descendentem de cœlo a Deo paratam, sicut sponsam viro suo, et audivi vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum Dei cum hominibus et habitabit cum eis. Et ipsi populus ejus erunt, et ipse Deus cum eis erit eorum Deus*" (d). Vere quam merces magna — quia *immensa;* quam merces nimia — quia *talis*, quam nemo etsi omnium prorsus Sanctorum et Angelorum merita in se colligeret et singulis momentis per totam æternitatem *augeret* — proprie mereri posset. Nulla enim proportio finiti ad infinitum. Vere quam magna nimis, et nunquam satis contemplanda et satis admiranda merces mihi ob oculos ponitur, ut desiderio cœli implear et exardescam: Deus ipse cum omnibus *infinitis* suis perfectionibus se mihi pro mercede laborum offert, ut eo fruar per totam æternitatem in lumine gloriæ, similis factus eidem, eumque possideam clara intuitione beatifica. Ita S. Joannes mihi testatur; ita quoque S. Paulus affirmat, scribens: "*Videmus nunc per speculum in ænigmate; tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte; tunc autem cognoscam, sicut et cognitus sum*" (e). Expendam quam attentissime quæ *beatitudo* per hanc beatificam Dei *Visionem* mihi promittatur, talis nempe quæ merito in excessum spiritus me rapiat, præ desiderii

vehementia, et gaudii magnitudine. Quod ut accurate capiam, sequar monitum Apostoli; reflectam videlicet ad comparationem quæ inter bonum gaudiumque finitum et infinitum intercedat, aut potius, quæ non intercedat, et omnem proportionem transgreditur.

Contemplare videlicet anima mea totam *pulchritudinem* mundi, totius plane Universi, si illam uno intuitu comprehenderes, et finge jam eam singulis momentis per totam æternitatem semper magis augescentem: qualis quæso pulchritudo post centum aut mille annos evadet? et tamen nunquam, vel per totam æternitatem hæc mundi semper crescens pulchritudo talis erit aut esse poterit, ut vel comparatio cum divina pulchritudine et proportio institui possit, aut reapse intercedat; nulla enim finiti, qualis est omnis pulchritudo finita et contingentis ad infinitum et absolutum, qualis est Dei pulchritudo, comparatio. Scintillæ ad solem — et atomi pulveris ad Universum datur proportio, nempe minoris ad majus; nulla vero inter bonum creatum et increatum. Idem mente contemplabor similiter de *beatitudine*. Etsi totius mundi possessione, ejus jucunditatem sentirem uno eodemque momento in corde meo, et beatitudo inde percepta singulis momentis cresceret per totam æternitatem: nunquam tamen erit aut esse poterit momentum, ex quo proportio et comparatio institui posset inter hanc creatam beatitudinem et inter fruitionem Divinæ beatitudinis, quia est fruitio beatitudinis objective *infinitæ*. Et nunc reflectam quænam illa merces sit, quæ mihi promittitur *Visione* beatifica Dei, quando videbo eum sicuti est, et quando per Lumen Gloriæ transfiguratus, similis ei ero dicente Scriptura: "*Ego dixi Dii estis*" (f), et quando tamquam Dei imago prototypo meo divino jungar, Deique promissio implebitur, quam Psaltes enuntiat his verbis: "*De torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te fons vitæ est, et in lumine tuo videbimus lumen*" (g). Lumen nempe Divinæ Essentiæ per Lumen Gloriæ. Lumen perfectionum Dei infinitarum, quarum quælibet ipse Deus est bonum infinitum, quæ inenarrabili jubilo animam sibi conjunctam replet; animam dico qui in consortium divinum admissa jam felix de novo semper proclamat: "*Introibo in potentias Domini*" (h). Utique quid tunc sentiam, quando introibo tota essentia mea in infinitam Dei Potentiam — Scientiam — Sapientiam — Sanctitatem — Bonitatem — Misericordiam — Majestatem — Pulchritudinem — Amorem — Beatitudinem, et videbo mente ipsam SS. Trinitatem sicuti est: Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum; clare simul cognoscendo omnia Divinæ erga me Providentiæ et Amoris documenta. O Beatitudo — o Cœlum! quomodo te cogitem et tui unquam obliviscar? et non potius intensius semper exclamem: "*Sitivit anima mea ad te Deum fortem vivum, quando veniam et apparebo ante faciem Dei*" (i).

PUNCTUM II.

"*Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos unum sumus*" (k).

Confirmat Jesus hanc suam promissionem eodem sermone his verbis: "*Pater, quos dedisti mihi, volo, ut ubi ego sum, et illi sint mecum, et videant claritatem meam, quam dedisti mihi — ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint*" (l). Gaudium his verbis Christus annuntiat futurum omnibus beatis per *Communionem Sanctorum* in Regno gloriæ suæ, quod est Regnum divini *Amoris*, ubi gaudium omnium communicatione amoris, fit gaudium singulorum; et vicissim gaudium cujuslibet fit simul gaudium omnium. Habemus et hic aliquam ex visibilibus tanquam per speculum, ut ait Apostolus, sumptam paritatem. Videlicet lux posita inter plura specula, ex omnibus, quasi ipsa esset resplendet, suamque claritatem omnibus simul speculis communicat quin ipsa ideo quid perdat, verum potius augmentum quasi exinde capit splendoris. Simile quid in Cœlis de gaudio beatorum in Communione Sanctorum cogitandum. Resplendet gloria cujusvis in aliis per unionem amoris in Deo. Quale exinde augmentum beatitudinis singulis accrescet pro capacitate suæ dispositionis in lumine gloriæ, si vel unius beati gloriam et beatitudinem cogito, quæ alteri communicatur fruitive?! "*Tunc justi fulgebunt sicut sol in Regno Patris eorum*". Ita Christus Dominus ipse testatur (m). Profecto nulla mundi visibilis pulchritudo et gloria nec totius Universi, cum gloria et beatitudine vel unius Sancti in cœlis comparari potest. Eleva itaque anima mea ex pulvere hujus terræ oculos in Cœlum empyreum, et vide et contemplare Majestatem, Pulchritudinem, Gloriam et Beatitudinem omnium Sanctorum Angelorum, juxta choros et ordines suos magis perfectiusque gratiæ et naturæ donis auctorum. O quæ et quanta pulchritudo, gloria et beatitudo Angelorum? quæ et quanta Archangelorum, Dominationum, Principatuum, Virtutum et Potestatum cœlestium? quæ et quanta Thronorum? quæ sanctorum Cherubim et Seraphim?! — Videbo eam aliquando, et in eam introibo et *ego!* Omnes illi gloriosissimi et beatissimi Spiritus amore mihi conjungentur mihique communicabunt ex toto gaudia Cœli quibus fruuntur. Hoc est quod Apostolus commendat scribens: "*Accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et multorum millium Angelorum frequentiam et Ecclesiam primitivorum, qui conscripti sunt in cœlis*" (o). Similiter contemplanda Pulchritudo, Gloria et Beatitudo omnium et singulorum Sanctorum et Sanctarum Virginum et Confessorum, Martyrum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum; Pulchritudo, Gloria et

Beatitudo beatissimæ et gloriosissimæ Virginis *Mariæ* — Matris Christi et Matris nostræ; et demum contemplanda Pulchritudo, Majestas et Beatitudo Christi Domini ipsius!! O quam felix hora et quantum gaudium erit mihi, quando verba illa in me complementum habebunt: "*Euge serve bone et fidelis intra in gaudium Domini tui*" (o); o quam felix quando admittar aliquando in conspectum et unionem amoris, beatitudinisque omnium Sanctorum; quando Maria mater et Regina Cœli materno me amplectetur affectu, et in consortium suæ Beatitudinis Amorisque assumet: et quando *Jesum* videbo in Cœlis, et quando ipse Salvator et Redemptor meus me, pretium sanguinis suæ recipiet, mihi communicando gaudia Regni sui gloriosi! Hæc jam cogitabo amodo frequenter, et sentiam prægustando gaudia ventura, et intelligam corde quodnam mihi in memoriam et exspectationem revocet gaudium S. Joannes in Apocalypsi ita scribens: "*Post hæc audivi quasi vocem tubarum multarum in cœlo, dicentium: Alleluja; salus, et gloria et virtus Deo nostro; — et iterum dixerunt: Alleluja! — et adoraverunt Deum sedentem super thronum dicentes: Amen; Alleluja! — Et vox de throno exivit dicens: Laudem dicite Deo nostro omnes servi ejus; — et audivi quasi vocem tubæ magnæ, et sicut vocem aquarum multarum, et sicut vocem tonitruum magnorum dicentium: Alleluja, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens. Gaudeamus, et exultemus, et demus gloriam ei, quia venerunt nuptiæ Agni. Et dixit mihi: Scribe: beati, qui ad cœnam nuptiarum Agni vocati sunt; et dixit mihi: hæc verba Dei vera sunt*" (p). O si illa etiam tam serio et attente mente considerarem, tam serio et profunde cordi immitterem, quam sunt vera, essem etiam ego vere alius, essetque conversatio mea ut vult Apostolus jam modo vere quasi in Cœlo (q); Cœlum nempe quærens, cœlestia cogitans, pro cœlo omnia libenter agens et patiens! etsi mille obstacula mihi opponerenter, et mille mortes essent superandæ.

PUNCTUM III.

"*Quod in præsenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis*" (r).

Duo sunt, quæ adhuc de cœli gaudiis necessario considerem, et altissime cordi imprimam oportet, et nunquam non sentiam salutarem vim et effectum duplicis hujus memorandæ utique veritatis, quam spectans Apostolus merito nos omnes adhortatur dicens: "*Propter quod remissas manus et soluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus — contemplantes ne quis desit gratiæ*" (s). *Primum* est, quod gaudia

illa grandia immensa et ineffabilia, simul libera sint et maneant ab omni vel umbra cujuscumque demum tristitiæ aut mali; ita ut in cœlo *tantum sit jubilus et gaudium.* Ita enim Dominus per servum suum S. Joannem nobis promittit annuntiatque: "*Et absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt* (t). *Et dixit qui sedebat in throno: Ecce nova facio omnia. Et dixit mihi: Scribe, quia verba hæc fidelissima sunt et vera; et dixit mihi:* "FACTUM EST". Itaque nihil nisi *gaudium* erit in cœlo quod hominem afficiet, nimirum nil nisi jubilus et gaudium erit in eo quod *memoria* recogitabit; nihil nisi jubilus et gaudium quod *voluntas* appetet; nil nisi jubilus et gaudium quod *cor* sentiet; et nil nisi jucunditas inenarrabilis quod *sensus* corporis glorificati percipient, dicente jam regio Psalte: "*cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum*". Gaudebit itaque et exultabit *totus homo* beatus possessione Dei et omnium divinorum bonorum in cœlis. Nec affligetur memoria ibi vel ipsa memoria et recordatione præteritorum malorum; quoniam prima *abierunt;* — et si bene illis usi fuerimus, manet pondus gloriæ et gaudii quod operata sunt, in æternum; videntque clare in cœlis beati, quomodo Divina Sapientia ex malis noverat bona educere mansura in sempiternum. O quanta felicitas, gaudio repleri, quo totus homo beatur, quo absque umbra mali lætatur, et absque ulla interruptione nova semper dulcedine recreatur! Quomodo non pressus tot ærumnis in hac lachrymarum valle cum Psalte exclamem: "*Quis dabit mihi pennas sicut columba, et volabo et requiescam*"? — et hoc in *æternum.* Ita enim scriptum est: "*Beati mortui qui in Domino moriuntur. A modo jam dicit Spiritus, ut requiescant a laboribus suis; opera enim illorum sequuntur illos*" (v). Similiter Apostolus monet: "*Quæ enim videntur, temporalia sunt; quæ autem non videntur, æterna sunt*" (w). Et Propheta vaticinatur: "*Evigilabunt in vitam æternam, et fulgebunt quasi splendor firmamenti et quasi stellæ in perpetuas æternitates*" (x). Et hoc *alterum* est quod mihi in hoc puncto pro coronide de Cœli gaudiis contemplandum proponitur: ÆTERNA sunt, quæ me in Cœlis exspectant gaudia — æterna sunt — finem *nunquam* habebunt! — Vere, quis nunc non libenter perferret, quod in præsenti est momentaneum tribulationis nostræ, cum spe et exspectatione gaudii æterni, jamjam venturi? — Ecce enim ait venio *cito*, et merces mea mecum, reddere unicuique secundum opera sua (y). Audi anima mea merces *propinqua* et *æterna* est, quæ unicuique operum tribuetur in Cœlis. Quodsi vel per *unicum* solum momentum temporis concederetur servo fideli videre Deum facie ad faciem, fruendo per momentum ejus beatitudine, esset jam merces magna nimis et sine comparatione cum omnibus laboribus totius vitæ in Dei servitio. Verum non ita, sed: "*Pars mea Deus in æter-*

num" (z), ita clamat Propheta, et nos cum illo : pars mea Deus in æternum ! Cœli gaudium in æternum!! — Quis non hac recordatione confortatum se sentiet ad facienda et perferenda libenter quævis pro gaudio sempiterno, et ejus æternum augmentum? Quare rectissime Apostolorum Princeps ita impense adhortatur fideles : "*Benedictus Deus, qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per Resurrectionem Jesu Christi ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem et incontaminatam, et immarcescibilem conservatam in cœlis in vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam revelari in tempore novissimo. In quo exultabitis — modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus — exultabitis lætitia inenarrabili et glorificata, reportantes finem fiedei vestræ, salutem animarum*" (aa). Quis utique aliquando sensus cordis mei, quando cœlum introiens triumphans, mercedem ibi immensam et simul æternam vel pro minimis operibus meis et ærumnis Christi amore patienter perlatis conspiciam; et quod Alleluja gaudii et gratiarum actionis Deo cantabo quando admissum me conspiciam in chorum illorum, de quibus Joannes scribit : "*Et vidi eos, qui vicerunt bestiam, habentes citharas Dei, et cantantes canticum Moysis servi Dei, et canticum Agni*" (bb); id est canticum *victoriæ* super efferatos inimicos salutis, sequendo in terris Agnum sub vexillo Nominis ejus de quo scriptum est : "*Et Agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorum est, et Rex regum, et qui cum illo sunt vocati, electi et fideles*" (cc). Quomodo gaudebo tunc respiciendo de Cœli vertice ad terræ exiguæ ambitum, respiciendo loca illa, ubi in ferventi Dei obsequio ambulabam, orabam, operando desudabam, ærumnas vexationesque patienter pertuli, gaudendo in æternum de quovis temporis momento pro æternitate rite impenso.

Hæc sæpe multumque diligenter memoranda; nam ecce nunc tempus acceptabile, nunc dies salutis (dd) nunc o anima mea, *nunc* illud solum — *unicum* — perbreve et incertum tempus, quo bene utendo gloriæ augmentum operamur. Etsi enim omnes in cœlis pro capacitate implebuntur ab ubertate domus Dei (ee) gaudiis sempiternis, tamen ipsa capacitas, monente Apostolo diversa erit pro diversitate meritorum : "*Alia enim claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum. Stella enim a stella differt in claritate; sic et resurrectio mortuorum. Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote, et immobiles, abundantes in opere Domini semper, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino* (ff). Etsi itaque obstacula insurgent, Cœlum cogitabo, ad Cœlum oculos levabo, et vocem beatorum audiam mihi acclamantium : vince te "*qui enim vicerit possidebit hæc, ait Dominus*" : et repetitis vicibus inculcat ita exhortans atque promittens : "*Qui vicerit vestietur vestimentis albis, et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis ejus. Qui*

vicerit faciam illum columnam in templo Dei mei — et scribam super eum Nomen Dei mei, et Nomen civitatis Dei mei novæ Jerusalem — et Nomen meum novum. Qui vicerit,dabo ei sedere mecum in throno meo"(gg):

Quare aggrediar opus Dei ferventer, etsi mille tormenta perferenda essent, agam sincere, diligenter, magnanimus, perseveranter; non enim condignæ sunt Passiones hujus mundi ad futuram gloriam quæ revelalitur in nobis (hh). Ita Domine Jesu; lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, et quæ per gratiam tuam tam clara mihi in hac hora meditationis facta sunt: *in domum Domini ibimus* (ii), in domum Regni gloriæ tuæ *sempiternæ*. Restant ecquidem labores, restant pugnæ; at qui seminant in lachrymis in exultatione metent. *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos* (kk). O æternitatem beatam, *Socii Jesu beati!* quid agam ut te possideam! — quid agam ne te amittam!!

COLLOQUIUM faciam ad Sanctos omnes, imprimis e Societate jam in cœlis coronatos; dein faciam Colloquium ad B. V. Cœli Reginam, et ad Christum, rogando ut sim ex numero eorum de quibus dixit: "*Gaudete autem, quod nomina vestra scripta sunt in cœlis*" (ll). In fine dicam Salve Regina.

---

a) *Apoc.* 4, 1. *b*) *Gen.* 15, 1. *c*) 1. *Ioann.* 3, 2. *d*) *Apoc.* 21. 1—4. *e*) 1. *Cor.* 13, 12. *f*) *Ps.* 81, 6. *et Ioann.* 10, 34. *g*) *Ps.* 35, 9 *et* 10. *h*) *Ps.* 70, 16. *i*) *Ps.* 41. 3. *l*) *Ioann.* 18, 24 *et* 31. *m*) *Matth.* 13, 43. *n*) *Heb.* 12, 22 *et* 23. *o*) *Matth.* 25, 23. *p*) *Apoc.* 19, 1—9. *q*) *Philip.* 3, 20. *r*) 2. *Cor.* 4, 17. *s*) *Heb.* 12, 12-15. *t*) *Apoc.* 21, 4. *u*) *Ps.* 54, 7. *v*) *Apoc.* 14, 13. *w*) 2. *Cor.* 4, 18. *x*) *Daniel* 12, 2 *et* 3. *y*) *Apoc.* 22, 12. *z*) *Ps.* 47, 15. *aa*) 1. *Petr.* 1, 3—9. *bb*) *Apoc.* 15, 3. *cc*) *Apoc.* 17, 14. *dd*) 2. *Cor.* 6, 2. *ee*) *Ps.* 35, 9. *ff*) 1. *Cor.* 15, 41-42 *et* 58. *gg*) *Apoc. c.* 21, *et c.* 2. *hh*) *Rom.* 8, 18. *ii*) *Ps.* 121, 1. *kk*) *Ps.* 125, 5—7. *ll*) *Lucc.* 10, 20.

CONTEMPLATIO.

AD OBTINENDUM AMOREM.

Primo, convenit duo animadvertere :

"PRIMUM *est, quod amor debet poni magis in operibus quam in verbis*" . Sic S. Pater cor præparat non tantum ad contemplandum de amore Dei, sed et quidem præcipue ad *Exercitium* ipsum hujus amoris, quo nempe anima in hac Contemplatione reapse se totam offerat Deo suo et summo bono, non tantum verbis sed oblatione plenissima totius sui Esse in Dei *servitium* et beneplacitum. — Attendam etiam illud : *magis* ; non dicit solum *in operibus*. Vere enim amanti etiam non deerunt affectus et verba amoris, sed magis adhuc solicitus est, de operibus quibus vim et veritatem amoris sui erga dilectum probet.

Præparandum itaque cor, ut verbis et affectu in hoc exercitio amorem demonstrem Deo, et quam maxime *opere*, nempe confirmando renovationem omnium desideriorum et propositorum hujus sancti, quod peregi temporis, ut per plenam efficacemque oblationem mei ipsius, vere abhinc amem opere et veritate Dominum et Deum meum, ex toto corde, ex tota mente, et ex omnibus viribus meis.

ALTERUM *est, quod amor consistit in communicatione ab utraque parte, scilicet ut det et communicet amans amato ea quæ habet, vel ex iis quæ habet, vel potest, et sic vicissim amatus amanti : ita ut, si alter habet scientiam, det illi, qui eam non habet : si honores, si divitias ; et sic alter alteri*". Possum id relate ad Deum utendo *libertate*, quam ab Ipso habeo, et qua utar ad meam plenam *oblationem* ; id quod etiam cum Dei gratia præstabo in hac ipsa hora.

ORATIO PRÆPARATORIA consueta.

"PRIMUM PRÆLUDIUM *est compositio, quæ hic est, videre quomodo consisto coram Deo Domino nostro, Angelis et Sanctis interpellantibus pro me*". Attendam imprimis quomodo S. Pater Noster interpellet ad Deum, ut cor meum igne divini amoris incendatur. O quantopere hæc totius curiæ cœlestis pro me misello intercessio, cor meum disponere debet ad amandum Deum meum, qui utique hunc omnium Sanctorum pro me affectum non merui, sed potius eorum aversionem propter tot peccata mea ?

"SECUNDUM, *petere id quod volo. Erit hic petere cognitionem internam (i. e. affectuosam et affectuosissimam plane) tot ac tantorum bonorum a Deo acceptorum atque promissorum, ut ego integre (hæc) recognoscens, possim in omnibus amare et servire divinæ suæ Majestati*". Veni S. Spiritus et reple cor meum et tui amoris ignem ipse in me accende, qui es amor Patris erga Filium et Filii ad Patrem, ut renovetur per te facies animæ meæ, ut fiat cor meum filiale simile cordi Patris mei, et cum ejus oblatione sacrificum acceptabile totius mei Esse, quo me in holocaustum offero Divinæ Majestati.

PUNCTUM I.

"*Primum Punctum est, adducere in memoriam beneficia accepta Creationis, Redemptionis, et dona particularia, ponderando multo cum affectu, quantum fecerit Deus Dominus noster pro me, et quantum mihi dederit ex iis, quæ habet: et consequenter* (*quantum*) *idem Dominus desideret dare seipsum mihi in quantum potest, juxta divinam suam ordinationem; at dein reflectere in meipsum considerando multa cum ratione et justitia, quæ ego debeam ex mea parte offerre et dare suæ Divinæ Majestati, scilicet omnia mea, et me ipsum cum illis, ut qui offert, multo cum affectu*".

Eram plane *nihil* — et ecce quomodo Deus per actum Omnipotentiæ suæ me extraxit ex hoc nihilo, *me* dico præ infinitis aliis entibus mundisque, quos creare potuisset, et hoc in Esse tam sublime, creando me ad *similitudinem sui*. Ita o SS. Trinitas Deus et Creator mi, etiam de me in æterno amoris tui erga me decreto dictum est: "*Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*" (a). Et quidem creasti me — *pro te!* Respondet punctum hoc apprime fundamento — ubi meditatus fueram hæc verba: "*Creatus sum homo*" Nullam ibi de amore diserta fit mentio, et consulto, nondum enim cor satis erat paratum; at quo nunc sensu, quo affectu cordis mei in hac ultima Contemplatione ad hanc ipsam veritatem reflectam post lumina, quæ Deus per hoc sacrum tempus in animam meam immiserat, ut hæc omnia ex ordine clarius, planiusque intelligam, ad reverendum et laudandum, sed et ad amandum Deum meum, ex toto corde, quod ipse mihi dederat; ex tota anima quam ipse mihi dederat; ex omnibus viribus, quas ipse mihi dederat; et postquam per lapsum in peccatum perierant, longe mirabilius adhuc servabat mihi.

Ita plane perii jam pro tota æternitate propter lapsum primorum parentum, et propter innumerabilia propria peccata; et ecce o quantus amor Dei erga me: "*In hoc est charitas non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, et misit Filium suum propitiationem pro peccatis nostris*" (b). Itaque ipse Filius Unigenitus pro me ex voluntate Dei Patris cooperante Spiritu Sancto homo factus est; *pro me* non pro Angelo quodam, *pro me*, qui pulvis et peccator sum, venit in hunc mundum ut inveniret, et salvum faceret quod *perierat* (c) — animam meam peccatis perditam, captivam, in peccatis plane mortuam; venit in hunc mundum redempturus me a morte æterna; et hoc quali et quanto cum sacrificio, quantis cum ærumnis, passionibus, sanguine, lachrymis: factus *pro me* parvulus in præsepio et tandem exspirans in Cruce! Quid jam gratus, quid redamans clamem, nisi: "*quid retribuam Domino, pro mnibus, quæ retribuit mihi*" (d)? *Amabo* eum ex toto corde, ex tota

anima ex omnibus viribus meis per totam vitam, per omnia, et super omnia. Quid enim aliud vult, quam ut ipsum amem, qui in finem usque dilexit me (e) et in mortem se tradidit pro me, et cor suum aperuit mihi in Cruce. O amor meus, quid dicam de te? Amabo te, qui tuo sanguine redemisti me, ut amem te!!

Insuper cogitabo et contemplabor, quomodo hæc inæstimabilia beneficia, modo etiam *exquisitissimo* et plane *singulari* mihi applicuerat per singularissimam Providentiam, qua ab infantia mea direxit vias meas, donec me reciperet in Societatem, cui *Nomen* et *Cor* suum speciali ratione contulerat, et hoc sine omnibus meritis meis; et hoc postquam toties offenderam eum, idque graviter; et tamen, *pepercit* mihi et novis semper atque majoribus me cumulabat gratiis, et nunc quid aliud vult et petit, quam ut *amem* eum. Sic enim per servum suum Moysen cordi meo duro acclamat: "*Et nunc quid Dominus tuus* PETIT *a te nisi — ut diligas eum — in toto corde tuo, et in tota anima tua, custodiasque mandata, ut* BENE *sit tibi* (f). Quomodo non hæc considerando, expendendo, meditando quantum dederit mihi Deus ex iis quæ habet, et quantum desiderat se ipsum mihi dare, quomodo non multo et maximo cum affectu prorumperem in Dei mei laudes, admirando et celebrando ejus Bonitatem in me, et quam multa ratione et justitia debeam ex mea parte offerre et dare illi quoque *omnia* mea, et *meipsum* cum illis, dicendo et offerendo me illi cum affectu S. Patris Ignatii. Ita o S. Pater meus, eo plane modo, eodem cum affectu, eademque cum intensione flagrantissimæ tuæ in Deum charitatis, qua verba hæc in antro Manresiano protulisti, me coram Divina Majestate projicio, et cum tuis verbis intimisque cordis mei suspiriis contestationem amoris mei, in conspectu totius curiæ cœlestis pronuntio:

"SUME *Domine et* SUSCIPE *omnem meam* LIBERTATEM, *meam memoriam, meum intellectum, et omnem voluntatem meam; quidquid habeo et possideo: tu mihi hæc omnia dedisti, tibi, Domine, ea restituo: omnia sunt tua, dispone de illis pro omni voluntate tua. Da mihi amorem tui et gratiam, nam hæc mihi sufficit*".

O vos omnes sancti Angeli, vos omnes Sancti et Sanctæ Dei, vestro amori vestræque oblationi jungam hanc quoque meam; potissimum autem o Maria, Mater mea, Mater pulchri amoris, prædilecta sponsa Sancti Spiritus, cum Corde tuo, atque cum Corde Unigeniti tui Jesu, hanc oblationem amoris mei conjungam et Divinæ Majestati offeram sine intermissione dicendo: "*Sume Domine, et suscipe*". Ita Domine, sume et suscipe me in holocaustum amoris tui, sim totus, *totus*, TOTUS tuus. Dispone o amor meus, dispone pro omni tua voluntate!

PUNCTUM II.

"*Secundum, attendere quomodo Deus habitat in creaturis; in elementis, dans esse; in plantis, dans vegetare; in animalibus dans sentire; in hominibus dans intelligere: et ita in me, dans mihi esse, vivere, sentire, et faciens me intelligere: item faciens me templum sui, cum creatus sim ad similitudinem et imaginem suæ divinæ Majestatis: similiter reflectendo ad me ipsum eo modo, quo dictum est in primo puncto, vel quem sensero meliorem. Eadem ratione fiet super quolibet puncto, quod sequitur*".

Suppeditat S. Pater in hoc puncto et sequentibus animæ Deum amanti super omnia, ne amor ejus a quacunque creatura, et nec a se ipsa possit detrimentum hujus amoris capere, quin potius ut ad augmentum ejus *inserviant omnia;* et sic prout primum punctum hujus contemplationis respondet primo puncto fundamenti — ita sequentia sequentibus in eodem fundamento pulcherrimo ordine respondent, sed ita, ut non tam incipienti in via perfectionis, sed jam progredienti et consummato conveniunt.

Nimirum, ne amor creaturarum aliarum vel minimum imminuat amorem Creatoris, assurgere nos docet et monet S. Pater, a creaturis ad Creatorem, ut si quid *pulchritudinis* et *jucunditatis* in creaturis est, cogitemus statim et reflectemus, hæc omnia a Deo et per Deum in illis esse, et modo infinite perfectiori hæc omnia Deum in se ipso recludere, monente jam Spiritu S. per Sapientem: "*Vani autem sunt omnes homines in quibus non subest scientia* (*amor*) *Dei, et de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere* (*et amare*) *eum, qui est — quanto his dominator eorum speciosior est; speciei enim generator hæc omnia constituit*" (g). Quam stultus utique essem ego quoque, si creaturis et non Creatori ipsi cor meum amore jungerem; et non potius quidquid boni in creaturis observo, gradus et incitamentum mihi esset, ad amandum intensius Deum, quemadmodum notum est de S. Patre quomodo fragrantia florum et visu astrorum mirifice ad Deum fuerit corde elevatus.

Et sic pariter si quid creaturis inest *utilitatis*, hoc totum non a se ipsis, sed a Deo habent et per ipsum, qui divina sua virtute semper concurrendo in illis, hæc omnia ad meam utilitatem meumque commodum per illas operatur; ut itaque affectus etiam omnis meus non in illas, sed in Illum merito ferri debeat. Multoque magis et sua sponte id sequitur, siquidem ad dona supranaturalia reflecto adeo sublimia et ordinem totius rerum naturæ prætergredientia; quomodo *Incarnatione* et *Passione* sua me redemit, et similitudinem imagini animæ meæ cum divina sua Essentia et pulchritudine iterum induxerit. Hæc enim omnia opus sunt gratiæ cujus operatio *immediate* ad ipsum Deum spectat.

PUNCTUM III.

"*Tertium, itaque est considerare quomodo Deus operatur, et laborat propter me in omnibus rebus creatis super faciem terræ, i. e., habet se ad modum operantis, ut in cœlis, elementis, plantis, fructibus, gregibus etc. dando esse, conservando, donando vegetationem et sensum etc. deinde reflectere ad me*".

Profecto si hæc semper in creaturis atque effectibus omnibus, et præsertim in me ipso attenderem, quomodo non continua perceptione Dei erga me beneficentiæ exardescerem de novo semper et vehementius gratitudine amoreque erga Eum; et quomodo tunc omnia me ad Deum traherent, et invenirem eum cum sancto Ignatio in omnibus campis et floribus et in micantibus astris, ut jam non scirem aliquid nec amarem præter Deum. Potissimum autem reflectendo ad meum Esse quod Imago Dei sim, et ad operationes gratiæ ejus in me, ad bona illa quibus qua templum Dei in ipsa Ecclesia fruor in terris, et quæ mihi promisit in cœlis, qui est merces mea magna nimis; o quo *Amoris* impetu anima mea in Deum ferri deberet, eique conjungi; nam ubi imago conquiescam nisi in divinissimo principio et prototypo meo?! — Sume itaque et suscipe me Deus, nam amo te, et solum te in omnibus creaturis et per omnia et super omnia, o Deus, et Amor meus!

PUNCTUM IV.

"*Quartum, speculari, quomodo omnia bona et dona descendant desursum, ut mea limitata potentia a summa illa et infinita desursum : et eodem modo justitia, bonitas, pietas, misericordia etc. sicut a sole descendunt radii, a fonte, aquæ etc. Dein terminare reflectendo in me ipsum, ut dictum est*".

Ne itaque amoris mei *oblatio* unquam vel in puncto minuatur, per *ablationem* amoris proprii, qui vel ex ipsis virtutibus venenum vani amoris parare solet, ut dum anima in illis crescit sensu existimationis propriæ afficiatur, qui amori Dei super omnia directe opponitur eique contrariatur, S. Pater per hoc punctum probe consideratum atque animæ penitus impressum huic malo obicem ponit, inducendo nos ad continuandam meditationem hujus veritatis : quomodo, quæcunque sunt bona, quæcunque justa, non ex nobis sint quasi ex nobis, sed *ab illo* a quo est omne datum bonum, descendens a Patre luminum, qui proprie *solus est bonus* (h) — DEUS! — Beatitudo infinita et bonum *diffusivum* sui ut Theologi loquuntur, qui se communicat suis creaturis, tum per ea quæcunque sunt bona, et maxime quæ sunt bona spiritualia ordinis supranaturalis et ad perfectionem, pulchritudinem, ornatum et salutem animæ pertinent, quæ

omnia a Deo, si quæ in nobis dona talia virtutesque reperiuntur, veluti radii a sole, vel sicuti aqua a fonte suo promanant.

Profecto hac si ratione omnia, quæ in me bona reperiuntur, ita considerarem, quam longe essem ab omni amore proprio, ab omni vanitate; et quomodo omnia hæc mihi essent cum omnibus in me et circa me *incentiva* et *incitamenta* divini et *operosi* Amoris in corde meo!

Reflectendo itaque ad me ipsum, hæcque affectuose recognoscens offeram utique me ipsum cum omnibus gratiis et donis, quæ Deus et Dominus meus per totam vitam in me ponere dignatus est, et dicam quam efficacissime ex fundo cordis mei: SUME et SUSCIPE, tua sunt Domine et Creator, dispone pro tua voluntate; jam non *mihi* amplius vivam, sed *tibi* et unice tibi o Deus meus et omnia! Non desistam donec omnem amoris mei proprii scintillam incendio amoris tui extinguam. O Jesu piissime, Jesu amantissime, confirma hoc quod operatus es in me in his sacris Exercitiis! per amorem S. Patris Ignatii ad te clamo exaudi me Domine, qui me plasmasti! respice me, opus manuum tuarum, ne "despicias, ne rejicias me quem proprio cordis tui sanguine redemisti. Sim verus tuus *socius*, sim totus tuus, sis tu quoque totus meus, "*dilectus meus mihi et ego illi*"; —sit vita mea tota *Exercitium* perpetuum *Amoris* mei erga te Deus, ut salvem me et salvem per te animas, ut et ipsæ mecum diligant te super omnia, per omnia et in omnibus ad Majorem tui Nominis Gloriam, o Jesu mi nunc et in omnem æternitatem. Amen.

COLLOQUIUM faciam ad SS. Trinitatem gratiarum actionis pro omnibus hocce Exercitiorum tempore concessis gratiis, loquendo autem non tam verbis quam potius affectu cordis amore flagrantis! — In fine tandem dicam devotissime Pater noster et Ave Maria.

---

a) *Gen.* 1, 26. *b*) 1. *Joann.* 4, 9 *et* 10. *c*) *Lucc.* 19, 20. *d*) *Ps.* 115, 12. *e*) *Joann.* 13, 1. *f*) *Deut.* 10, 12 *et* 13. *g*) *Sap.* 13, 1 *et* 3. *h*) *Jacob.* 1, 17. *Matth.* 19, 17. *i*) *Cant.* 2, 16.

A. M. D. G.

060.32
W 48

WENINGER, F.X. 7045

AUTHOR
Exercitia Spiritualia

TITLE

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	A Corrigan SJ	
	Kenny	
7/22/57	Russell	

STORAGE -

7045